DE VIRTUTE CHARITATIS

QUÆSTIONES SELECTÆ

CARDINALIS J. E. VAN ROEY
ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS

DE VIRTUTE CHARITATIS

QUÆSTIONES SELECTÆ

ALMA COLLEGE
235.4
LIBRARY
R629
Alma, California

MECHLINIÆ
H. DESSAIN
1929

6368

PRÆFATIO

Jamdiu, quatenus inter quotidianas negotiorum curas id nobis licebat, quæstionibus ad magnam charitatis virtutem pertinentibus operam dedimus. Ad quod studium perficiendum nos duxit ac reduxit tum supereminens quem in vita christiana divinum istud donum tenet locus, tum suave quod ex tantæ pulchritudinis consideratione sponte oritur oblectamentum, nec minus ipsa rerum scrutandarum altitudo atque difficultas.

Non omnes quidem quæstiones quæ de charitate a Theologis examinari solent tractavimus, sed quasdam selegimus, eas videlicet quas vel præcipuas vel a modernis auctoribus prætermissas aut incomplete expositas æstimavimus. Curæ nobis non fuit nova proferre, at potissime vera inquirere, ducibus præclaris Theologiæ luminibus, nominatim S. Augustino et S. Thoma Aquinate, aliisque insignibus doctoribus et magistris. Si quid nostra in lucubratione benevolo lectori attentione dignum videatur, id ipsis retribuendum velimus.

Etsi quædam inter heic tradita jam in periodicis vel alio modo (1) evulgata sunt, pleraque tamen libri capita primum nunc in publicum eduntur, toto ceteroquin rerum complexu adamussim redacto ac ordinato.

Faxit Deus, *qui* charitas est, *cujusque ineffabili dono* charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, *ut humilis iste laboris nostri fructus*

(1) Quæstiones IV et V infra expositæ primum prodierunt sub titulo : *De natura et ordine charitatis erga proximum ad mentem Doctoris Angelici.* Lovanii, C. Peeters, 1912.

non tantum in mentibus, sed et in animabus fruges producat salutares : quamvis enim rigorosa scientiæ theologicæ methodo, prout decet, quæstiones exponere ac elucidare nobis propositum fuerit, simul tamen vitæ supernaturalis principia omnes sacrorum administros edocere intendimus, ut quæ intellectu theologico rite perceperint, ea alto cordi infigant ac moribus constanter vivideque exhibeant. Quod ut divina Sua gratia fiat, a Sacratissimo Corde Jesu demisse fidenterque deprecamur.

Mechliniæ, in Festo Sacratissimi Cordis Jesu, die 7ª Junii anno 1929.

QUÆSTIO I

DE CHARITATE VIRTUTUM PRÆSTANTISSIMA

SUMMARIUM. — *Charitatem, qua virtutem specialem, esse præstantissimam inter omnes virtutes, probatur* 1° *ex Sacra Scriptura, ita docentibus Christo Domino et Apostolis ;* 2° *ex scriptis Patrum et Doctorum, nominatim S. Augustini, S. Hieronymi, S. Thomæ Aquinatis, S. Francisci Salesii ;* 3° *ex ratione theologica.*

Inde concluditur charitatem præstare 1° *scientiæ ceterisque habitibus mere intellectualibus,* 2° *virtuti morali misericordiæ,* 3° *virtutibus sic dictis « modernis » seu « activis ».*

Charitas proprie dicta est maxima et excellentissima omnium virtutum, eminens non tantum super virtutibus moralibus, sed etiam super ceteris theologicis.

Hæc propositio nititur 1° *doctrina Christi et Apostolorum.*

Vitam christianam a charitate totam pendere, ipsa perfici, compleri, regi, in ipsa recapitulari, id luculentissime in Novo Testamento continetur (1). Omnia vitæ christianæ præcepta sive naturalia sive positiva, omnia officia, virtutesque omnes ad eam referuntur.

Legisperitum interrogantem : « Magister, quod est mandatum magnum in lege ? » Christus Dominus, Deo diligendo diligendum proximum subjungens, docet : « in his duobus mandatis

(1) Doctrina S. Scripturæ uberius exponetur infra, in Quæstionis II Capite III.

universa lex pendet et prophetæ » (1) ; et alio in loco : « hoc fac et vives » (2). — Ultimo sermone Apostolos alloquens, totam suam doctrinam moralem absolvit inculcando charitatem : « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem (3)... Si diligitis me, mandata mea servate.. Qui habet mandata mea, et servat ea : ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo... Si quis diligit me, sermonem meum servabit... Qui non diligit me, sermones meos non servat » (4).

In epistolis S. Pauli supremum locum occupat charitas : « Plenitudo ergo legis est dilectio » (5). « Super autem omnia hæc caritatem habete, quod est vinculum perfectionis » (6). Præsertim recolatur splendidum illud charitatis encomium in I Cor. XIII, ubi docet Apostolus eximia dona atque virtutes licet heroicas nihil esse nihilque prodesse sine charitate, imo non dubitat omnes virtutes et bona opera ad ipsam aliquo modo reducere : « Caritas patiens est, benigna est ; caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur... omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet... Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc : major autem horum est caritas. »

Eodem modo S. Joannem in epistolis suis omnia ad charitatem referre, nemo non novit (7).

Item S. Jacobus præmium vitæ æternæ diligentibus Deum reservat (8), et « legem regalem » dilectionis proximi ut summam boni operis inculcat (9).

---

(1) *Matth.* XXII, 35-40.
(2) *Luc.* X, 25-28.
(3) *Joan.* XIII, 35.
(4) *Joan.* XIV, 15, 21, 23, 24 ; coll. XV, 9-14.
(5) *Rom.* XIII, 10 ; cf. *Gal.* V, 14 ; *I Cor.* VIII, 3.
(6) *Col.* III, 14.
(7) *I Joan.* II, 4-11 ; III, 14-24 ; IV, 19-21 ; V, 2 s. ; *II Joan.* 6.
(8) *Jac.* I, 12 ; II, 5.
(9) *Ib.* II, 8.

2° Hanc charitatis in re morali præstantiam et celsitudinem *SS. Patres et Ecclesiæ Doctores* passim docuerunt et inculcarunt. Sed nullus clarius atque uberius quam S. Augustinus, ordinis et vitæ supernaturalis contra Pelagium defensor, eam exposuit et illustravit. Juxta illum omnes virtutes omniaque bona opera ad charitatem theologicam, ad summum Dei amorem redire oportet. « Unde mihi videtur, ait, quod definitio brevis et vera virtutis : ordo est amoris » (1). Et alibi : « nihil omnino esse virtutem affirmaverim nisi summum amorem Dei. Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur... Quare definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem ; fortitudinem amorem omnia propter Deum facile perferentem ; justitiam amorem Deo tantum servientem et ob hoc bene imperantem ceteris, quæ homini subjecta sunt ; prudentiam amorem bene discernentem ea, quibus adjuvatur in Deum, ab iis, quibus impediri potest » (2). — « Quapropter, fratres, dicit adhuc, sectamini charitatem... Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima... Casta in Susanna erga virum... Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Sed quid de charitate majus aut uberius possum dicere, quam quas per os Apostoli laudes intonat Dominus supereminentem viam demonstrantis atque dicentis (I Cor. XIII, 1-8) : si linguis hominum loquar... » (3) — « Ille itaque tenet et quod patet et quod latet

(1) *De civitate Dei*, L. XV, c. 22. MIGNE, P. L., t. XLI, c. 467.

(2) *De moribus ecclesiæ catholicæ*, L. I, c. 15, n. 25. P. L., t. XXXII, c. 1322.

(3) *Serm. CCCL* (al. 39 de temp.) n. 3. P. L., t. XXXIX, c. 1534.

in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus » (1). — « Diliges Dominum Deum tuum... Hic ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus et proximus » (2). — « Ad charitatem refertur omne præceptum. . Quæcumque ergo mandat Deus, ex quibus unum est : non mœchaberis, et quæcumque non jubentur, sed spirituali consilio monentur, ex quibus unum est : bonum est homini mulierem non tangere, tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum et proximum propter Deum » (3). — « Omnia bona opera nostra unum opus est charitatis. Plenitudo enim legis est charitas (Rom. XIII, 10) » (4). — En aliquot Doctoris Hipponensis textus apertissimos : postea ex professo ostendemus quantam dignitatem et efficaciam tribuat charitati (5).

Quemadmodum S. Augustinus, ita S. Hieronymus loquitur : « Quæ alia inter fructus spiritus debuit tenere primatum nisi charitas, sine qua virtutes ceteræ non reputantur esse virtutes, et ex qua nascuntur universa, quæ bona sunt » (6).

Non minus charitatem extollit S. Thomas Aquinas. Juxta Doctorem Angelicum, charitas non tantum est « excellentissima virtutum », excellentior nempe cunctis moralibus ceterisque theologicis (7), sed etiam « simpliciter vera virtus sine charitate esse non potest », nec « actus perfecte bonus », « quia deest debita ordinatio ad ultimum finem » (8). Insuper, quia « per charitatem ordinantur actus omnium aliarum vir-

(1) *Ibid.*, n. 2.
(2) *Ep. CXXXVII* (al. 3) *ad Volusianum*, c. v, n. 17. P. L., t. XXXIII, col. 524.
(3) *Enchiridion*, c. CXXI, n. 32. P. L., t. XL, c. 288.
(4) *In Ps. LXXXIX*, n. 17. P. L., t. XXXVII, c. 1148.
(5) Cf. Quæstio II, Cap. V.
(6) *In Gal.* L. III, c. v, n. 22. P. L., t. XXVI, c. 418.
(7) *Summa theologica*, IIª IIæ, q. XXIII, a. 6.
8) *Ib.*, a. 7.

tutum ad ultimum finem, secundum hoc ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum ; et pro tanto dicitur esse *forma* virtutum... Charitas comparatur *fundamento* et *radici*, in quantum ex ea sustentantur et nutriuntur omnes aliæ virtutes... Charitas dicitur *finis* aliarum virtutum, quia omnes alias virtutes ordinat ad finem suum. Et quia mater est quæ in se concipit ex alio, ex hac ratione dicitur *mater* aliarum virtutum, quia ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum, imperando ipsos » (1). Angelicus omne meritum attribuit radici charitatis : « meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur » (2). Uno verbo « secundum charitatem attenditur simpliciter perfectio christianæ vitæ » (3).

Audiatur tandem S. Franciscus Salesius, vitæ supernaturalis Doctor præclarissimus : « La charité est entre les vertus comme le soleil entre les estoiles : elle leur distribue a toutes leur clarté et beauté. La foy, l'esperance, la crainte et penitence viennent ordinairement devant elle en l'ame pour luy preparer le logis ; et comme elle est arrivee, elles lui obeissent et la servent comme tout le reste des vertus, et elle les anime, les orne et vivifie toutes par sa présence » (4). Et rursus : « L'amour, Theotime, est l'estendart en l'armee des vertus, elles se doivent toutes ranger a luy : c'est le seul drapeau sous lequel Nostre Seigneur les fait combattre, luy qui est le vrai general de l'armee » (5).

Hæc pauca, tum ex Sacris Litteris, tum ex scriptis maximorum antiqui, medii et moderni ævi Doctorum Ecclesiæ,

(1) *Ib.* a. 8 ; coll. Iª IIæ, q. LXIV, a. 4.
(2) Iª IIæ, q. CXIV, a. 4.
(3) IIª IIæ, q. CLXXXIV, a. 1, ad 2.
(4) *Traitté de l'amour de Dieu.* L, XI, ch. 9. (*Œuvres de S. François de Sales*, ed. Annecy. T. V. p. 268).
(5) *Ib.*, L. XI, ch. 14, p. 290.

referre sufficit, ut appareat quantopere virtus charitatis in re morali emineat. Primatum obtinet qui vix nimis extolli possit.

3° *Ratio theologica* charitatis præstantiam invicte confirmat.

a) Sicut virtutes diversificantur et specificantur ex objectis suis formalibus, ita ex iisdem majorem vel minorem suam dignitatem acquirunt. « Simpliciter loquendo, ait S. Thomas, illa virtus nobilior est quæ habet nobilius objectum » (1).

Unde virtutes theologicæ superant morales, eo quod attingunt Deum ipsum, non tantum ut objectum materiale primarium, sed præsertim ut objectum formale : quod utrumque non verificatur in moralibus, ut demonstrabitur infra (2).

Porro inter theologicas « illa est potior quæ magis Deum attingit... Fides autem et spes attingunt quidem Deum secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri vel adeptio boni ; sed *charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat*, non ut ex eo aliquid nobis proveniat ; et ideo charitas est excellentior fide et spe, et per consequens omnibus aliis virtutibus » (3).

Alio etiam modo dici potest charitas se habere propinquius ad Deum, quam fides et spes. « Nam aliæ important in sui ratione quamdam distantiam ab objecto ; est enim fides de non visis, spes autem de non habitis ; sed *amor charitatis est de eo quod jam habetur ;* est enim amatum quodammodo in amante, et etiam amans per affectum trahitur ad unionem amati, propter quod dicitur I Joan. IV, 16 : Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo » (4).

b) Præterea charitatis eminentia probatur, eo quod sola inter omnes virtutes sit *ejusdem perfectionis essentialis in via quam in patria.* In cælo virtutes morales non existent, nisi quatenus natura beatorum dicenda sit rectissima circa omnia ;

(1) Ia IIæ, q. LXVI, a. 3
(2) Cf. Quæstio IV, Cap. II, art. II, tertium argumentum.
(3) IIa IIæ, q. XXIII, a. 6, corp
(4) Ia IIæ, q. LXVI, a. 6, corp.

fides evanescet in visione, spes in possessione ; sola charitas essentialiter eadem manebit. In hac vita est quidem imperfecta : etenim non producitur visione immediata essentiæ divinæ, sed cognitione obscura fidei theologicæ ; non est de bono divino secure et immutabiliter habito, sed de bono quod possidendum speratur et quocum voluntas per affectum unitur. Atvero, hæ imperfectiones, quantumvis magnæ, ipsam rationem actus charitativi non afficiunt ; hic enim formaliter constituitur unione amicabili et immediata voluntatis cum Deo, summo bono, objecto complacentiæ, benevolentiæ, gaudii ac fruitionis. Unde non sunt nisi imperfectiones accidentales. Atqui « quando imperfectio alicujus rei non est de ratione speciei ipsius, nihil prohibet idem numero quod prius fuit imperfectum, postea perfectum esse, sicut homo per augmentum perficitur et albedo per intensionem. Charitas autem est amor, de cujus ratione (essentiali) non est aliqua imperfectio ; potest enim esse et habiti et non habiti, et visi et non visi. Unde charitas non evacuatur per gloriæ perfectionem, sed eadem numero manet » (1).

Consectaria.

Inde deducuntur consectaria sequentia :

I. Charitas dignitate præstat habitibus intellectualibus, puta scientiæ, sapientiæ, vel quovis nomine vocentur.

Hoc ponitur contra errorem hodiedum multo vulgatum, quo præter modum ea extolluntur quibus humanus intellectus evolvitur atque perficitur.

Argumentum allegant : quia ratio nobilior est voluntate utpote voluntati objectum manifestans eamque dirigens : unde quæ rationem perficiunt, ea hominem in sua perfectione constituunt.

(1) Ia IIæ, q. LXVII, a. 6, corp.

Huic argumento apodictice respondet Angelicus, ostendendo discrimen specificum inter operationem intellectus et operationem voluntatis : « Operatio intellectus completur secundum quod (objectum) intellectum est in intelligente ; et ideo nobilitas operationis intellectualis attenditur *secundum mensuram intellectus*. Operatio autem voluntatis et cujuslibet virtutis appetitivæ perficitur in inclinatione appetentis ad rem sicut ad terminum ; et ideo dignitas operationis appetitivæ attenditur *secundum rem quæ est objectum operationis*. Ea autem quæ sunt infra animam, nobiliori modo sunt in anima quam in seipsis, quia unumquodque est in aliquo per modum ejus in quo est.... Quæ vero sunt supra animam, nobiliori modo sunt in seipsis quam sint in anima. Et ideo eorum quæ sunt infra nos, nobilior est cognitio quam dilectio... Sed eorum quæ sunt supra nos, et præcipue Dei dilectio cognitioni præfertur. Et ideo charitas est excellentior fide » (1) ceterisque habitibus intellectualibus.

Hisce considerationibus patet non qualemcumque dilectionem esse excellentiorem qualicumque scientia, econtra scientiam de rebus materialibus longe præstare earumdem qua talium amore. Sed non minus certo constat, illam dilectionem quæ est de Deo et de proximo propter Deum, id est, charitatem, altissimæ sapientiæ imo fidei divinæ esse præferendam.

Unde optime explicatur dictum apostolicum : « Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam : et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum » (2). Intelligitur et dictum *Imitationis Christi* : « melior est profecto humilis rusticus, qui Deo servit, quam superbus Philosophus, qui, se neglecto, cursum cœli considerat » (3).

(1) IIª IIæ, q. XXIII, a. 6, ad 1. Cf. Iª IIæ, q. LXVI, a. 6, ad 1 ; *In III Sent.*, dist. XXVII, q. 1, a. 4.

(2) I Cor. XIII, 2.

(3) *De imitatione Christi.* L. I, c. 2. — De comparatione inter scientiam

II. Præstat charitas illi virtuti qua movetur homo ad bona sua in egenos effundendum atque necessitatibus aliorum quibusvis subveniendum : quod *misericordiæ* est, seu, nomine profano, *philanthropiæ*. Et id dicitur contra illos qui hanc ut nobilissimam laudant virtutem.

Verum est, « *secundum se* quidem misericordiam maximam esse ; pertinet enim ad misericordiam quod aliis effundat, et, quod plus est, quod defectus aliorum sublevet ; et hoc maxime superioris est. Unde et misereri ponitur proprium Deo ; et in hoc maxime dicitur ejus omnipotentia manifestari. Sed *quoad habentem*, misericordia non est maxima, nisi ille qui habet sit maximus, qui nullum supra se habeat, sed omnes sub se. Ei enim qui supra se aliquem habet, majus est et melius conjungi superiori quam supplere defectum inferioris. Et ideo quantum ad hominem, qui habet Deum superiorem, charitas, per quam Deo unitur, est potior quam misericordia, per quam defectus proximorum supplet. Sed inter omnes virtutes quæ ad proximum pertinent, potissima est misericordia » (1). — Ceterum, in ipsa charitate formaliter includitur amor proximi propter Deum, radix fecundissima operum beneficentiæ et misericordiæ.

Instabit forsan quispiam, dicendo : Illa virtus excellentior est, qua quis magis assimilatur Deo ; atqui homo Deo fit similior per misericordiam, juxta illud : estote misericordes,

---

et charitatem *S. Augustinus* hæc scribit : « Quia scientia inflat, charitas ædificat (I Cor. VIII, 1). Et tunc scientia non inflat, quando charitas ædificat. Et cum sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum majus, non sic justitiam nostram super laudem justificatoris nostri extollat, ut horum duorum quod minus est, divino tribuat adjutorio, quod autem majus est, humano usurpet arbitrio » (*Liber de gratia Christi*, c. XXVI, n. 27. P. L., t. XLIV, c. 374). « Huic (charitati) subservit scientia cum est utilis ; nam sine illa inflat (I Cor. VIII, 1) : quod vero illa ædificando impleverit, nihil ibi ista inane quod inflet, inveniet ». (*Epist. 167* (al. 29) ad Hieronymum, n. 11. P. L., t. XXXIII, c. 737).

(1) IIª IIæ, q. XXX, a. 4, corp.

sicut Pater vester misericors est ; unde maxima virtutum est misericordia.

Respondet S. Thomas : « quod per charitatem assimilamur Deo, tanquam ei per affectum uniti ; et ideo potior est quam misericordia, per quam assimilamur Deo secundum similitudinem operationis » (1).

III. Tandem charitas extollitur præ illis virtutibus quas errorum Americanismi et Modernismi discipuli sub nomine virtutum « activarum » præter modum efferunt et quibus « passivas » opponunt. Hæ quidem, aiunt, ut affectus charitativus in Deum, humilitas, abnegatio, elapsis ætatibus melius convenerunt ; illæ autem moderno ævo magis congruunt, eo quod hominem paratiorem ad agendum et magis strenuum faciant, ideoque « modernæ » virtutes vocari possunt.

Hæc sententia non semel hisce ultimis annis a suprema Auctoritate Ecclesiæ reprobata est (2). Nec mirum : enimvero talis distinctio virtutum christianarum in duo quasi genera nullo nititur fundamento.

« Virtus enim quæ vere *passiva* sit, ait Leo XIII in Epistola *Testem benevolentiæ*, nec est nec esse potest. Virtus, sic sanctus Thomas, nominat quandam potentiæ perfectionem; finis autem potentiæ actus est ; et nihil aliud est actus virtutis, quam bonus usus liberi arbitrii (3), « adjuvante utique Dei gratia si virtutis actus supernaturalis sit ».

Imo, dictas virtutes *passivas* valde operativas esse, docet experientia vitæ christianæ. « Quas utinam virtutes, ita idem Pontifex, multo nunc plures sic colerent, ut homines san-

(1) Ibid., ad 3.

(2) Reprobata est ex professo a Leone XIII in Litteris *Testem benevolentiæ*, quibus, die 22 Januarii 1899, Americanismi placita proscripsit ; reprobata a Pio X, tum in Encyclica *Pascendi*, die 8 Septembris 1907, contra Modernismum data, tum in Exhortatione *Hærent animo*, die 4 Augusti 1908 ad clerum catholicum missa.

(3) Ia IIæ, q. LV, a. 1.

ctissimi præteritorum temporum ! Qui demissione animi, obedientia, abstinentia, *potentes* fuerunt *opere et sermone*, emolumento maximo nedum religiosæ rei, sed publicæ ac civilis ». Et quidem hoc præsertim verum est de charitativa in Deum dilectione, qua nulla magis virtus in actus externos prorumpit : nam, ut ait S. Gregorius, « probatio charitatis, exhibitio operis ». Unde non solum elapsis sæculis, sed nostra etiam ætate excellentiam suam servat charitas.

QUÆSTIO II

DE CHARITATE FORMA VIRTUTUM

INTRODUCTIO

Propositio « charitas est forma virtutum » non invenitur, prout sonat, ante ævum scholasticum.

S. Thomas (1) non semel eam attribuit S. Ambrosio, sed erronee. Textus quibus alludit non sunt Ambrosii, sed ignoti auctoris qui dicitur Ambrosiaster ; et hic charitatem non vocat « formam virtutum », sed « matrem omnium bonorum » (2) et in alio loco « fundamentum omnium virtutum et bonorum » (3).

Apud S. Augustinum legitur : « Hic ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde *formatur* quam cum ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus et proximus » (4). Ex hoc tamen loco vocabulum « forma virtutum » non videtur ortum duxisse.

---

(1) *In III Librum Sententiarum,* Dist. 27, q. 2, a. 4, quæstiunc. 3 ; *Summa Theologica,* IIª IIæ, q. XXIII, a. 8.

(2) *Comment. in Epist. ad Cor. primam,* c. VIII. P. L. t. XVI, c. 226.

(3) *Precationes duæ,* II. P. L., ib., c. 757.

(4) *Epist. 137 (al. 3) ad Volusianum,* c. V, n. 17. P. L., t. XXXIII, c. 524.

Proprie hæc vox ad philosophiam scholasticam pertinet. Primo eam apud Petrum Lombardum invenimus scribentem : « Hæc (fides) est informis qualitas mentis, quæ dicitur informis, quia sociam non habet charitatem, quæ est *forma omnium virtutum* » (1).

Quod autem ad rem significatam attinet, nempe intimam quandam totius vitæ christianæ dependentiam a charitate, id aperte in Traditione SS. Patrum et in ipsa S. Scriptura continetur.

Hanc doctrinam unanimi consensu tenent Doctores Scholastici, inter quos referre sufficit Aquinatem, cujus sententia infra exponitur, S. Bonaventuram (2), Alexandrum Hallensem (3), Scotum (4), Durandum (5).

Post Concilium vero Tridentinum, novæ opiniones propositæ sunt. Hæc Synodus contra Protestantes definivit, bona opera justorum « quæ in Deo fuerint facta » vitæ æternæ meritoria esse (sess. VI, can. 26). Unde quidam Theologi, scopo apologetico, ut videtur, ducti, volentes demonstrare omnia opera bona a justis facta præmio æterno esse condigna, docuerunt omnes virtutes hominis in gratia sanctificante constituti, vel saltem omnes ejusdem virtutes infusas *per se ipsas* perfecte et meritorie agere, *sine ulla relatione ad virtutem charitatis*. Ita nominatim Vasquez († 1604) et Suarez († 1617). Consequenter isti quæstionem de charitate qua forma virtutum habent ut « quæstionem non rerum sed vocum » (Vasquez) (6), vel asserunt non tantum charitatem, sed « etiam gratiam dici

(1) *Collectanea in Epistolas D. Pauli. In Ep. ad Rom. VI.* P. L., t. CXCI, c. 1324. — In *Libro III Sententiarum*, Dist. 23, scribit, citans textum pseudo-ambrosianum : « Charitas, ut ait Ambrosius, mater est omnium virtutum, quæ omnes informat, sine qua nulla vera virtus est ».

(2) *In III Sent.*, Dist. 23, a. 2, q. 5 ; Dist. 26, a. 1, q. 6.

(3) *In III Sent.*, 3 part., q. 64, membro 3.

(4) *In III Sent.*, Dist. 26, a. 4.

(5) *In III Sent.*, Dist. 23, q. 8.

(6) *Commentarii in Iam IIæ*. Disp. 88, cap. I.

posse formam virtutum » (Suarez) (1). Verum hujusmodi placita tunc nova erant. Theologus coævus Tanner († 1632) sententiam Suarezii vocat « novam potius et ingeniosam quam veram » (2), et Vasquez ipse eandem « aliquot recentioribus » attribuit (3).

Eodem tamen et subsequenti tempore, Scholasticorum doctrinam de charitatis in omnes virtutes regimine tenent insignes Theologi ad diversas omnino scholas theologicas pertinentes, etsi vario modo eandem exponunt ; nominatim Beatus Bellarminus (in opere anno 1581 edito) (4) et Laymann († 1635) (5), uterque Societatis Jesu, doctores Salmanticenses ordinis Carmelitani (1631) (6), Sporer († 1714) ordinis Fratrum Minorum, Scoti discipulus (7), Billuart († 1757) ordinis Prædicatorum (8).

Recentiores Theologi plerique, ut opera theologica moderna legentibus patet, in tractatu quidem de charitate, vel indicant uno tantum verbulo charitatem esse formam virtutum, vel imo hanc classicam sensuque plenam locutionem ignorare videntur, in aliis vero locis, v. g. ubi conditiones meriti vel relationem bonorum operum in Deum explanant, sententiam veterum Doctorum fere communiter relinquunt, ita ut quæ magni momenti res est, hodiedum ut mera quæstio vocum plerumque habeatur (9).

---

(1) *Tractatus de charitate.* Disp. III, sect. I, n. 5.

(2) *De gratia,* Disp. VI, q. 6, dub. 4. Cf. WIGGERS, *In I*am *II*æ, q. 114, a. 4, n. 62.

(3) VASQUEZ, *l. c.*

(4) *Disputationes de controversiis christianæ fidei. De Justificatione.* L. V. c. 15.

(5) *Theologia moralis.* L. II, Tract. III, *De Charitate,* c. I.

(6) *Cursus theologicus. Tractatus de Charitate,* Disp. VII, dub. III. *Tractatus de Merito,* Disp. IV.

(7) *Theologia moralis decalogalis et sacramentalis.* Tract. II, cap. V, sect. I, n. 150 ss.

(8) *Cursus theologiæ universalis. Tractatus de Gratia,* Diss. VIII, art. IV. *Tractatus de Charitate,* Diss. I, art. IV.

(9) Loquimur de Theologis qui ex professo tractatus dogmaticos vel morales

Itaque operæ pretium videtur, novo examine inquirere an et quonam sensu realissimo *virtus theologica charitatis forma ceterarum virtutum in præsenti ordine supernaturali dici possit et debeat.*

Quid hoc effatum ad mentem Scholæ, cujus vox « forma » est propria, significet, summatim sequentibus Angelici verbis indicatur : « In moralibus forma actus attenditur principaliter ex parte finis. Cujus ratio est, quia principium moralium actuum est voluntas ; cujus objectum et quasi forma est finis. Semper autem forma actus consequitur formam agentis. Unde oportet quod in moralibus id quod dat actui ordinem ad finem, det ei et formam. Manifestum est autem... *quod per charitatem ordinentur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem ; et secundum hoc ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum : et pro tanto dicitur esse forma virtutum :* nam et ipsæ virtutes dicuntur in ordine ad actus formatos » (1).

CAPUT I

FUNDAMENTALIA QUÆDAM PRINCIPIA.

SUMMARIUM. — I. Fundamentum moralitatis *actuum humanorum consistit in conformitate cum natura rationali adæquate spectata vel, quod in idem incidit,* in convenientia cum fine ultimo. *Hæc generalis norma in concreto applicatur considerando tria*

---

ediderunt. Econtra quidam Auctores moderni qui potius rebus asceticis vel mysticis student, veterem doctrinam tenent. Cf. CARDINAL MERCIER. *Œuvres pastorales.* T. II, p. 241. T. III, 287. Bruxelles, 1913. J. SCRIJVERS, *Les principes de la vie spirituelle,* p. 36 s. Bruxelles, 1912. H. MAHIEU. *Probatio Charitatis,* p. 40 s. Brugis, 1923. P. ADOLPHUS O. M. C. *Compendium Theologiæ asceticæ.* T. I, p. 657 ss. Herenthals, 1921.

(1) *Summa Theol.,* IIª IIæ, q. XXIII, a. 8, c.

principia moralitatis *quæ sunt : objectum formale, circumstantiæ, finis operantis. Ex his principiis oritur non tantum moralitas generica, sed et specifica actus humani.*

Virtutes *morales specie distinguuntur ex objecto suo formali seu fine suo proprio, ultra quem pertingere non valent.*

II. *Inter statum hominis naturalem, qui est hypotheticus, et statum supernaturalem, qui est historicus, intercedit differentia* essentialis.

In priore statu, finis ultimus consistit in perfectione cognitionis Dei naturalis, i. e. abstractæ et analogicæ, et amoris Dei correspondentis. Actus boni et virtutes naturales ad illum finem sponte sua proportionem habent. Virtutes theologicæ non existunt ; unde maxima virtutum dicenda est religio.

Econtra in statu supernaturali, finis ultimus, utpote ordinis divini, excedit omnem proportionem naturæ creatæ. Et quum homo hunc finem mereri debeat actibus ipsi fini condignis et æquivalentibus, requiritur ut in se ipse transformetur, quod fit per infusionem gratiæ et charitatis : unde actus ipsius « perfecti » et virtutes « formatæ » fiunt.

ARTICULUS I

De principiis bonitatis moralis in genere spectatæ.

1° De actibus moralibus.

De fundamento moralitatis actuum humanorum adversarii christianæ philosophiæ theorias maxime diversas adstruere conati sunt : quas præterimus, utpote ad scopum nostrum non pertinentes.

In scholis vero catholicis solent proponi duæ sententiæ, quæ prima specie omnino distinctæ videntur. Alii contendunt principium objectivum bonitatis moralis consistere formaliter in conformitate actus cum natura rationali adæquate spectata ; alii volunt eam potius fundari in convenientia actus cum fine ultimo.

At dicendum videtur hanc controversiam, si ambæ sen-

tentiæ rite et ad mentem scholasticorum intelligantur, otiosam esse et sine fundamento. Et re quidem vera, bonitas moralis dici potest consistere in conformitate actus humani cum natura rationabili adæquate spectata : etenim « unicuique est bonum, id quod est sibi connaturale et proportionatum » (1). Etiam dici potest consistere in convenientia actus humani cum fine ultimo hominis : etenim « bonitas voluntatis dependet ex intentione finis. Finis autem ultimus voluntatis humanæ est summum bonum, quod est Deus. Requiritur ergo ad bonitatem humanæ voluntatis quod ordinetur ad summum bonum » (2).

S. Thomas utrumque principium passim adstruit et indifferenter adhibet : unde, in gratiam tam unius quam alterius sententiæ plurimi ejus textus allegari possunt. Et hoc mirum non est : utrumque enim principium revera in unum idemque recidit. Ad mentem Angelici, « natura nihil est aliud quam ratio cujusdam artis, scilicet divinæ, indita rebus, qua ipsæ res moventur ad finem determinatum » (3) ; speciatim, natura humana nihil aliud est quam essentia divinitus homini data prout dicit principium operandi in ordine ad finem ultimum. Proinde, omnis actus qui naturæ convenit, eo ipso ad finem proportionem habet ; et vicissim, omnis actus fini conformis, etiam naturæ congruit (4).

Utrovis igitur modo moralitatis fundamentum enuntietur, hoc saltem manet invictum : *actus, ut moraliter bonus sit, dicat oportet habitudinem ad finem ultimum.* Et hæc veritas magnopere ad quæstionem nostram refert.

Ut generalis hæc norma magis determinetur et in concreto applicetur, varia elementa considerari possunt et de-

(1) Ia IIæ, q. XXVII, a. 1.
(2) Ia IIæ, q. XIX, a. 9, corp.
(3) *In II Phys.*, lect. 14.
(4) Alia etiam regula bonitatis moralis invenitur apud S. Thomam : nempe conformitas ad voluntatem divinam. Cf. Ia IIæ, q. XIX, a. 9 ; *De veritate*, q. XXIII, a. 7 et 8. — Hæc tertia regula facile ad priores reducitur.

bent, quæ *fontes* seu *principia moralitatis* appellari solent.

« In actione humana, ita S. Thomas, bonitas quadruplex considerari potest : una quidem secundum genus, prout scilicet est actio, quia quantum habet de actione et entitate, tantum habet de bonitate (1) ; alia vero secundum speciem, quæ accipitur secundum *objectum* conveniens ; tertia secundum *circumstantias*, quasi secundum accidentia quædam ; quarta autem secundum *finem*, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam. Nihil prohibet actioni habenti unam prædictarum bonitatum deesse aliam ; et secundum hoc contingit actionem quæ est bona secundum speciem suam, vel secundum circumstantias, ordinari ad finem malum, vel e converso. Non tamen est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quia « quilibet singularis defectus causat malum ; bonum autem causatur ex integra causa », ut Dionysius dicit » (2).

Exempli gratia, dare eleemosynam, per se loquendo, est actus bonus ; sed dare eleemosynam ex re aliena, est actus malus, quia adest circumstantia in objecto quæ pervertit naturam actus ; item, dare eleemosynam ex re propria sed formaliter ob vanam gloriam, est actus malus, quia deficit secundum finem.

Itaque, juxta tria principia proxima judicandum est de bonitate vel malitia actus humani, scilicet : 1° secundum *objectum* ad quod terminatur, et hoc intelligitur non objectum materiale, sed *formale ;* 2° secundum circumstantias ; 3° secundum *finem* intentum, qui hodiedum vocari solet *operantis*.

Juxta eadem tria principia determinantur diversæ *species* boni vel mali moralis. Omnis enim actus bonus ultimo fundamento bonitatis congruit, sed alia et alia ratione ;

(1) Intelligitur bonitas ontologica, potius quam moralis, quæ etiam in actu peccaminoso invenitur.

(2) Ia IIæ, q. XVIII, a. 4.

similiter, omnis actus malus eidem opponitur, sed diversa ratione. Actus bonus conformatur primæ normæ, in quantum ad tale vel tale objectum formale huic proportionatum terminatur, in talibus vel talibus circumstantiis debitis ponitur, ad talem vel talem finem proximum ordinatur. E converso dicendum est de actu malo. Verbi causa, reddere debitum *Deo*, reddere debitum *parentibus*, reddere debitum alteri *creditori*, sunt tres actus boni specie diversi, quia terminantur ad tria objecta formaliter distincta ; primus est *religionis*, secundus *pietatis*, tertius *justitiæ*.

Exinde intelligitur etiam quomodo unus actus quandoque varias species morales induere possit.

Enimvero in omni actione humana, etiam exteriori, ut elementum formale habetur actus voluntatis. « Id quod est ex parte voluntatis, ait Angelicus, se habet ut formale ad id quod est ex parte exterioris actus ; quia voluntas utitur membris ad agendum sicut instrumentis, neque actus exteriores habent rationem moralitatis, nisi in quantum sunt voluntarii » (1). Quum autem objectum actus voluntatis proprie sit finis, actus voluntatis accipit speciem a fine sicut a proprio objecto.

Atqui voluntas sistere potest in objecto formale ad quod actus natura sua tendit (finis operis), et tunc species moralis desumitur tantum ex objecto formali proprio; vel, præter finem operis connaturalem et proximum, ad unum vel plures fines ulteriores (finis operantis) vergere potest, et tunc species moralis non tantum ex objecto formali oritur, sed etiam, et quidem principaliter, ex fine vel finibus operantis. Ita, dare eleemosynam ut subveniatur necessitatem patienti, est actus misericordiæ ; idem facere propter Deum in proximo dilectum, est actus non tantum misericordiæ, at formaliter charitatis ; in quantum miseratio indigentis ordi-

(1) Ia IIæ, q. XVIII, a. 6.

natur ad satisfaciendum Deo pro culpa, est actus tam misericordiæ quam principaliter pœnitentiæ ; secundum autem quod ordinatur ad colendum Deum, actus misericordiæ superinduit speciem religionis, et sic porro (1).

2° De virtutibus.

Hæc principia quæ regunt bonitatem moralem *actuum* humanorum, applicantur etiam habitibus seu *virtutibus* moralibus. Virtutes enim, sive naturales et acquisitæ, sive supernaturales et infusæ, essentialiter ordinantur ad agendum bonum : nihil sunt aliud ac qualitates quibus homo disponitur ad bene operandum et quibus ipse bonus efficitur.

Unde, quemadmodum morales actus, ita principia actuum diversificantur et specie distinguuntur, quatenus referuntur et determinantur ad varias species boni. « Cum virtus ordinetur ad bonum, ait S. Thomas, ubi est specialis ratio boni, ibi oportet esse specialem virtutem » (2). Talis specialis ratio boni dicitur *objectum formale* virtutis, quatenus virtus ad eam terminatur ; dicitur etiam *finis* ipsius, quatenus in ea sistit. Ita, exempli causa, *religio* colit Deum ut creatorem, gubernatorem et dominum omnium ; *justitia* reddit alteri debitum, utpote stricto jure illi connexum ; *pietas* honorat parentes, utpote genitores et educatores nostros ; *temperantia* moderatur appetitum sensitivum concupiscibilem quoad delectationes corporeas, quatenus regulæ rationis et legi divinæ repugnantes ; et sic aliæ virtutes versantur circa alia bona. Uniuscujusque igitur virtutis ambitus, intra quem agere valet, restringitur ad limites objecti formalis stricte determinati : et hoc est finis proprius ac singularis ultra quem virtus, qua talis virtus est, nequaquam tendere et attingere potest.

(1) Cf. IIa IIæ, q XXXII, a. 1. — Legatur S. Francisci Salesii *Traitté de l'amour de Dieu*, L. XI, ch. XIII, ubi similia pulcherrime explanat. *Œuvres de S. François de Sales*, éd. Annecy, 1894, t. V, p. 285.

(2) IIa IIæ, q. LXXXI, a. 4, corp.

Ut autem hoc objectum determinatum, hic finis specialis veram et perfectam bonitatem moralem habeat, manifestum est, secundum supra dicta, quod debeat convenientiam et proportionem habere ad finem ultimum hominis. Unde, etiamsi virtus ordinatissima sit respectu objecti sui proprii et specialis, tamen simpliciter vera et perfecta virtus dici non potest, quæ tandem aliquando ad finem ultimum non ordinatur. Quonam modo hæc ordinatio fiat, id postea exponetur.

ARTICULUS II

De differentia essentiali inter statum naturalem et statum supernaturalem.

1° De ordine morali naturali.

Conditio historica in qua genus humanum inde a creatione Adami vivit, non est conditio naturalis, sed ambitum naturæ creatæ qua talis in immensum excedit.

In statu connaturaliter sibi debito, homo tendere debuisset ad finem ultimum essentialiter diversum ab ultimo fine qui ipsi in ordine præsenti assignatur. Tendere debuisset, per bonum usum suarum facultatum et exercitium virtutum naturalium, ad naturalem quandam cum Deo unionem qua summe beatus fuisset. Unio hæc facta fuisset per cognitionem perfectissimam perfectissimumque amorem, sed per cognitionem abstractam et analogicam « per speculum in ænigmate », ejusdem speciei quam in via, et per amorem qui tali cognitioni subsequitur ac correspondet.

Eadem in hypothesi, ordo moralis, quum sit via ad terminum, connaturaliter ad ultimum finem se habuisset. Porro actus bonus, eo ipso quod specie sua propria honestus est, scilicet ad objectum rationi conforme terminatur, debitis in circumstantiis ponitur, et ad finem proximum convenientem

dirigitur, simpliciter et perfecte bonus est : omnia enim requisita ad perfectam bonitatem moralem adsunt, nec aliquod elementum cogitari potest secundum quod a perfectione deficiat.

Idem dicendum est de actuum principiis seu virtutibus. Singulæ, intra limites proprios in vita morali ipsis assignatos, munus suum conducendi hominem ad ultimum finem revera adimplere possunt ; ex concentu omnium habetur perfecta harmonia, ex omnium actione producitur perfecta proportio, ita ut a minima virtute ascendens ad maximam homo, secundum rationis ductum vivens, naturaliter ad finem suum ordinetur ac progrediatur.

In hoc statu, inter omnes virtutes eminuisset *religio*.

Virtutes quæ theologicæ nuncupantur, prorsus non exstitissent : non solum enim supernaturaliter a Deo infunduntur, sed præsertim, utpote in Deum ipsum qua formale objectum ordinatæ, quamdam cum ipso unionem intimam dicunt, quæ omnia creata transcendit et proinde in naturali ordine haberi non potest. In culmine igitur vitæ moralis ut prima virtutum ponenda fuisset religio ; non quia religio attingit ipsum Deum formaliter, ut virtutes theologicæ, sed quia *finis cui* immediate refertur est ultimus finis, Deus. « Religio, ait Angelicus, magis de propinquo accedit ad Deum quam aliæ virtutes morales, in quantum operatur ea quæ directe et immediate ordinantur in honorem divinum » (1).

Quamobrem non possumus consentire R. P. Castelein scribenti : « In ipso ordine naturali apparet amor Dei tanquam virtus omnium perfectissima. Deus enim creavit ex amore ; amor proinde est perfectio divina quam Deus voluit splendidius manifestare in rerum ordine atque actu congruo melius agnosci a suis creaturis. Jam vero actus congruus quo melius agnoscitur amor Dei erga nos est amor noster erga Deum...

(1) IIa IIæ, q. LXXXI, a. 6, corp.

Quamobrem, amor Dei, consideratus ut motivum formale reliquarum virtutum, eas omnes perficit principio et complemento, quo nullum aliud sit magis perfectum » (1).

Atvero, in ordine *naturali*, id quod primo et principaliter est homini recognoscendum, non est Dei paternitas vel summa amicitia erga hominem, sed transcendentalis ejus excellentia, qua creatoris, supremi domini ac gubernatoris, qui sane amandus sit, sed imprimis honorandus et colendus per virtutem religionis. In ordine autem supernaturali, illa doctrina vera est quatenus intelligitur de *charitate theologica*, ut statim dicetur.

Præterea, quod religio in statu naturali perfectissima est virtutum, hoc dictum sit de sola principalitate honoris seu dignitatis. Potest utique actus aliarum virtutum moralium imperare et ita eas sua specie morali superinduere, quod et ceteræ ad invicem facere possunt ; sed nullum in ceteras influxum *per se* exercere debet, ut hæ in ratione veræ et perfectæ virtutis constituantur et in finem ultimum ordinentur.

2° De ordine morali supernaturali.

Illa omnia respiciunt statum aliquem mere hypotheticum. Ab exordio autem generis humani, Deus hominem evehere dignatus est ad ordinem supernaturalem, omnes vires omnesque exigentias totius naturæ creatæ transcendentem. (2) Præsignavit ipsi, non jam finem ad quem natura essentialem proportionem, strictam convenientiam, intimam exigentiam habet et quem viribus propriis attingere potest ; sed eum

(1) A. Castelein. *Institutiones philosophiæ moralis et socialis.* p. 132. Lovanii, 1908.

(2) De constitutione objectiva ordinis supernaturalis, legantur quæ pulcherrime scribit Cardinalis Mercier, *La vie intérieure*, p. 373-401. Bruxelles, 1918.

destinavit ad mirabilem illam cum Deo unionem quæ visione beatifica completur, ad consortium scilicet ipsissimæ vitæ divinæ, quatenus homo particeps redditur actuum intellectus et voluntatis in quibus vita divina formaliter consistit. « Scimus quoniam cum apparuerit, *similes ei erimus* : quoniam videbimus eum sicuti est » (1).

Revera, visione beatifica, intellectus humanus, ipsa divina essentia informatus, cognoscit Deum ad modum quo Deus se ipse cognoscit, Deum ipsum immediate attingit, non « per speculum in ænigmate », sed « facie ad faciem » (2) ; voluntas humana amat Deum ad modum quo Deus ipse se amat, divinæ bonitati ut objecto formali unitur et inhæret, ita ut beatificus ille dilectionis actus ipsa Dei bonitate determinetur et specificetur. « Consequimur (Deum), inquit S. Augustinus, non cum hoc omnino efficimur quod est ipse, sed ei proximi, eumque, mirifico et intelligibili modo contingentes, ejusque veritate et sanctitate penitus illustrati atque comprehensi. Ille namque ipse lumen est ; nobis autem ab illo illuminari licet » (3).

Porro, ut patet, talem finem homo per vires suas proprias obtinere nequit. Via naturalis non conducit ad terminum supernaturalem. Ordo moralis qui convenientiam et proportionem dicit ad naturam qua talem et ad ultimum finem naturalem, aptitudinem non habet ad ineffabilem vitæ divinæ participationem in visione beatifica consequendam, nisi in se ipse transformetur et perficiatur.

Atvero oportet vita humana sit iteratio conducens ad hunc terminum ; oportet gloria cœlestis evolvatur ex actibus hujus viæ, sicut arbor ex semine et lux meridiana ex radiis matutinis. Etenim, fide docente, homo beatitudinem suam debet

(1) *I Joan.*, III, 2.
(2) *I Cor.*, XIII, 12.
(3) *De moribus Ecclesiæ Catholicæ et de moribus Manichæorum*, L. I, n. 18. P. L. t. XXXIII, c. 1319.

mereri *de condigno*, id est, eam obtinere actibus ipsi fini condignis, proportionatis et æquivalentibus.

Et hoc verificatur. In justificatione nimirum, qua misericordissimus Deus ex meritis Christi Redemptoris nos donat, principium aliquod divinum recipimus, quo jam connaturaliter nos habemus ad ultimum nostrum finem divinum. Docente S. Scriptura, sperare possumus gloriam cœlestem, eo quod habemus charitatem Dei diffusam in cordibus nostris : « gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei... Spes autem non confundit : quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis » (1). Per hanc donationem charitatis Spiritus Sancti, consequimur adoptionem filiorum (2) ; filii Dei nominamur et sumus (3) ; nascimur ex Deo, ex Deo sumus et semen ipsius in nobis manet (4). Quum habemus hoc semen divinum in nobis, quasi sponte erumpit actus amoris charitativi erga Deum, « in quo clamamus : Abba (Pater) » (5).

Hac igitur charitate indutus seu potius intime transmutatus, homo recta jam via tendere valet ad finem supernaturalem, qui ipsi assignatur attingendus. Proportionem, quæ per se deficit, finem istum inter et moralem ordinem, complet et perficit charitas, non tantum quatenus animam justi penitus transformat, sed etiam quatenus actus bonos et virtutes omnes superinduit sua forma, ordinando ea ad finem supernaturalem. Et sic jam delineatur aliquomodo munus virtutis theologicæ charitatis, qua ultimi principii bonitatis moralis in præsenti ordine.

Quum status supernaturalis non destruat ordinem naturalem nec pervertat, sed elevet et perficiat, actus humanus qui ex objecto, circumstantiis et fine honestus est, in se moraliter

(1) *Rom.* V, 2, 5.
(2) *Rom.* VIII, 15 ; *Gal.* IV, 5.
(3) *I Joan.* III, 1.
(4) *I Joan.* III, 9 s.
(5) *Rom.* VIII, 15 ; *Gal.* IV, 6.

bonus est et manet ; sed sine charitate, non est *perfecte bonus*, « quia, ait S. Thomas, deest debita ordinatio ad ultimum finem ». Similiter, virtus non amittit naturam habitus boni ; sed sine charitate, non est *simpliciter vera*, « quia deest debita ordinatio ad ultimum finem » (1).

Si probatur bonos actus et virtutes ad finem supernaturalem ordinandos esse per charitatem, hæc vere dicenda est in præsenti ordine supremum quoddam bonitatis moralis principium, quum bonitas perfecta requirat perfectam convenientiam seu proportionem ad ultimum finem.

CAPUT II

VIRTUTES SOLA CHARITATE AD FINEM ULTIMUM ORDINANTUR.

SUMMARIUM. — I. *Magnopere interest recta* positio quæstionis. *Quum homo finem ultimum obtinere debeat, non per naturam ontologice spectatam, sed per actus seu exercitium virtutum, quærendum est, non quomodo natura ordinetur, sed quomodo actus et virtutes : non agitur de ordinatione* objectiva *animæ per gratiam sanctificantem, sed de* subjectiva *operativarum virtutum per charitatem. Ita quæstio ponitur non tantum a S. Thoma, qui charitatem realiter a gratia sanctificante distinguit, sed etiam a Scoto qui eas nonnisi ratione discernit.*

II. *Argumentum propositionis deducitur, cum S. Thoma, ex hoc principio : sola charitas ordinatur* per se *ad ultimum bonum, ceteræ virtutes non per se ; proinde ut ordinentur ad ultimum finem, requiritur ut ordinentur a charitate. Inde explicatur quonam sensu charitas dicatur virtutum* forma ; *et quomodo habenda sit* supremum principium bonitatis moralis *in ordine præsenti.*

III. *Ordinatio virtutum ad finem charitatis, qua charitas dicitur forma virtutum, reducitur ad causalitatem* efficientem, *non vero ad causalitatem intrinsecam seu essentialem. Hæc est doctrina S. Thomæ. — Admitti nequit sententia Salmanticensium, nec theoria a recenti auctore proposita.*

(1) IIa IIæ, q. XXIII, a. 7.

ARTICULUS I

Quonam modo quæstio ponenda sit.

Virtutes ut sint simpliciter veræ, debent habere ordinationem ad finem supernaturalem. Atqui hanc ordinationem non habent nisi a charitate.

En summa doctrina explananda.

Prior propositio omnibus Theologis evidens est. Difficultas autem jacet in altera. Ad quam declarandam, imprimis multum juvat statum quæstionis recte et accurate poni.

Ordinatio de qua agitur non est consideranda ut ontologica tantum et objectiva, qua nempe homo, ut ens humanum, *in statu* ad finem proportionato *ponitur*, sed præsertim ut moralis et, ut ita dicam, subjectiva, qua homo, ut moraliter operans, in ordine ad finem *operatur*. Versamur enim hic in re morali et inquirimus, non quomodo homo ontologice seu entitate sua sese ad finem supernaturalem habeat, sed præcise quomodo bene operando finem suum adipisci possit. Hunc enim mereri debet per liberum usum potentiarum suarum seu exercitium virtutum : quæstio nostra agitur circa elementum requisitum ut hoc virtutum exercitium ordinationem ad finem ultimum habeat.

Ex hac consideratione sequitur, responsum verum esse, at plane insufficiens, quo dicatur homo ad finem supernaturalem ordinari *per gratiam sanctificantem*. Verum est, inquam : nam per gratiam habitualem homo formaliter efficitur filius Dei adoptivus, ex Deo nascitur, semen divinum in se habet. Insufficiens tamen : quia ita nondum explicatur quomodo semen divinum in eo *vivat et crescat* ad plenitudinem vitæ cœlestis. Addendum nempe est, semine hoc ipsas humanas facultates compenetrari atque transmutari, in quibus sese exserit variis habitibus seu virtutibus supernaturalibus : et tunc

demum quæstio nostra ponitur, quomodo virtutes illæ supernaturales *in operando* ordinentur ad finem ultimum ; scilicet, utrum in ordine ad finem ultimum operari valeant independenter ab influxu charitatis, an econtra charitatis imperio aliquomodo subjiciantur.

Similiter, si philosophus, interrogatus quonam modo homo ordinetur ad finem ultimum naturalem, respondeat illum ordinari natura ipsius, quatenus est principium movens ad finem, veritatem quidem dicit, sed non plenam. Natura enim movet in ordine ad finem, mediantibus variis animæ potentiis, inter quas eminet voluntas. Unde ulterius quæri debet, utrum omnes potentiæ operentur ad finem independenter ab invicem, an potius sub imperio voluntatis. Respondet sana philosophia potentias moveri a voluntate, quatenus eas dirigit ad finem suum proprium qui est bonum absolutum.

Eadem quæstio ponitur in ordine supernaturali. Gratia sanctificans consideratur ut natura, dans primum esse supernaturale ; non est immediate operativa, sed operatur mediantibus virtutibus supernaturalibus, quæ simul cum ea infunduntur et ab ea tanquam potentiæ et facultates ipsius dimanant (1). Hoc posito, quæritur utrum gratia æque primo per omnes virtutes infusas in ordine ad ultimum finem operetur, an potius, sicut natura per voluntatem, primo operetur per charitatem cujus influxu ceteræ ordinentur (2).

Bene notetur præscindendum hic esse ab altera quæstione, scilicet utrum gratia sanctificans realiter a charitate distinguatur, an ratione tantum. Sententia hodie longe communior docet, cum S. Thoma, contra Scotum, veram ac realem distinctionem, licet teneat, quod de fide est, indivulsam inseparabilitatem : hæc doctrina præsertim ex eo commendatur,

(1) Cf. Cardinal Mercier. *La vie intérieure*, p. 387-392.

(2) Cf. Salmanticenses. *Cursus theologicus. Tractatus de Merito*, Disp. IV, Dub. I, n 6.

quod inde patet ordinem supernaturalem perfecte aptari naturali hominis constitutioni, in qua facultates operativæ ab essentia realiter distinguendæ videntur. Quidquid autem sit, nihil omnino refert ad nostram quæstionem de ordine inter virtutes infusas. Etenim, etiamsi dicatur gratia sanctificans realiter idem quid ac virtutes, oportet ratione saltem distinguantur, quum habitus operativi supernaturales, nostro concipiendi modo et quidem cum fundamento in re, non sint idem ac natura supernaturalis. Præterea ipsi habitus ab invicem sunt discernendi, cum fides non sit spes, nec spes sit charitas, nec prudentia religio, nec castitas misericordia, et sic porro. Unde quæstio redit, utrum hæ virtutes ordinem ad finem habeant independenter a charitate necne.

Revera Doctor Subtilis hanc quæstionem eodem prorsus modo ac Angelicus ponit ac solvit, etsi ab hoc prorsus dissentit quoad distinctionem gratiæ et virtutum. Quod notatu dignum est. Cum enim Scotus, ad rem quod attinet, nonnisi unum donum supernaturale admittat, obvium ei fuisset dicere singulas virtutes infusas per se ipsas, quatenus sunt ipsa gratia sanctificans, ordinari ad finem supernaturalem. Sed ita rem considerasset sub aspectu objectivo, qui ad præsentem quæstionem non refert. Moralem autem rei aspectum considerans, Scotus docet, ut S. Thomas, agmen omnium virtutum ad finem ultimum ordinari sola charitate, ceterarum forma ac fine.

Quæstio igitur ponenda est sequenti modo : an, quemadmodum in naturalibus voluntas movet ceteras potentias easque ad finem suum dirigit, ita in supernaturalibus charitas moveat omnes alias virtutes, quatenus eas ordinet in finem suum proprium seu bonum supremum divinum ?

Ad rem S. Thomas : « Quidam dixerunt quod *ipsa gratia* est forma fidei et aliarum virtutum, non autem aliqua alia virtus, nisi quatenus ponunt gratiam esse idem per essentiam

cum virtute. Sed *hoc esse non potest ; sive enim gratia et virtus per essentiam differant, sive ratione tantum*, gratia ad essentiam animæ respicit, virtus autem ad potentiam. Quamvis autem essentia sit radix omnium potentiarum, tamen non ex æquo omnes potentiæ ab essentia fluunt ; cum quædam potentiæ sint naturaliter aliis priores, et alias moveant. Unde oportet quod etiam habitus in inferioribus viribus formentur per habitus qui sunt in superioribus ; et sic ab aliqua virtute superiori debet esse inferiorum virtutum formatio, *non a gratia immediate*. Unde quasi communiter dicitur, quod charitas, quasi præcipua virtutum, sit aliarum virtutum forma, *non solum in quantum vel est idem cum gratia, vel habet gratiam inseparabiliter annexam, sed etiam ex hoc ipso quod est charitas* » (1). Dein, ad quandam objectionem respondet : « Non potest esse quod actus fidei sit formatus a gratia, et non a charitate, quia *gratia non habet ordinem ad actum, nisi charitate mediante* » (2).

Quid mente Angelici clarius ? Cui si juxtaponas sententiam modernorum qui docent virtutes informari a gratia habituali, nonne statim discrimen doctrinale luculenter apparet ?

ARTICULUS II

An virtutes sola charitate ordinentur.

Itaque, quæstione rite posita, dicimus virtutes omnes ad finem ultimum sola charitate ordinari.

Hanc propositionem Divus Thomas variis in locis explanat (3).

(1) *De veritate*, q. XIV, a. 5, corp. ; cf. q. XXVII, a. 2, corp.

(2) *Ib.*, q. XIV, a. 5, ad 13.

(3) Cf. *In III Sent.*, dist. XXVII, q. 2, a. 4, q. 3. — *Summa Theologica*, Ia IIæ, q. LXV, a. 2, 3, 4 ; q. LXXI, a. 4, corp. ; q. CXIV, a. 4 ; — IIa IIæ, q. IV, a. 3 ; q. XXIII, a. 7 et 8 ; q. CVIII, a. 2, ad 2. — *De veritate*, q. XIV, a. 5. — *De charitate*, a. 3. — *Quodlibet* XII, a. 22, ad fin.

« Virtus, ita ipse, ordinatur ad bonum. Bonum autem principaliter est finis ; nam ea quæ sunt ad finem, non dicuntur bona nisi in ordine ad finem. Sicut ergo duplex est finis, unus ultimus, et alius proximus, ita etiam est duplex bonum, unum quidem ultimum et universale, et aliud proximum et particulare. Ultimum quidem et principale bonum hominis est Dei fruitio, secundum illud Psal. LXXII, vers. 27 : « Mihi adhærere Deo bonum est » ; et ad hoc ordinatur homo per charitatem. Bonum autem secundarium, et quasi particulare hominis potest esse duplex : unum quidem quod est vere bonum, utpote ordinabile, quantum est in se, ad principale bonum, quod est ultimus finis ; aliud autem est bonum apparens, et non verum, quia abducit a finali bono.

« Sic ergo patet quod virtus vera simpliciter est illa quæ ordinatur ad principale bonum hominis ; sicut etiam Philosophus dicit quod « virtus est dispositio perfecti ad optimum ». Et sic nulla vera virtus potest esse sine charitate.

« Sed si accipiatur virtus secundum quod est in ordine ad aliquem finem particularem, sic potest aliqua virtus dici sine charitate, in quantum ordinatur ad aliquod particulare bonum. Sed si illud particulare bonum non sit verum bonum, sed apparens, virtus etiam quæ est in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, sed falsa similitudo virtutis... Si vero illud bonum particulare sit verum bonum, puta conservatio civitatis, vel aliquid hujusmodi, erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale et perfectum bonum. Et secundum hoc simpliciter vera virtus sine charitate esse non potest.

« Cum finis se habeat in agibilibus, sicut principium in speculabilibus, sicut non potest esse simpliciter vera scientia, si desit recta æstimatio de primo et indemonstrabili principio [scil. contradictoria non esse simul vera], ita non potest esse simpliciter vera justitia aut vera castitas, si desit ordinatio

debita ad finem, quæ est per charitatem, quantumcumque aliquis se recte circa alia habeat » (1).

Ad valorem hujus demonstrationis plene perspiciendum, recoli debet specialis et transcendentalis natura charitatis.

Inter omnes virtutes solæ theologicæ formaliter attingunt ipsum Deum qua finem ultimum supernaturalem, ita ut solæ inter omnes ab ipsa Deitate immediate speciem propriam habeant : fides a Deo summe verace in loquendo, spes a Deo summo bono nobis, charitas a Deo infinito bono in se. Per illas virtutes, proinde, formaliter unimur Deo ; per eas revera inchoamus, in via, ineffabilem illam unionem quam cum Deo habebimus in patria. Ideo illæ virtutes sunt elementum non tantum ordini supernaturali exclusive proprium, hoc sensu quod in ordine naturali concipi non possint, sed etiam prorsus essentiale, hoc sensu quod sine ipsis homo ad finem supernaturalem tendere non possit.

Virtutes igitur theologicæ ponendæ sunt in linea seu ordine divino ; ceteræ autem, quæ morales vocantur, in linea inferiori. Nulla enim earum, nec ipsa religio, etiamsi ut supernaturalis seu infusa consideretur, formaliter et immediate ipsum Deum attingit : secus, simpliciter essent theologicæ, quod unanimi theologorum doctrinæ repugnat.

Virtutes theologicæ econtra immediate prima principia ordinis supernaturalis respiciunt, nempe primum Verum et absolutum Bonum ; se habent ad gratiam eo proportionali modo, quo intellectus et voluntas se habent ad naturam. Si gratia sanctificans considerari potest ut natura supernaturalis, imo ut natura divina participata, fides est in viatoribus hujus naturæ intellectus, charitas ejus voluntas. Moralium vero virtutum infusarum nulla versatur immediate et proprie circa prima ordinis supernaturalis principia, sed omnes circa objecta particularia et fines speciales ; unde comparantur ad gratiam

(1) IIa IIæ, q. XXIII, a. 7, corp. et ad 2.

eo fere modo quo habitus acquisiti ad naturam rationalem (1).

Porro, inter theologicas virtutes sola charitas essentialiter perfecta est ; sola Bonitatem divinam in se attingit atque in ea sistit et requiescit : unde charitas est ipsa unio cum Deo jam inchoata, et quidem secundum eandem speciem actus quam in cœlo.

Fides et spes non constituunt formalem unionem cum Deo ; natura sua ad hanc unionem dilectionis tendunt. Quamvis attingant ipsum Deum finem ultimum, tamen attingunt prorsus imperfecte ; sunt medium ordinatum ad Bonum divinum perfecte attingendum per charitatem. « Fides, dicit S. Thomas, ostendit eum (ultimum finem), spes facit tendere in eum, charitas unit » (2). Quamobrem fides et spes in patria evanescunt, manet autem charitas.

Fidem et spem ex seipsis perfecte non ordinari in Deum, probatur vel ex eo quod consistere possint cum *aversione a Deo* seu peccato mortali ; sola charitas cum hoc esse nequit. Etenim, dicit Angelicus, « charitas importat unionem quandam ad Deum, non autem fides, neque spes. Omne autem peccatum mortale consistit in aversione a Deo,... et ideo omne peccatum mortale contrariatur charitati. Non autem omne peccatum mortale contrariatur fidei vel spei, sed quædam determinata peccata, per quæ habitus fidei vel spei tollitur ; sicut et per omne peccatum mortale habitus charitatis tollitur. Unde patet quod charitas non potest remanere informis, cum sit ultima forma virtutum, ex hoc quod respicit Deum in ratione finis ultimi » (3).

Itaque *sola charitas* ad ultimum hominis finem, qui est Dei fruitio, *per seipsam* ordinatur. En fundamentale et

(1) Cfr. SALMANTICENSES. *Cursus theologicus.* Tr. XVI. *De merito.* Disp. IV, Dub. I, n. 8.

(2) *In I Tim.*, c. I, lect. 2.

(3) *Summa Theologica.* IIa IIæ, q. XXIV, a. 12, ad 5.

inconcussum præsentis quæstionis principium. Si hoc verum est, ceteræ virtutes ad ultimum finem non referuntur nisi mediante charitate ; ordinatio quam ceteræ ad illum habent non potest esse nisi participata a charitate, quæ hanc ordinationem habet per se.

Simile ergo est de charitate, ac de voluntate respectu aliarum facultatum. Inter omnes animæ potentias sola voluntas habet per seipsam ordinem ad bonum seu ad finem ; unde ceteræ ordinem ad bonum habere non valent, nisi participative et dependenter a voluntate, quatenus ab ipsa bono applicantur ; possunt quidem secundum rationem suam propriam recte agere, at si per voluntatem ad bonum non diriguntur, in moralibus recte agere nequeunt.

Simile est de charitate relate ad virtutes, ac de artibus superioribus quæ sunt circa finem respectu inferiorum quæ sunt circa media. Ars ædificativa sola est circa formam domus ; unde ceteræ ad formam domus non ordinantur nisi sub influxu et dependentia illius ; certe ars cœmentaria potest juxta regulas sibi proprias rite et pulchre lapides coacervare, non autem in ordine ad formam domus, nisi in quantum dirigatur ab ædificativa. Dux exercitus solus respicit bonum commune exercitus ; milites possunt strenue pugnare, tribuni debite acies conducere ; nisi agant sub imperio et directione supremi ducis, non bellabunt in ordine ad finem principalem.

Hujusmodi analogiæ, quas a D. Thoma recipimus (1), satis rem explicare videntur.

* * *

Quibus positis, jam intelligitur quonam sensu charitas jure merito dicatur *forma virtutum*.

(1) *De charitate*, a. 3, corp. *Summa Theologica*, Ia IIæ, q. 9. a. 1, corp.

« In moralibus, ita Angelicus, forma actus attenditur principaliter ex parte finis. Cujus ratio est quia principium moralium actuum est voluntas ; cujus objectum et quasi forma est finis. Semper autem forma actus consequitur formam agentis. Unde oportet quod in moralibus id quod dat actui ordinem ad finem, det ei et formam. Manifestum est autem secundum prædicta, quod per charitatem ordinentur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem ; et secundum hoc ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum : et pro tanto dicitur esse forma virtutum ; nam et ipsæ virtutes dicuntur in ordine ad actus formatos » (1).

Attamen charitas non est virtutum forma *essentialiter et constitutive ;* quia non formaliter distingueretur ab aliis, si ipsam rationem virtutis ingrederetur ad modum quo forma pars essentiæ est. Sed est forma potius *effective et extrinsece*, quatenus eis novam quasi speciem superimponit ; unde fit, quod virtutes habeant participative a charitate, quod hæc habet ratione propria (2).

Hæc doctrina genuinam rationem virtutum et specificam ab invicem distinctionem non destruit. Quælibet enim virtus a proprio suo objecto et fine particulari habet suam rationem specificam, qua est hæc virtus et qua ab aliis, imo ab ipsa charitate distinguitur. Attamen charitas, quatenus est forma communis omnium, dici potest virtutes trahere in unam *speciem communem*, secundum quam fiunt ordinatæ ad finem ultimum supernaturalem, condignæ et meritoriæ vitæ æternæ (3).

Hinc charitas, quamvis ratione sua propria sit virtus specialis habens speciale objectum formale, dici potest *virtus generalis :* specialis est « secundum essentiam », dicit S. Thomas,

(1) *Summa Theologica*, IIa IIæ, q. XXIII, a. 8, c.

(2) *Ib.*, ad 1 ; q. IV, a. 3, ad 1 ; *De veritate*, q. XIV, a. 5, ad 1, 3, 4 ; *De charitate*, a. 3, ad 16, 18.

(3) Cf. *De charitate*, a. 3, ad 1, 5, 9, 10.

generalis autem « secundum virtutem ». « Alio modo dicitur aliquid generale secundum virtutem, sicut causa universalis est generalis ad omnes suos effectus, ut sol ad omnia corpora, quæ illuminantur, vel immutantur per virtutem ipsius ; et hoc modo generale non oportet quod sit idem in essentia cum his ad quæ est generale ; quia non est eadem essentia causæ et effectus. Hoc autem modo... charitas potest dici virtus generalis, *in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum divinum* ». Sed « charitas, quæ respicit bonum divinum ut proprium objectum, est quædam specialis virtus secundum suam essentiam » (1).

Eodem sensu quo dicitur virtus generalis, dicitur habere *præceptum generale*, quatenus respicit adimpletionem præceptorum omnium virtutum.

Inde sequiritur, posse « charitatem poni in definitione omnis virtutis, *non* quia sit *essentialiter* omnis virtus, sed quia dependent ab ea aliqualiter omnes virtutes. Sic etiam prudentia ponitur in definitione virtutum moralium, eo quod virtutes morales dependent a prudentia » (2).

Hic parumper consideremus singularem doctrinam S. Francisci Salesii in suo *Traitté de l'amour de Dieu*, L. XI, ch. VIII, ubi exponit « comme la charité *comprend* toutes les vertus » (3).

Postquam dixit hominem respectu boni naturalis præditum esse ratione et virtutibus moralibus quæ a quatuor cardinalibus derivant, hæc scribit : « Mais outre cela, Dieu voulant enrichir les Chrestiens d'une speciale faveur, il fait sourdre sur la cime de la partie supérieure de leur esprit une fontaine surnaturelle que nous appelons grace, laquelle comprend voirement la foy et l'esperance, mais qui consiste toutefois en

(1) *Summa Theologica.* IIª IIæ, q. LVIII, a. 6. c.
(2) IIª IIæ, q. XXIII, a. 4, ad 1 ; coll. Iª IIæ, q. LXII, a. 2, ad 3.
(3) *Œuvres*, ed. Annecy, t. V, p. 262 ss.

la charité, qui purifie l'ame de tous pechés, puis l'orne et l'embellit d'une beauté tres delectable, et en fin espanche ses eaux sur toutes les facultés et operations d'icelle, pour donner a l'entendement une prudence celeste, a la volonté une sainte justice, a l'appetit de convoitise une temperance sacrée, et a l'appetit irascible une force devote, affin que tout le cœur humain tende a l'honnesteté et felicité surnaturelle, qui consiste en l'union avec Dieu. Que si ces quatre courans et fleuves de la charité rencontrent en une ame quelqu'une des quatre vertus naturelles, ilz la reduisent a leur obeissance, se meslant avec elle pour la perfectionner... Mais si la sainte dilection ainsy respandue ne treuve point les vertus naturelles en l'ame, *alhors elle mesme fait toutes les operations selon que les occasions le requierent.* Ainsy l'amour celeste trouvant plusieurs vertus en saint Paul, en saint Ambroyse, saint Denys, saint Pachome, il respandit sur icelles une agreable clarté, les reduisant toutes a son service, mais en la Magdeleyne, en sainte Marie Egyptiaque, au bon larron, et en cent autres telz penitents qui avoyent esté grans pecheurs, le divin amour ne treuvant aucune vertu *fit la fonction et les œuvres de toutes les vertus*, se rendant en iceux patient, doux, humble et libéral... *L'amour celeste comprend en soy la diversité des perfections de toutes les vertus, d'une façon si eminente et relevee qu'elle en produit toutes les actions en tems et lieu, selon les occurrences...* »

Si hæc doctrina ad litteram accipiatur, ut S. Doctor eam proponere videtur, quatenus scilicet charitas exhibetur ut operans per se ipsa, non vero per virtutes infusas, actus aliarum virtutum, deficientibus virtutibus acquisitis, non modo id non efficitur argumentis quæ allegantur, sed etiam maximæ offendit difficultati.

Ad rem probandam adducit S. Franciscus primo verba Apostoli, I Cor. XIII, 4 ss. : « caritas patiens est, benigna est... ». Sed hæc non sunt urgenda, quasi S. Paulus doceat

ipsam charitatem elicere actus omnium virtutum. Dein citat S. Thomam, sed immerito, ut patet ex dictis ; — citat S. Ambrosium : sed verba allegata aliter intelligi possunt, et desumuntur ex *Epistola ad Demetriadem* quæ non habetur ut authentica ; — citat tandem S. Augustini textum celebrem ex opere *De moribus Ecclesiæ Catholicæ :* sed, considerata universa Hipponensis doctrina, cum Angelico potius sentimus dicente in hunc locum : « Si intelligatur de amore charitatis, non datur per hoc intelligi quod quælibet alia virtus essentialiter sit charitas, sed quod omnes aliæ virtutes aliqualiter a charitate dependeant » (1).

Præterea maxima existit difficultas : juxta propositam enim doctrinam, actus patientiæ, humilitatis, fortitudinis, etc. fiunt proprie actus eliciti charitatis, et sic distinctio specifica inter virtutes, a theologis communiter celebrata, tollitur.

Aliud est docere actus illarum virtutum elici a respectivis virtutibus infusis, etiamsi desint acquisitæ, a charitate autem imperari et ad finem ultimum ordinari. Et hoc quidem ipse S. Salesius prius tenuit. Scripsit enim in opere *Introduction à la vie dévote* (III^e^ Partie, Ch. 1) : « Le roy des abeilles ne se met point aux champs qu'il ne soit environné de tout son petit peuple, et *la charité n'entre jamais dans un cœur qu'elle n'y loge avec soy tout le train des autres vertus*, les exerçant et mettant en besoigne ainsy qu'un capitaine fait ses soldats ; mais elle ne les met pas en œuvre ni tout a coup, ni egalement, ni en tous tems, ni en tous lieux » (2). Imo, in prima redactione textus supra citati ex opere *Traitté de l'amour de Dieu* (3), dixit : « Si elles (*ces vertus* qui fluent de la charité comme de leur source) ne treuvent point

(1) *Summa Theologica.* Ia IIæ, q. LXII, a. 2, ad 3 ; IIa IIæ, q. XXIII, a 4, ad 1.

(2) *Œuvres* T. III, p. 123.

(3) Prima hæc redactio reperitur in appendice editionis Annecensis *Œuvres*, T. V, p. 483 ss.

de vertus naturelles en l'ame ou la charité les produit, *elles suppleent a leur defaut.* » Sed in margine hujus prioris manuscripti notavit : « *(La charité, comme) vertu eminente supplee a toutes les vertus*, comme le soleil par sa lumiere remplit toutes etoiles, en sorte qu'on peut dire que la lumiere de la lune ell' est ou lumiere de la lune ou lumiere du soleil ; ainsy on peut dire que toute vertu est amour, comme S. Aug^in^ dit, que je cite ci après. » In hac nota marginali invenitur germen ideæ quam postea in textu definitivo admisit et ampliavit. Itaque sine dubio mens S. Doctoris de hac re evoluta est.

Charitas non tantum dicitur forma virtutum, sed vocatur etiam earum *fundamentum*, *radix*, *motor*, *finis*, *mater*. Hæ appellationes, ad mentem Aquinatis, explicantur sequenti modo.

Fundamentum vocatur, in quantum virtutes per eam sustentantur in esse perfecto virtutum, non vero quatenus fundamentum habet rationem causæ substantialis et intrinsecæ (1).

Radix, quia ex ea producuntur et nutriuntur omnes aliæ virtutes, secundum quod sunt simpliciter virtutes (2).

Hæc duplex metaphora accipitur a S. Paulo dicente : « in caritate *radicati* et *fundati* » (*Eph.*, III, 17) ; et reperitur apud S. Gregorium Magnum : « Cum cuncta eloquia, inquit, Dominicis plena sint præceptis, quid est quod de dilectione, quasi de singulari mandato, Dominus dicit : Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem ; nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, et omnia unum præceptum sunt ? Quia quidquid præcipitur in sola charitate *solidatur*. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt ; sic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec aliquid viriditatis

(1) II^a^ II^æ^, q. XXIII, a. 8, ad 2.

(2) Loc. cit. ; it. *De charitate*, a. 3, c. ; I^a^ II^æ^, q. LXII, a. 4, c. ; q. LXV, a. 5, ad 2 ; q. LXXI, a. 4, c ; q. LXXXIV, a. 1, ad 1 ; II^a^ II^æ^, q. CXXXIX, a. 2, ad 2.

ramus boni operis, si non manet in *radice* charitatis » (1).

Motor dicitur, « in quantum scilicet importat actus omnium aliarum virtutum. Omnis enim virtus vel potentia superior dicitur movere per imperium inferiorem, ex eo quod actus inferioris ordinatur ad finem superioris ; sicut ædificativa imperat cæmentariæ, eo quod actus cæmentariæ artis ordinatur ad formam domus, quæ est finis ædificativæ ; unde cum omnes aliæ virtutes ordinentur ad finem charitatis, ipsa imperat actus omnium virtutum, et ex hoc dicitur motor earum » (2).

Finis : « Sic ergo charitas est motor aliarum virtutum : similiter etiam finis ; quia hoc commune est in omnibus virtutibus, quod actus ipsarum sunt proximi fines earum, cum actus sit perfectio secunda, habitus perfectio prima ; et minus completum ordinatur ad magis completum sicut ad finem. Finis autem inferioris potentiæ vel habitus ordinatur ad finem superioris, sicut finis militaris ad finem civilis. Unde actus omnium aliarum virtutum ordinantur ad actum charitatis sicut ad finem, et propter hoc dicitur charitas præcepti finis » (3).

Tandem, « quia mater est quæ in se concipit ex alio, ex hac ratione dicitur *mater* omnium aliarum, quia ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum, imperando ipsos » (4).

Hasce igitur varias metaphoras explicat S. Thomas in eodem sensu quo dicit charitatem esse formam virtutum ; « sic enim charitas, ita ipse, est *mater* omnium virtutum, et *radix, in quantum est omnium virtutum forma* » (4). Proinde

(1) *Hom. XXVII in Evang.*

(2) *De charitate,* a. 3, c. ; *In III Sent.*, Dist. XXVII, q. 2, a. 4, quæstiunc. 3, c.

(3) *In III Sent.*, l. c.

(4) IIa IIæ, q. XXIII, a. 8, ad 3 ; Ia IIæ q. LXII, a. 4, c. ; IIa IIæ, q. CLXXXVI, a. 7, ad 1 ; *De charitate*, a. 3, c.

(4) Ia IIæ, q. LXII, a. 4, c.

nihil aliud per eas significatur, quam omnes virtutes ad finem ultimum a charitate ordinari (unde hæc vocatur *motor* et *finis* earum), et eas ita fieri perfecte et simpliciter virtutes (unde dicitur *fundamentum, radix* et *mater* earum).

Corollarium.

Ex dictis tandem patet quare et quonam sensu charitas habenda sit *supremum principium bonitatis moralis in ordine supernaturali.*

Si actus moralis et virtus debent ordinem habere ad finem ultimum, et si ad finem ultimum præsentis status non ordinantur nisi mediante charitate, constat hanc necessariam esse ut actus sit perfecte bonus et virtus sit absolute et simpliciter virtus. Hoc docent non tantum D. Thomas, uti audivimus, sed etiam maximi inter SS. Doctores, ut Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Franciscus Salesius (1).

Aliud est habitum esse virtutem, aliud esse simpliciter et perfecte virtutem. Quæ habet quidditatem virtutis, *virtus* dicitur ; illa autem *simpliciter*, quæ bonum facit habentem et opus ejus bonum reddit, quod non est nisi ex debita ordinatione ad finem ultimum. Hoc sensu solæ virtutes charitati connexæ seu virtutes *formatæ*, uti scholastici loquuntur, non autem virtutes *informes*, puta infidelium vel peccatorum, sunt virtutes simpliciter.

Inde non sequitur, peccatores et infideles non habere virtutes, nullaque eorum opera posse dici opera bona. Etenim, juxta principia supra posita, ille actus humanus bonus est, qui debitum objectum habet, debitis adjunctis circumdatur, et ad finem bonum proximum refertur ; ille habitus moralis est virtus, qui specificatur objecto formali quod naturæ con-

(1) Cf. *Traitté de l'Amour de Dieu*, L. XI, Ch. IX, ubi demonstratur « que les vertus tirent leur perfection de l'amour sacré ». *Œuvres*, t. V, p. 267 s.

venit et ad finem naturalem referibile est. Philosophi, de virtutibus et de actibus humanis disserentes, ad nullum aliud bonitatis elementum attendere solent; considerant enim hominem relate ad finem ultimum *naturalem ;* ergo logice præscindunt a charitate, qua virtutes rectificantur respectu finis *supernaturalis*. Hinc merito damnatæ sunt plures propositiones Baii, qui graviter quoad hanc rem erravit, docens quodcumque opus ex charitate non effectum necessario esse opus malum et peccatum. Huc spectant prop. 22 : « Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos II : Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus » ; — prop. 25 : « Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia » ; — prop. 35 : « Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est » ; — prop. 37 : « Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit » ; — prop. 40 : « In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati » (1).

Contra Baium ejusque sectatores sana philosophia et theologia catholica tenent hominem, etiam in statu naturæ lapsæ, vera libertate gaudere, ipsumque, quamvis charitate divina destitutum, non necessario duci cupiditate mundana et perversa delectatione. Unde actus qui in puris naturalibus perfecte bonus fuisset, in præsenti etiam ordine bonus manet, at *non* est *perfecte* bonus, et habitus qui vera virtus fuisset, nunc quoque virtus manet, sed *non vere et simpliciter*, nisi opus bonum et virtus per charitatem theologicam habeant rectitudinem ad finem supernaturalem.

---

(1) Cf. Denzinger-Bannwart. *Enchiridion Symbolorum, definitionum et declarationum*, n. 1022, 1025, 1035, 1037, 1040. — Cf. etiam prop. 16 Joannis Huss, prop. 45 et 49 Quesnelli, prop. 23 Pistoriensium. *Ibid.*, n. 642, 1395, 1399, 1523.

Hæc doctrina magni momenti est, tum in quæstione præsenti, tum in quæstione de operum merito.

In bonitate morali diversi sunt gradus ita ordinati ut, deficiente uno, remaneat alter, et, deficiente bonitate perfecta, maneat tamen imperfecta. Quod S. Thomas explanat dicens : « Sicut in rebus naturalibus una perfectio alteri superadditur, sic ut quædam res habeant unam illarum, et quædam duas, et sic deinceps ; ita etiam in moralibus contingit in actu considerare aliquam perfectionem alii superadditam, ex quarum unaquaque dicitur actus bonus, et si aliqua illarum perfectionum desit, deerit bonitas quæ est secundum perfectionem illam. V. gr. omnis actus, in quantum est actus, habet quandam essentialem bonitatem secundum quod omne ens bonum est ; sed in aliquibus actibus superadditur quædam bonitas ex proportione actus ad debitum objectum, et secundum hoc dicitur actus bonus ex genere, et ulterius ex debita commensuratione circumstantiarum dicetur bonus ex circumstantia et sic deinceps, quousque perveniatur ad ultimam bonitatem cujus humanus actus est susceptivus, quæ est ex ordine in finem ultimum per habitum gratiæ et charitatis ; et ideo actus illorum qui gratiam et charitatem non habent, hoc modo bonus esse non potest, et hæc est bonitas secundum quam actus meritorius dicitur. Sed subtracto posteriori, nihilominus remanet prius ; unde quamvis ab infidelium actibus subtrahatur ista bonitas, secundum quam actus meritorius dicitur, remanet tamen bonitas alia, vel virtutis politicæ, vel ex circumstantia, vel ex genere » (1).

Quod dicitur de actu in quantum consideratur ut *bonus*, idipsum dici debet de actu in quantum consideratur ut *meritorius*. « Sicut aliquid participat bonitatem, ait Angelicus in eodem loco, ita etiam Deo est acceptum, et ideo actus illi enunciantur Deo accepti simpliciter, qui meritorii sunt,

(1) *In II Sent.*, Dist. XLI, q. 1, a. 2.

completam bonitatem habentes : sed tamen etiam actus alii, secundum quod sunt boni ex genere vel ex circumstantia, Deo placent : non tamen sunt remunerabiles præmio æterno ».

Ille parallelismus inter bonitatem moralem et meritum ex professo in Quæstione III examinabitur.

ARTICULUS III

Quali modo virtutes charitate ordinentur.

Probavimus per charitatem, et quidem solam, regulandas, rectificandas, ordinandas esse omnes virtutes : hoc sensu realissimo charitas vocatur et est forma omnium virtutum.

Qui hanc doctrinam admittit, debet concedere virtutes poni sub aliquo vero ac positivo charitatis influxu. Jam ostendere volumus, quod supra per transennam notavimus, illum influxum pertinere non ad causalitatem essentialem et intrinsecam, ut quidam auctores statuunt, sed potius ad causalitatem efficientem.

Haec est sine ullo dubio sententia Angelici.

Causalitatem charitatis passim solet exprimere his verbis : « charitas *imperat* virtutibus. » Quæ propositio, licet latiore sensu intelligenda sit quam prima specie videatur, manifeste indicat aliquam veram actionem charitatis analogam motioni seu imperio voluntatis. Ipse hoc « imperium » charitatis explicat ut « facere operari propter finem suum », ut « movere ad finem suum » : « Dicitur (charitas) *imperare* actus inferiorum virtutum, secundum quod *facit eas operari propter finem suum*, et secundum hoc movet alias artes inferiores ad finem suum : unde charitas etiam omnes alias virtutes *ad finem suum movet*, et secundum hoc dicitur actus earum imperare » (1).

(1) *In III Sent.*, Dist. XXVII, q. II, a. 4, quæstiunc. 3.

Ceterum nitidæ comparationes, quibus frequenter utitur, nonne eo tendunt ut veram aliquam efficientiam charitatis in actus ceterarum virtutum manifestent ? Sicut rami et flores nutriuntur radice, ita charitate virtutes (1) ; sicut mater in se concipit ex alio, ita ex appetitu sui finis charitas concipit et gignit actus aliarum virtutum (2) ; sicut motor agit in id quod movetur, ita charitas in virtutes, quatenus eas ordinat ad finem suum (3). Et adhuc : charitas se habet relate ad virtutes, « sicut gubernatoria ars imperat navifactivæ » ; vel « sicut dux exercitus, qui intendit bonum commune, scilicet ordinem totius exercitus, movet suo imperio aliquem ex tribunis, qui intendit ordinem unius aciei » (4) ; vel « sicut ædificativa imperat cæmentariæ, eo quod actus cæmentariæ artis ordinatur ad formam domus, quæ est finis ædificativæ » (5).

Unde charitas est relate ad virtutes aliquod principium *movens* et *agens* (6) ; regit illas quemadmodum voluntas ceteras potentias animæ (7).

Hæc quidem omnia non ita stricte intelligenda sunt, quasi charitas ceteras virtutes simpliciter *in actum reducat* seu *simpliciter faciat operari ;* verum in hoc potius sensu, quod charitas actibus virtutum tribuit ordinationem debitam, nempe ordinem ad finem suum : hic sensus aperte eruitur ex multis locis citatis.

Lectori satis exinde patet influxum charitatis a S. Thoma reduci ad causalitatem effectivam et extrinsecam, excludi vero causalitatem intrinsecam seu essentialem. Et hoc fre-

(1) IIa IIæ, q. XXIII, a. 8, ad 2 ; *De charitate*, a. 3. corp.
(2) IIa IIæ, l. c., ad 3 ; *De charitate*, l. c.
(3) *De charitate*, l. c. ; *In III Sent.*, Dist. XXVII, q. II, a. 4, quæstiunc. 3, corp.
(4) Ia IIæ, q. IX, a. 1, c.
(5) *De charitate*, a. 3, corp.
(6) *De veritate*, q. XIV, a. 5.
(7) *In II Sent.*, Dist. XL, a. 5.

quenter docet ex professo, simul indicans rationem apodicticam : charitas non potest esse forma essentialis aliarum virtutum, « quia non distingueretur ab illis » (1). Revera, nisi pessumdetur distinctio specifica inter virtutes, quam Theologi unanimiter admittunt, non apparet quomodo causalitas charitatis alia ac effectiva et extrinseca intelligi possit (2).

Hæc est ratio fundamentalis reprobandi opiniones quæ sequuntur.

* * *

Imprimis occurrit sententia quam Salmanticenses doctores in celebri suo *Cursu theologico*, duobus in tractatibus (3), fuse exponunt et propugnant, majori tamen cum subtilitate, ut videtur, quam veritate.

Eximii illi Theologi omnino tenent ac solide confirmant doctrinam supra probatam : nempe charitatem esse omnium virtutum formam, quatenus omnes virtutes ad finem charitatis ordinari debent. Atvero considerantes *quomodo* virtutes a charitate ordinentur, proponunt et defendunt theoriam quæ probanda non videtur.

Hæc theoria digna est quæ sedulo discutiatur, tum ob auctoritatem patronorum (4), tum ob argumenta allata, tum

---

(1) IIa IIæ, q. XXIII, a. 8, ad 1. — Cf. *ib.*, q. IV, a. 3, ad 1 ; *De charitate*, a. 3, ad 16 et 18 ; *De veritate*, q. XIV, a. 5, ad 1, 3, 4.

(2) Annon charitas dici possit forma *exemplaris* virtutum ? S. Thomas in solvenda hac quæstione non sibi constans fuit. In prioribus suis operibus (*In III Sent.*, Dist. XXVII, q. 2, a. 4, quæstiunc. 3 ; *De veritate*, q. XIV, a. 5, ad 3 et 4 ; *De charitate*, a. 3, ad 6) illud aliquo sensu concedit : quatenus scilicet virtutes ad similitudinem charitatis quodammodo operantur. Sed in *Summa theologica*, IIa IIæ, q. XXIII, a. 8, ad 1, simpliciter negat charitatem esse formam vel exemplarem vel essentialem : « quia sic, ut dicit in objectione, oporteret quod aliæ virtutes essent ejusdem speciei cum ipsa. »

(3) Tract. XIX. *De Charitate*, Disp. VII, Dub. III. — Tract. XVI. *De Merito*, tota Disp. IV.

(4) Salmanticenses in suum favorem adducent CAJETANUM, qui scribit : « formatio est ex charitate ordinante omnium virtutum actus in finem ultimum

ob consectaria quoad meritum, tum etiam ob propinquitatem quam habet cum quadam thesi theologica recenter multum controversa, de qua mox sermo erit.

Porro, juxta Salmanticenses, influxus charitatis, vi cujus est forma virtutum, non tam ad causalitatem efficientem quam potius ad essentialem atque intrinsecam pertinet. « Dicendum est, ita scribunt, virtutes et earum actus *formari per aliquid reale intrinsecum derivatum ex charitate*... Virtus debet *formari in seipsa per aliquid intrinsecum*, ratione cujus præcontineat ordinem ad charitatis finem, qui in suis actibus reperitur : cumque hujusmodi vis non conveniat virtuti inferiori ex se, sed ex influxu charitatis, cui per se convenit respicere illum finem, sequitur virtutes inferiores *formari intrinsece per aliquid reale, quod derivetur ex charitate*... Habemus hoc intrinsecum (quod non immerito possumus virtualem charitatem appellare), afficiens potentias et virtutes, non esse pure transiens aut fluere cum operatione, sed esse *quid habituale et permanens*... Hujusmodi autem intrinsecum est *aliqua qualitas incompleta de linea virtutis imperantis* (charitatis) *et respiciens idem objectum ;* et non est mera applicatio, sed *sublevatio virtutis motæ, ut operetur alio modo quam ex propria specie potest* » (1).

Quid censendum est de doctrina quæ hisce propositionibus continetur ? — Perpendantur sequentes animadversiones.

I. - Ex illa theoria consequitur omnem actum elicitum sub influxu charitatis esse formaliter actum charitatis, et proin-

---

simpliciter : ideo charitas est forma virtutum tanquam constituens eas in esse virtutis simpliciter. *Non solum* igitur charitas informat *effective* quia imperat et ordinat (hoc enim commune est omni imperanti et ordinanti) : *sed quia participatio passiva imperii et ordinationis suæ est velut forma constituens actus alios in esse virtuoso simpliciter ;* ab hac enim participatione actus aliarum virtutum dicuntur et sunt formati. Et hoc est proprium charitatis. Et hoc intendebat Auctor ». *In IIam IIæ*, q. XXIII, a. 8.

(1) *De Charitate*, l. c., n. 48, 50, 52, 64.

de actus a charitate imperatos et virtutes a charitate ordinatas non jam specifice distingui.

Hoc deducitur ex fundamentali argumento Auctorum. « Ex ipso, ita arguunt, quod charitas imperet actus aliarum virtutum, prædictæ virtutes eliciunt actus excedentes secundum aliquam rationem propriam facultatem virtutum ; attingunt enim objectum non secundum illam præcise rationem, quæ ipsis correspondet, sed secundum quod correspondet charitati, producendo in suis actibus ordinem ad Deum finem ultimum supernaturalem, qui ordo excedit vim talium virtutum, præcipue si sint acquisitæ » (1).

Quo principio admisso, logice admittendum est consequens. Si virtutes, eo ipso quod operentur imperante charitate, « attingunt objectum non secundum illam præcise rationem quæ ipsis correspondet, sed secundum quod correspondet charitati », patet virtutes elicere actus formaliter charitativos, et proinde omnes virtutes reduci formaliter ad charitatem, vel charitatem esse non unicum sed multiplicem habitum. Etenim actus et virtutes specificantur non præcise objecto materiali quod attingunt, sed ratione secundum quam id attingunt seu objecto formali. Et consequenter, si virtus, puta temperantia, agens sub influxu charitatis, attingat objectum secundum formalitatem charitati propriam, et si ideo debeat intrinsece sublevari aliqua modalitate charitativa, elicit actum non proprium temperantiæ sed charitatis.

Atqui hæc consequentia repugnat communi doctrinæ Theologorum catholicorum. Notat Viva « in hoc discrepare Baianos et Baianorum sectatores a reliquis theologis, quod Baiani non distinguunt virtutes morales ex objectis formalibus, ut communiter distinguunt illas theologi cum D. Thoma, 1, 2, q. 60, et Magistro, in 2, dist. 27, et in 3, dist. 33, sed solum distinguunt illas ex objectis materialibus, quia

(1) *De Charitate,* l. c., n. 63.

unam tantum virtutem agnoscunt, nempe charitatem, eamque infusam, non acquisitam in statu naturæ lapsæ. Proinde charitas, prout in varia virtutum officia propter Deum consequenda incumbit, sortitur variarum virtutum nomina » (1).

Hanc tamen consequentiam Salmanticenses eludere volunt, allegando duplex responsum : 1° tum quia qualitas a charitate ad alias virtutes derivata, non est qualitas completa, sed modalis ; 2° tum quia virtutes ordinantur per se primo ad actum secundum propriam speciem (2).

Sed hæ videntur cavillationes, quæ ipsam rem non attingunt. Nonne docent virtutes intrinsece sublevari, ut operentur alio modo quam ex propria specie et attingant objectum non præcise secundum propriam rationem, sed secundum quod correspondeat charitati ? Hoc posito, dico : 1° Quid refert quod qualitas a charitate derivata completa sit an modalis ? et quid tandem significat hujusmodi distinctio ? — 2° Esto quod virtutes per se primo attingant suum objectum ; nonne illud attingunt secundum rationem propriam charitati ? Distinguantur proinde secundum objecta materialia, non secundum formalia : at de his solum quæstio movetur, quando sermo fit de distinctione specifica virtutum.

II. — Si ex ordinatione alicujus virtutis ad finem charitatis concluditur hanc virtutem recipere formam intrinsecam a charitate participatam, concludendum est similiter virtutem ab alia quavis virtute imperatam recipere modalitatem *intrinsecam* ab hac alia virtute participatam. Exempli causa, si temperantiæ actus imperatur pœnitentia, oportet ut virtus temperantiæ recipiat aliquid reale intrinsecum de linea pœnitentiæ. Quod concedunt patroni (3).

(1) Viva. *Damnatarum thesium theologica trutina.* Prop. 11 Alexandri VIII, n. 9.

(2) *De Charitate,* l. c., n. 56.

(3) *De Charitate,* l. c., n. 64. — In tractatu *De Merito,* l. c., n. 89, negant quidem alias virtutes participare *habitualiter et permanenter* modum virtutis

Atqui una eademque virtus potest eumdem actum eliciens ad fines plurium virtutum ordinari. Ergo eadem virtus simul plures modalitates *intrinsecas et essentiales* induceret.

Sed hæc consequentia videtur absurda. Nam nihil aliud dicit ac eandem virtutem et quidem eodem actu diversas essendi et operandi rationes habere. Agitur nimirum, ad mentem Auctorum, de modalitatibus constitutivis, ita ut eadem virtus esset eodem temporis momento principium operativum diversæ speciei : quod est manifeste contradictorium.

Atvero, hanc consequentiam esse absurdam Auctores prorsus negant : « nec hoc magis inintelligibile est, dicunt, quam quod idem actus habeat plures modos intrinsecos moralitatis, ut puta ex objecto, ex fine operantis, ex circumstantiis ».

Hic autem subest æquivocatio. Quando dicitur idem actus posse induere varias species morales, quid significatur ? Verbi gratia, dare eleemosynam misero cum intentione satisfaciendi Deo pro peccato, est actus pertinens tum ad misericordiam ratione objecti formalis, tum ad pœnitentiam ratione finis operantis. Ad hujusmodi actum moralem intervenit tam virtus misericordiæ quam virtus pœnitentiæ, proinde duplex principium operativum diversæ speciei ; hic actus habet duas species morales, quia oritur ex duabus virtutibus ; imo, re quidem vera, constituitur duobus actibus, uno misericordiæ, altero pœnitentiæ, sed consideratur ut unus actus humanus, quia prior alteri subordinatur. Ita S. Thomas docet « imperium et actum imperatum esse unum actum humanum, sicut quoddam totum est unum, sed esse secundum partes multa » (1) ; quia, quando una potentia est movens alteram, tunc actus earum sunt quodammodo unus actus in genere moris.

Unde, quando dicunt posse « eundem actum habere plures

imperantis, sed admittunt participationem *transeuntem* : quod sufficit ad præsens argumentum.

(1) Ia IIæ, q. XVII, a. 4.

modos intrinsecos moralitatis », respondeo distinguendo : qui consideratur ut unus actus humanus, potest pertinere ad plures species morales, in quantum constituitur pluribus entitative actibus, ortis ex pluribus virtutibus ad invicem subordinatis, *concedo* ; — unus et indivisibilis actus potest intrinsece constitui pluribus modis moralibus, *nego*. A fortiori negandum est, unam eandemque virtutem diversas modalitates essentiales simul induere posse.

III — Salmanticenses tenent, aliquid reale intrinsecum de linea charitatis afficere omnes virtutes permanenter et *habituaLiter*, et quidem *ante exercitium actuale charitatis*, « per simplicem dimanationem, eo proportionali modo quo virtutes fluunt a gratia et proprietates a natura » (1).

Atvero, non tantum hujusmodi dimanatio habitualis absque prævio actu charitatis intelligi prorsus non potest, sed præterea gratuito adstruitur, quum tamen sine cogente necessitate admitti non possit. Rationes a patronis allatæ certe non probant.

1° Omnes virtutes et vires animæ in justo dicuntur formatæ et vivæ per charitatem. — Verum est ; sed nonne dici possunt utcumque formatæ, tum ex connotatione habitus charitatis in eodem subjecto, tum ex eo quod in actibus suis ordinantur a charitate ?

2° Omnes virtutes justi inclinant habitualiter ad actus non præcise secundum speciem acceptos, sed ad actus formatos et meritorios vitæ æternæ. — Hujusmodi inclinationem habitualem in anima justi adesse, conceditur ; procedit autem a charitate, non a ceteris virtutibus.

3° Charitatis dominium sese extendere debet ad omnes vires et virtutes, omnia humana ad Deum convertendo ipsique ut fini subjiciendo. — Ita vere est ; at hoc plene verificatur eo quod actu charitatis omnia opera cunctaque humana

(1) *De Charitate*, l. c., n. 53.

ad Deum finem ultimum ordinentur atque referantur. Quonam alio modo virtutes et potentiæ ad Deum dirigi possint, equidem non intelligitur.

Revera, illam habitualem dimanationem Auctores excogitasse videntur, ad explicandum quomodo opera bona puerorum, post usum rationis et ante actum charitatis facta, itemque adultorum vi sacramenti justificatorum ante exercitium charitatis, possint esse meritoria de condigno. Hanc quæstionem postea examinabimus; sed ad eam solvendam nullus theologus, quantum sciamus, explicatione Salmanticensium usus est, utpote longius quæsita, gratuito adstructa ac fictitia.

IV — Argumentum fundamentale Auctorum nititur hac consideratione : « cum aliquis actus attingit aliquem finem, nequit non dicere verum ordinem sive habitudinem realem ad talem finem : ergo quando actus inferioris virtutis ordinatur ad finem charitatis, illumque attingit, nequit non importare verum ordinem et realem habitudinem ad talem finem : cumque hujusmodi ordo non conveniat actui virtutis inferioris ex propria ratione, sive ex parte virtutis proximæ a qua elicitur, opus est quod illum participet ex influxu charitatis, cui per se convenit illum finem attingere » (1).

Sed hoc argumentum fallit, eo quod actibus inferiorum virtutum charitate formatarum tribuat formalem et immediatam ad finem ultimum habitudinem quæ ipsi actui charitatis exclusive propria est. Ceteræ virtutes non possunt attingere *formaliter* ipsum objectum formale charitatis ; nequeunt *immediate* uniri vel inseri ipsi Bonitati divinæ, sicut charitas ; alioquin earum actus forent propriisssimi actus ipsius charitatis. Quod autem non potest fieri immediate et formaliter, id fieri debet *mediate*, mediante nempe charitate quæ per se immediate divinam Bonitatem attingit : hujusmodi ordinatio in eo consistit quod charitas actus ceterarum virtutum refert

(1) *De Charitate*, l. c., n. 49.

et quasi offert ac consecrat Bonitati divinæ ; est proin extrinseca respectu formalis rationis actuum et virtutum, non ingreditur ipsam eorum essentiam. S. Thomas constanter rejicit objectionem, ut supra vidimus, qua hæc relatio ponitur ut quædam forma intrinseca seu constitutiva actus vel virtutis.

Concludimus : ex superioribus considerationibus liquet, Salmanticenses doctores denique tandem ideo errare, quod virtutum ad finem ultimum ordinationem reducant ad causalitatem *essentialem*, qua in causalitate causa formalis distingui solet a causa materiali. Non in hoc sensu charitas dici potest forma virtutum, sed potius quatenus eas movet ac dirigit ad finem ultimum : quod ad causalitatem *efficientem* pertinet.

* * *

Recentius ab auctore germano D^re^ Joanne Ernst fuit proposita et acriter defensa theoria quædam nova, juxta quam charitas esset elementum constitutivum ac essentiale cujusvis actus virtuosi. Etsi sub hoc respectu cum præcedenti convenire videtur, tamen sub aliis respectibus ab ea differt.

Postquam iste Auctor, disserens de quæstione an et quare omnia opera bona justi sint meritoria de condigno, opinionem suam in opusculo *Die Notwendigkeit der guten Meinung* (1) exposuit, iterum ex professo, cum magno quidem eruditionis apparatu, eam vindicare conatus est, edito opere *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung, Untersuchungen ueber die Gottesliebe als Princip der Sittlichkeit und Verdienstlichkeit* (2). Quod opus contra criticos tertio defendit scripto *Gottesliebe*

(1) Kempten, 1900. — Eadem dissertatio edita est in periodico *Theologisch-praktische Monatschrift,* (Passau) 1900, p. 768-782, 859-870.

(2) Publicatum est in collectione cui titulus *Strassburger Theologische Studien.* VII Bd. 2 et 3 H. Friburgi Brisgoviæ, 1905. — Hoc opus præsertim in sequentibus citamus.

und Sittlichkeit. Neue Untersuchungen ueber die Notwendigkeit der guten Meinung (1).

Hæc theoria, in Germania præsertim et Austria ante bellum europæum valde controversa, alios Theologos nacta est defensores, alios vero adversarios.

Quid tenet Auctor ? Admittit solideque confirmat nullum bonum opus in præsenti statu perfecte et simpliciter bonum esse, nisi quatenus ad Deum finem supernaturalem ordinetur per charitatem theologicam ; proinde charitatem esse supremum principium moralitatis, sicut etiam principium omnis meriti proprie dicti. Hucusque ipsi plene consentiendum est. In explicanda autem illa veritate, singularem theoriam propugnat, ita quidem ut in hac theoria defendenda totum negotium reponat.

« Ut fundamentum nostræ theoriæ, ita scribit, ponitur hoc principium : moralitas intimam, necessariam relationem ad Deum possidet ; relatio ad Deum est *essentiale*, et proin absolute necessarium, imo *unicuique* moraliter bono actui *vi suæ naturæ* inditum elementum ad constituendam moralitatem ; motivum honestatis moralis, quod unicuique moraliter bono actui inest, nihil aliud est ac motivum cujusdam *veri, licet non expliciti, amoris Dei*. Sicut naturalis amor Dei, etsi plerumque implicitus, est anima omnis operationis moralis in homine non justificato, ita, in justo, ex amore Dei per fidem et gratiam habitualem effecta charitas est anima omnis moralitatis, omnium operum virtutis ; et cum charitas sit principium et radix omnis meriti in ordine ad vitam æternam, omnia moraliter bona opera justi sunt eo ipso meritoria ; specialia motiva supernaturalia non sunt ad hoc necessaria, sicut nec excitatio sic dictæ bonæ intentionis » (2).

In præsenti igitur ordine, *charitas est principium intimum*,

(1) Tubingæ, 1907 ; et in *Theologische Quartalschrift*, 1908, I.

(2) *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, p. X.

essentiale, constitutivum omnis actus boni ; charitas est omnium virtutum forma *essentialis et constituens*, et non tantum complens et consummans (1) ; quælibet operatio virtutum in homine justo *includit ac continet* actum ipsius charitatis saltem implicitum ; proinde omnis actus cujusvis virtutis *intrinsece et secundum propriam rationem* includit relationem immediatam ad Deum finem supernaturalem ; imo, quod est consequentia necessaria, essentialiter includit actum charitatis *elicitum*, saltem implicitum. Hæc passim ab Auctore exponuntur. « Modus intelligendi ordinarius, ita ipse, distinguit actus *elicitos* charitatis ab actibus *imperatis* a charitate. Juxta conceptum nostrum, in unoquoque opere justi moraliter bono *actus virtutis moralis secundum intimam essentiam suam constitutive unitur cum actu charitatis elicito saltem implicito* » (2). Unde actus bonus justi, quatenus essentialiter refertur ad finem ultimum, elicitur ex principio conjuncto virtutis moralis et charitatis saltem implicitæ.

Nota Auctorem constanter loqui de charitate *saltem implicita*, quæ adest, juxta ipsum, etiamsi nullus actus charitatis formalis præcesserit. Non confundatur hujusmodi charitas implicita cum charitate *virtuali*, quam theologi passim admittunt et quæ ex prævio actu charitatis relinquitur. Coincidit potius cum illa charitate virtuali seu dimanatione habituali charitatis de qua supra sermo fuit, qua virtutes, juxta Salmanticenses, ex charitate agere possunt, licet omne charitatis exercitium antevertant ; quam tamen theoriam Auctor non cognoscit, vel saltem eadem numquam utitur.

Quisnam valor illi sententiæ tribuendus est ?

Imprimis libenter concedimus, nonnulla doctrinæ elementa per eam facile explicari. Inde perspicitur bona justi opera

(1) *Ib.*, p. 77.
(2) *Ib.*, p. 129.

per charitatem ad finem ultimum ordinari, etiam illa quæ ante actum formalem charitatis sive a pueris sive ab adultis fiunt ; — intelligitur etiam omnia bona opera justi esse meritoria de condigno, et quidem secundum totam entitatem moralem ; — advertitur tandem peccatores et infideles moraliter bene, licet non perfecte seu in ordine ad finem præsentem, agere posse. Sed hæc, in quantum sana theologia probantur, etiam absque præsenti sententia explicari possunt. Et quid prodest quod illa explicentur, quum alia non minora evertantur ?

I — Enimvero evertitur hac sententia distinctio specifica virtutum, eodem modo ac theoria Salmanticensium. Si charitas ipsa immediate eliciat in justo actum cujusvis virtutis moralis, quatenus conjunctim cum hac operetur actum formaliter charitativum — quod tenet Auctor, — quomodo, quæso, salvatur distinctio formalis virtutum, tum inter se, tum respectu charitatis ? Distinctio, si subsistat, materialis est, non formalis seu specifica quæ fundatur in distinctione objectorum formalium. « Si conceptio Auctoris recta est, observavit R. P. Lehmkuhl occasione ultimi opusculi J. Ernst, tunc revera unica tantum virtus habetur : charitas. Hoc foret certe magna simplicatio scientiæ virtutum ; ast exspectanda non est consensio » (1).

Equidem Auctor hanc consequentiam negat. « Juxta Baianos et Jansenistas, inquit, sola est *formalis* et *explicita* charitas quæ rationem virtutis et honestatis habeat. Quod ab altera parte singulæ virtutes morales nihil esse possunt ac materia circa quam charitas operatur, *instrumentum externum* quo charitas utitur, id facile intelligitur. Aliud vero est si, ut admittimus,... charitas *intrinsecum* elementum vitale virtutis est, in et cum virtute infusa est. In hoc casu, charitas diversificatur seu variam sese exhibet in variis virtutibus, sicut lux solis

(1) *Theologisch-praktische Quartalschrift*, 1908, p. 844.

diversificatur et distribuitur in diversis coloribus arcus cœlestis, et tunc possumus de variis objectis formalibus variarum virtutum loqui » (1).

Habetur vere magnum discrimen inter placita illorum hæreticorum et systema Auctoris ; imo oppositio, quatenus illi ceterarum virtutum sine charitate honestatem directe denegant, hic econtra ex professo vindicat. Nihilominus arguendo dicere debemus, hunc ita prosequi suum intentum, ut vel omnes virtutes reducantur ad charitatem, vel charitas multiplicetur in virtutibus : et in utroque casu destruitur earum distinctio specifica, ut patet. Verbotenus quidem salvatur, sed non quoad rem ; ad summum manet distinctio materialis seu secundum objecta materialia, quemadmodum habetur inter charitatem Dei et charitatem proximi ; et hoc ipsa comparatio cum luce, quæ sane natura non differt, sed tantum materiali aspectu, juxta diversos arcus cœlestis colores, apprime confirmat.

II — Altera consequentia non minus reprobanda a pluribus Theologis Auctori opposita est (2). Sicut in omni actu bono hominis justificati, juxta ipsum, inest actus charitatis saltem implicitæ, ita in quovis bono actu peccatoris vel etiam infidelis continetur saltem implicite actus amoris Dei perfecti et super omnia. Si ita est, concludendum videtur peccatorem posse justificari, sine sacramento, ante actum formalem charitatis vel contritionis perfectæ : quod a theologo catholico admitti nequit. Fidelis nempe qui in peccato mortali versatur, elicere potest, divina gratia excitatus et adjutus, actus quosdam supernaturales, fidei, spei, fiduciæ, dilectionis initialis, pœnitentiæ, detestationis peccatorum, et sic porro (Conc. Trident. sess. VI, cap. 5 et 6). Si hujusmodi actus superna-

(1) *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, p. 137 s.

(2) Cf. v. g. *Stimmen aus Maria-Laach*, 1901, p. 99 ; — *Theologisch-praktische Quartalschrift*, 1901, p. 566 s. (P. Fr. Schmid) ; — *ibid.*, 1908, p. 844 (P. Lehmkuhl).

turales actum amoris Dei super omnia contineant, non perspicitur quomodo a charitate differant et cur non justificent.

Auctor reponit, hujusmodi actus non justificare, quia charitas *implicita* vel contritio *virtualis* non sufficiunt ad justificationem efficiendam, sed requiritur aversio a peccato vel saltem charitas *explicita* (1). At, quidquid sit de his quæstionibus inter Theologos controversis, ad minus in *attritione* illa requisita adesse videntur : etenim quum attritio sit *formalis* aliqua detestatio peccati, quum etiam sit *explicitus* actus amoris Dei, qui ad mentem Auctoris est formaliter actus amoris Dei super omnia, nihil deesse videtur ut attritio justificationem obtineat. Quando vero Auctor replicat, asserendo amorem Dei, qui in attritione habetur, esse *explicite* amorem imperfectum concupiscentiæ et *implicite* amorem Dei super omnia, non possumus in hac subtilitate non videre vanum effugium. Quod etiam dicendum est de distinctione inter amorem Dei *super omnia* et amorem Dei *in omnibus* (2). Hic solus, juxta ipsum, est amor charitatis, solusque justificans. Sed patet amorem Dei *super omnia* non posse concipi nisi *in omnibus*, i. e. complectentem prorsus omnes sensus, facultates et affectus, paratum omnia quæ menti possint occurrere divino amori postponere.

III — Tandem Dr Ernst nullibi explicat mirum hoc ac inauditum : quomodo in justo charitas et virtus moralis, ut principium intrinsece et essentialiter conjunctum, unum actum possint elicere, qui pertineat secundum totam suam entitatem ad rationem propriam charitatis; eo vel magis quod Auctor passim affirmet virtutes morales habere vitam in se aliquomodo subsistentem, utpote habentes propria objecta formalia.

Nec demonstrat quomodo charitas implicite operari possit, etiamsi nullum actum exercitum elicuerit ; ut contingit in

(1) *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, p. 232 ss.
(2) *Gottesliebe und Sittlichkeit*, p. 35.

peccatore sacramentum mortuorum recipiente, qui cum sola attritione justificatur, vel in infante post acquisitum primum usum rationis, antequam explicitum charitatis actum effecit.

Hæc et similia affirmari sane possunt, at non explicari. Imo, non tantum incomprehensibilia videntur, sed in se contradictoria.

De facto, Auctor minus versatur in explicanda sua theoria quam in vindicanda, et minus in rationibus speculativis quam in argumento auctoritatis. Fatetur Doctorem Angelicum, cujus sententiam valde bene exponit, aliter sentire ; ipsum Theologorum Principem ex professo impugnat, ipsi reprobans quod charitatis formam habeat non ut elementum actui morali intrinsecum et essentiale, sed extrinsecum et superadditum (1). Econtra contendit, ideas suas a S. Augustino probari (2) ; sed in hoc errat, ut infra demonstrabimus.

Conclusio.

Quonam igitur modo concipienda est vita illa moralis quæ in anima per gratiam sanctificantem ac charitatem transformata agitur ?

Virtutes tum theologicæ tum morales infusæ habentur relate ad gratiam sanctificantem, principium vitæ supernaturalis, sicuti facultates relate ad animam : quemadmodum anima agit et operatur per facultates ipsi natura inditas, ita gratia per virtutes quæ cum ipsa animæ infunduntur. Quum autem intimius examinatur quomodo gratia per virtutes in ordine ad finem supernaturalem agat, quomodo virtutes in operando supernaturaliter sese ad invicem habeant, quænam speciatim sint partes virtutis theologicæ charitatis, non levis occurrit discrepantia opinionum.

Omnes quidem charitati locum primarium atque principa-

(1) *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, p. 163-218.
(2) *Ib.* p. 132-162.

litatem inter virtutes attribuunt. Ipsam enim esse omnium virtutum excellentissimam, aperte ex S. Scriptura et Traditione liquet. Unde actus charitatis considerant, ceteris paribus, inter omnia opera vitæ supernaturalis ut præstantissima et maxime meritoria. At ulterior quæstio est, annon admittenda sit vera et intima omnium virtutum a charitate dependentia, ita ut hæc virtus regimen et primatum suum in tota vita supernaturali exerceat.

Censemus hoc esse affirmandum ; censemus actus ceterarum virtutum quantumvis infusarum, non per se, independenter a charitate, sed per charitatem ad finem ultimum ordinari, atque dependenter ab ipsa vitæ æternæ meritorios fieri ; proinde, gratiam sanctificantem agere quidem ad vitam æternam per fidem, spem, ac virtutes morales infusas, sed nonnisi mediante charitate, quemadmodum in vita morali naturali anima operatur bonum per omnes facultates, sed nonnisi mediante voluntate. Hoc sensu plenissimo charitas est omnium virtutum regina et mater.

Qui modus intelligendi vitam supernaturalem tenetur a S. Thoma Aquinate et a vetere Schola universa. Illam doctrinam uno verbo exprimunt, dicentes « charitatem esse formam virtutum ».

Restat ut de fundamento hujus doctrinæ inquiramus tum in S. Scriptura tum apud S. Patres, nominatim apud S. Augustinum.

CAPUT III

QUID DOCEAT S. SCRIPTURA.

Summarium. — *Animadversiones præviæ.* — *Quid sit* charitas *in doctrina Novi Testamenti.*

Annotantur speciatim loca sequentia : Matth. XXII, 34-40 ; Luc. X, 25-28 ; — Matth. V, 43-48 ; — Joan. XIV, 15,

21-24 ; XV, 9-14 ; — I Joann. III, 10-24, IV, 7-21, V, 1-13 ; II Joan., 5 s. ; — Rom. XIII, 8-10 ; — Gal. V, 13-15 ; — Gal. V, 6 ; — Coloss. III, 12-14 ; — I Tim. I, 3-7 ; — I Cor. XIII. Ex illis locis liquet totam vitam christianam omnesque virtutes regi et informari virtute charitatis, et proin confirmatur doctrina supra ratione theologica probata.

In limine hujus explanationis animadvertendum est, doctrinam scripturisticam de charitate, sicut de justificatione, de gratia, ac generatim de ordine supernaturali, præcipue hauriendam esse ex libris Novi Testamenti. Si harum veritatum semina, indicia, fragmenta in Lege Vetere inveniuntur, ea collecta, clare manifestata atque complete evoluta reperiuntur in doctrina Christi Domini et Apostolorum. Unde disquisitionem hanc ad Novum Testamentum restringere licet.

Præterea oportet observare scripta N. T. non juxta methodum stricte didacticam seu scientificam esse composita, sed alia ac alia occasione, plerumque ad scopum immediate practicum exarata. Proinde in ipsis non transponendæ sunt quæstiones omnes et controversiæ quæ, decursu temporum, in scholis theologicis ortæ sunt, quasi omnes etiam subtiliores ex S. Scriptura solvi possint ac debeant. Ut rite fontibus inspiratis utamur, debemus, absque præjudicata opinione, de genuino sensu scripturistico inquirere, et dein videre an et quantum talis vel talis sententia exinde confirmetur. Hac via procedemus.

Quid docet S. Scriptura de charitatis relate ad vitam christianam munere ac partibus ?

Vox *charitas, dilectio,* ἡ ἀγάπη, quæ frequentissime in N. T. occurrit, significat non tantum benevolentiam externam et effectivam, sed verum amorem affectivum et internum tam erga Deum quam erga proximum. Hoc ponitur contra multos hodiernos interpretes acatholicos, qui asserunt internum charitatis affectum, præsertim erga Deum, a doctrina N. T.

prorsus alienum esse, et voce *charitas* imprimis intelligi *opera externa* beneficentiæ vel misericordiæ erga proximos.

Revera, variis in locis, dilectio exprimitur non præcise ut internus affectus, sed potius ut externe operans vel mandata servans. Ita v. g. *Matth.* V, 44-48 ; *Luc.* VI, 27-35 ; *Joan.* XIII, 34 s. ; XIV, 21-24 ; XV, 9-14 ; *Rom.*, XII, 10-21 ; XIII, 8-10 ; *I Cor.*, XIII, 4-7 ; *Gal.*, V, 13-15 ; *Col.*, III, 14 ; *I Joan.*, III, 14-18. Hoc inde explicatur, quod Christus et Apostoli maxime volebant charitatis *praxim* docere et inculcare labefactatamque excitare, juxta illud Joannis : « Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate » (*I Joan.*, III, 18). At profecto, beneficentia illa operosa atque mandatorum observatio, quæ *ex dilectione* agenda præcipitur, non concipitur absque vivo affectu interno. Præterea si charitas, ad mentem Sacrorum Scriptorum, sit aliquid mere externi, cur semper designatur vocibus illis *amare*, *diligere*, ἀγαπᾶν, φιλεῖν, quibus præcise affectus maxime intimus animæ ab hominibus exprimi solet ?

Ceterum multis textibus explicite probatur assertum nostrum.

Apud *Synopticos*, in locis ubi docetur « magnum mandatum » dilectionis (*Matth.*, XXII, 34-40 ; *Marc.*, XII, 28-34 ; *Luc.*, X, 25-28), manifeste agitur de dilectione Dei *interna et sincera :* nam requiritur dilectio « ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine » ; similiter agitur de intima dilectione proximi : « tanquam teipsum ». Id optime intelligit scriba, quum distinguat illam dilectionem ab externis « omnibus holocautomatibus et sacrificiis » (*Marc.*, XII, 33). In alio loco, ubi de conversione mulieris peccatricis, Christus laudat ejus pœnitentiam, non qua talem, sed præcise quatenus ortam ex affectu dilectionis (*Luc.*, VII, 47).

Idem elucet ex Evangelio et ex Epistolis *S. Joannis*. Discipuli Christi debent ipsum diligere et se invicem diligere, sicut

ipse dilexit eos et sicut Pater dilexit ipsum (*Joan.*, XIII, 34 ; XIV, 15, 21 ; XV, 9, 12). Dilectio quam Joannes inculcat opponitur odio (*I Joan.*, II, 9-11 ; III, 10-15 ; IV, 19-21) ; nascitur ex dono Patris, quo « filii Dei nominemur et simus » ; habetur erga Deum, » quoniam Deus prior dilexit nos », etconsequenter erga proximum, nam « hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum » (*I Joan.*, III et IV).

S. Paulus, qui non semel charitatem per externos effectus erga proximos splendide describit, tamen ut primum ac essentialem actum vitæ divinæ in nobis ponit actum dilectionis erga Deum qua Patrem : « in quo clamamus : Abba (Pater) » (*Rom.*, VIII, 15 ; *Gal.*, IV, 6) ; alibi, omnia refert ad dilectionem erga Deum : « si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo » (*I Cor.*, VIII, 3) ; exigit ardentissimum amorem erga Dominum Jesum Christum : « si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema » (*I Cor.*, XVI, 22) ; et in ipso notissimo charitatis encomio (*I Cor.*, XIII) hanc formaliter distinguit ab externis operibus quantumvis heroicis, clare indicans eam esse proprie principium internum : « et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest ».

Tandem, juxta *S. Jacobum*, qui tantopere inculcat necessitatem bonorum operum, corona vitæ seu regnum est divinitus promissum simpliciter et absolute illis qui diligunt Deum (*Jac.*, I, 12 ; II, 5).

Ergo, juxta N. T. doctrinam, *charitas* imprimis et formaliter est *affectus dilectionis* erga Deum, cui subjungitur, ut similis (*Matth.*, XXII, 39 ; *Marc.*, XII, 31), vel completivus (*Joan.*, XIV, 15, coll. XV, 12 ; *Jac.*, II, 5-8), vel manifestans (*Joan.*, XIII, 34 s. ; *I Joan.*, II, 9 s. ; III, 10), affectus dilectionis erga proximum.

Porro docemur hanc charitatem esse primum, maximum,

excellentissimum vitæ moralis elementum ; et non tantum maximum ratione cujusdam dignitatis præcellentis, sed etiam et præsertim, quia tota vita moralis christiani aliquo vero sensu ad ipsam refertur, ab ea movetur, ex ea pendet, in ea recapitulatur. Hoc patet Sacras Litteras perlegenti : percurramus varia loca quæ allegari solent, et singulorum sensum ad amussim determinemus.

MATTH., XXII, 34-40 ; LUC., X, 25-28.

Postquam Dominus inculcavit magnum mandatum charitatis erga Deum et proximum, addidit, juxta Matthæum : « In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ ». Evidenter indicat *intimum nexum* totius vitæ moralis cum charitate ; et si verbis insistere licet (*in* his duobus mandatis *pendet*..., ἐν ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς κρέμαται...) (1), significat intimum nexum *dependentiæ*, ita ut vita moralis universa, non quidem formaliter constituatur charitate, sed ab ea sustentetur, sicut id quod sustentaculo suspenditur (2). — Apud Lucam, Dominus colloquium cum legisperito concludit dicens : « Hoc fac, et vives » ; certe non hoc sensu, quod ad vitam æternam possidendam nullum aliud præceptum implendum sit — Christus enim multa alia docuit facienda, — sed hoc sensu, quod implendo illud cetera quoque adimplebuntur. Unde etiam in hoc loco indicatur aliquis *intimus nexus* inter charitatem et cetera vitæ moralis officia ; at qualis præcise sit nexus, minus clare apparet quam ex textu Matthæi.

Quodsi Christi mandatum conferatur cum Veteris Testamenti præcepto ad quod alludit, confirmatur hæc interpretatio.

(1) BEELEN bene vertit : « *aan* deze twee geboden *hangt* de gansche Wet en de Propheten ». (*Het Nieuwe Testament Onzes Heeren Jesus Christus*, Leuven, 1859). Item TH. VAN TICHELEN. *Het Nieuw Testament uit het grieksch vertaald*. Antwerpen, 1926.

(2) P. LAGRANGE, pulchre et vere dicit : « De ces deux commandements dépendaient la Loi et les Prophètes, comme une chaîne serait suspendue à un clou d'or. » *L'Evangile de Jésus-Christ*, Paris, 1928, p. 450.

In lege Deuteronomii habetur : « Audi, Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo » (*Deut.*, VI, 4-6). Sequuntur deinde multa et varia mandata ; et concluditur : « Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua, custodiasque mandata Domini, et ceremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi » (X, 12 s.). Infra rursus præcipitur : « Ama itaque Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus et ceremonias, judicia atque mandata omni tempore » (XI, 1) ; « si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et serviatis ei in toto corde vestro, et in tota anima vestra » (XI, 13) ; « si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, et feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei » (XI, 22).

In his textibus et aliis similibus (*Ex.*, XX, 6 ; *Deut.*, VII, 9 ; *Jos.*, XXII, 5), dilectio Dei et observatio mandatorum arcte connectuntur ; dilectio Dei super omnia non intelligitur sine totius legis impletione ; vicissim hæc est necessaria illius consequentia. Certe non confunduntur ; econtra apprime distinguuntur : observatio mandatorum *non est* formaliter dilectio Dei, ut quidam volunt, sed potius ex hac oritur (1).

MATTH. V, 43-48.

Præceptum de diligendis inimicis concludit Christus his verbis : « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester

(1) Hos textus V. T. et quosdam N. T. interpretatur Dr ERNST, quasi indicarent charitatem nihil esse aliud ac impletionem mandatorum. (*Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, p. 71 ss.).

cœlestis perfectus est ». Sensus est : estote *perfecti in dilectione*, diligendo etiam inimicos vestros, ut imitemini perfectam bonitatem Patris vestri cœlestis. Hoc patet tum immediato ex contextu, tum ex loco parallelo *Luc.*, VI, 36 : « Estote ergo misericordes sicut et Pater vester misericors est » (1).

JOAN., XIV, 15, 21-24 ; XV, 9-14.

In ultimo sermone ad Apostolos quum Dominus iterum atque iterum commendaret charitatem, eam constanter proposuit ut principium seu motivum observandi omnia mandata : « Si diligitis me, mandata mea servate... Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me... Si quis diligit me, sermonem meum servabit... Qui non diligit me, sermones meos non servat... Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione ».

Inde patet cetera officia moralia connecti cum charitate sicut cum causa motiva, vel etiam observationem mandatorum habendam esse ut signum, indicium, argumentum charitatis.

I JOAN., III, 10-24 ; IV, 7-21 ; V, 1-3 ; II JOAN., 5 s.

Eandem doctrinam S. Joannes passim in suis Epistolis inculcat : « Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres... Mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus... Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo ; et in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis... In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata ejus faciamus. Hæc est enim caritas

(1) P. LAGRANGE tamen opinatur verba Christi : « estote ergo vos perfecti... » esse quasi conclusionem generalem totius sermonis præcedentis de nova perfectione (*Evangile selon Saint Matthieu*, Paris, 1923, p 118). In hac interpretatione ille textus ad nostram quæstionem non refert. Quum autem versus 48 manifeste versui 45 respondeat, prædictus sensus minus probabilis videtur.

Dei, ut mandata ejus custodiamus... Et hæc est caritas, ut ambulemus secundum mandata ejus ».

Iterum hic, charitas consideratur ut principium quo mandata implentur ; et vicissim, observatio mandatorum ut probatio et argumentum charitatis.

ROM., XIII, 8-10.

« Nemini quidquam debeatis : nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit (πεπλήρωκεν). Nam ; Non adulterabis : Non occides : Non furaberis : Non falsum testimonium dices : Non concupisces : et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur (ἀνακεφαλαιοῦται = recapitulatur (1) : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi (τῷ πλησίον) malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio (πλήρωμα οὖν νόμου ἡ ἀγάπη) » (2).

In hoc loco, quem auctores quoad præsentem quæstionem passim allegant, Apostolus intendit inculcare praxim charitatis fraternæ. Charitas quam considerat non est charitas in genere, sed charitas erga proximos, et quidem hujus momentum in vita practica ostendit. Item lex hic non est totus decalogus simpliciter et complete sumptus, sed quatenus præscribit officia erga proximos. Id patet ex contextu tam immediato quam generali : in hoc enim loco et in tota hac parte Epistolæ agitur de variis obligationibus erga homines.

Unde obvius sensus est : semper diligendus est proximus nam qui proximum diligit, omnia officia cujusvis generis a

(1) S. Augustinus in versione latina sua legit : *recapitulatur*. Cf. *Epistolæ ad Galatas expositionis liber unus*, n. 45, P. L. t. XXXV, c. 2137. *Ep. 167, ad Hieronymum*, c. V, n. 17. P. L. t. XXXIII, c. 740.

(2) BEELEN optime vertit v. 10 : « zoo is dan de liefde de *vervulling* (non : de volheid) der Wet », eodem prorsus sensu ac v. 8 : « want die zijnen naaste liefheeft, heeft de Wet *vervuld* ». — Item P. PRAT vertit : « la charité est donc *l'accomplissement* (non : la plénitude) de la loi ». *La Théologie de saint Paul*, t. II, p. 483. Paris, 1912.

lege erga proximum præscripta adimplet, vel potius, modo loquendi magis energico, jam implevit ; etenim dilectio nullum malum proximo facit ; proinde omnia mandata, — scil. non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et quodvis aliud mandatum proximos respiciens, — recapitulantur, i. e. continentur ut in capite seu principio, in hoc solo mandato : diliges proximum tuum sicut teipsum. Itaque, dilectio proximi est impletio legis, i. e. qui diligit proximum implet officia legis erga proximum (1).

Hoc sensu posito, dilectio proximi, quæ sine dubio ad mentem Apostoli est affectus vere charitativus (ἡ ἀγάπη), facile apparet ut inspirans omnia præstanda erga proximum, ut excitans et movens ad omnia officia adimplenda : nam dilectio nequit ullum malum proximo operari. Itaque omnes nostræ obligationes erga proximum in obligatione charitatis fraternæ *ut in principio continentur*, vel etiam, si velis magis inhærere expressioni paulinæ, tota vita moralis respiciens proximum *movetur et regitur charitate*, sicut capite moventur et reguntur cetera membra corporis.

GAL., V, 13-15.

Hic locus parallelus est præcedenti ; concinne eandem ideam enuntiat ; eodem modo manifeste explicandus est.

« Per caritatem Spiritus (διὰ τῆς ἀγάπης) servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur (πεπλήρωται) : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si invicem mordetis et comeditis : videte ne ab invicem consumamini ».

GAL., V, 6.

« Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet,

(1) Cf. BEELEN, *Het Nieuwe Testament Onzes Heeren Jesus Christus*, in notis ad h. l. — P. PRAT, *l. c.* — P. LAGRANGE. *Saint Paul. Epître aux Romains*. p. 316 s. Paris, 1922.

neque præputium : sed *fides quæ per caritatem operatur* (ἀλλὰ πίστις [τι ἰσχύει] δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη) ».

Hic textus magnum momentum habet. Charitas absolute comparatur ad fidem, et hæc dicitur *non habere valorem nec efficaciam nisi per illam.* Talis sensus certus est : etenim, ut scribit P. Prat, « qu'on traduise : « la foi [vaut] mise en œuvre par la charité » (sens passif) ou bien : « opérant par la charité » (sens moyen), il en résulte de toute manière que la foi tire de la charité son énergie, son efficacité et sa valeur » (1). Et quod charitas, ἀγάπη, hic sumatur in sensu generali ut primum donum Spiritus (V, 22), vel in sensu magis restricto charitatis fraternæ (V, 13) (2), hoc ad nostram quæstionem non multum refert, et manet conclusio.

EPH., III, 14-19,

« Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi,... ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris : *in caritate radicati, et fundati,* ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum : scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei ».

Hac sublimi oratione Apostolus a Patre petit ut discipuli crescant et corroborentur interius per S. Spiritum, ut Christus habitet per fidem in cordibus eorum, ut, in charitate radicati et fundati, possint comprehendere magnitudinem mysterii et intelligere ipsam Christi charitatem quæ omnem cognitionem humanam exsuperat, et ita perfecti sint in plenitudinem Christi et Dei. Vita hæc perfecta, quam Paulus fide-

(1) *La Théologie de saint Paul,* II, p. 483.

(2) Cf. E. TOBAC. *Le problème de la justification dans saint Paul,* p. 236 s. Lovanii, 1908.

libus adprecatur, dicitur radicata et fundata in charitate ; quo significatur vita ista sustentari charitate sicut ædificium fundamento, nutriri sicut arbor radice (1).

Coloss., III, 12-14.

« Induite vos (ἐνδύσασθε) ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis si quis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. *Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis* (ἐπὶ πᾶσιν δὲ τούτοις τὴν ἀγάπην [ἐνδύσασθε], ὅ ἐστιν σύνδεσμος τῆς τελειότητος ».

In hoc loco S. Paulus docet charitatem esse *vinculum perfectionis moralis*, vinculum quo omnes virtutes quasi colligantur atque coadunantur in unum aliquod perfectum. Hic sensus videtur non esse dubius. Equidem P. Prat, etsi illum sensum præfert, objicit : « l'idée est belle, mais l'expression a quelque chose de singulier ; car on lie bien les parties pour former un tout, mais qu'est-ce que le lien d'un tout ? C'est pourquoi la seconde explication conserve sa probabilité. La charité serait le lien inestimable qui unit les chrétiens entre eux » (2). Atvero non apparet quomodo expressio illa « vinculum perfectionis » sit singularis : annon loqui possumus v. g. de vinculo manipuli (le lien d'une gerbe) ? Præterea, in secundo sensu, objectum non exprimitur ; et hoc sane magis mirum esset. Tandem in contextu immediato agitur de virtutibus induendis : unde obvius sensus est, virtutes, non autem christianos, per charitatem vinciri in totum perfectum.

Porro, insistendo metaphoræ Apostoli, charitas dicenda est vinculum perfectionis, non quatenus ceteras virtutes constitutive ingrediatur ac perficiat, sed quatenus externo quodam

(1) Cf. supra, p. 39. Legatur in h. l. P. Vosté, *Commentarius in Epistolam ad Ephesios*. Romæ, 1921.

(2) *La Théologie de saint Paul*, l. c.

influxu in unum perfectum eas coadunet. Etenim dicitur *vinculum* ; proinde externe colligat. Colligat per modum *vestis vel cinguli*, quod induitur vel habetur super ceteras virtutes, ut patet ex Vulgata : « super omnia autem hæc caritatem habete », et magis expresse ex textu originali græco (1).

I Tim., I, 3-7.

« Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis : quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide. *Finis autem præcepti* (τῆς παραγγελίας) *est caritas* de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant ».

Observandum est plerosque theologos consuevisse citare verba : « finis autem præcepti est caritas », quasi sensus esset : charitas est finis totius legis moralis, seu in charitate tota lex recapitulatur. Atvero, *præceptum* hic non intelligi potest lex moralis vel decalogus, νόμος, ut *Rom.* XIII, 10, *Gal.* V, 14. Sed ex contextu et ex voce græca παραγγελία, duplex sensus accipi potest : vel significatur generatim *prædicatio doctrinæ christianæ*, vel peculiariter *præsens Apostoli exhortatio sive præceptum* (2). Paulus in hoc loco inculcat Timotheo, ut omni conatu impugnet novos illos doctores qui,

(1) Beelen vertit : « En *hebt over dit alles* de liefde, die de band der volmaaktheid is ». Van Tichelen : « *Doet over dit alles* de liefde *aan*, die de gordel der volmaaktheid is ». Crampon : « Mais surtout *revêtez-vous* de la charité, qui est le lien de la perfection ».

(2) P. Prat præceptum intelligit *promissionem evangelicam* : « elle (la charité) est la fin de la promesse, parce que les biens promis par Dieu se résument en elle ». (*l. c.*, p. 482). At minus recte : nam, etiam si vox παραγγελία in hoc sensu adhiberi possit et quandoque adhibeatur, in hoc loco hæc significatio ex contextu admittenda non videtur.

sub specie fidei prædicandæ, semina gnosticismi spargere inceperunt (1) : ratio est, quia non tantum destruunt fidem, sed præcipue charitatem. Juxta priorem et probabiliorem sensum, Apostolus affirmat finem practicum prædicationis evangelicæ esse charitatem excitare, non vero quæstiones provocare animosque dividere disputando de fabulis et genealogiis gnoseos (2). Juxta alterum sensum, dicit scopum suæ commendationis esse charitatem promovere quæ per doctrinas a fide alienas labefactatur (3). Utrovis sensu hæc pericope intelligatur, concludere ex ea licet, ad mentem Apostoli prædicationem ipsius fidei ad charitatem ut ad finem referri, eodem fere sensu ac *I Thess.* IV, 9 : « ipsi enim vos a Deo didicistis *ut diligatis invicem* » (4).

I Cor., XIII.

Hoc caput, ob momentum rei, fere totum transcribimus. Postquam locutus est Apostolus de charismatibus, seu donis extraordinariis miraculorum, prophetiæ, linguarum, et hujusmodi, addit : « Æmulamini autem charimata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro » (XII, 31). Et tunc, sublimitate rei quasi abreptus, incipit illud encomium charitatis, quod merito « hymnus charitatis » appellari solet.

« Si linguis hominum loquar, et Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam : et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates

(1) Cf. etiam *I Tim.*, IV, 7 ; *II Tim.*, II, 23 ; *Tit.*, III, 9.

(2) Ita Beelen : « het doel nu *des onderrichts* is liefde... » Cf. notæ ad h. l.

(3) Ita Crampon : « le but de *cette recommandation,* c'est une charité venant d'un cœur pur... »

(4) Cf. *P. Vosté, Commentarius in Epistolas ad Thessalonicenses*, Romæ, 1917, p. 126.

meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Caritas patiens est, benigna est : caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati ; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas numquam excidit... Nunc autem manent, fides, spes, caritas, tria hæc : major autem horum est caritas ».

In interpretando hoc celeberrimo loco, quantum nostram quæstionem spectat, oportet ut ratio habeatur modi loquendi qui manifeste quemdam lyrismum poeticum redolet. Qui unice litteræ insisteret, periculo sese exponeret verum sensum non percipiendi. Ad rigorem enim verborum videntur virtutes formaliter cum charitate confundi, atque operationes omnium virtutum, patientiæ, benignitatis, humilitatis, mansuetudinis, fortitudinis, et sic porro, ab ipsa charitate ut propriæ elici : « caritas patiens *est*, benigna *est*, *non inflatur*, *non irritatur*, omnia *sustinet* ». Atvero, certissime talis non est mens Sacri Scriptoris, atque perperam a quibusdam auctoribus ita intelligitur. Apostolus enim solet virtutes nitide distinguere ab invicem et a charitate.

Hæc distinctio virtutum vere pertinet ad doctrinam S. Pauli. Apparet manifeste in virtutum enumerationibus quæ pluries in ejus Epistolis occurrunt, et quidem in locis ubi omnino didactice loquitur. Numerat v. g. « fructus Spiritus » : « Fructus autem Spiritus est : caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas ». (*Gal.*, V, 22 s.). Alibi refert « fructus lucis » : « Ut filii lucis ambulate : fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate » (*Eph.*, V, 8 s.). Varias virtutes typicas christianis commendat : « Ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, et mansuetudine,

cum patientia, supportantes invicem in caritate » (*Eph.*, IV, 1 s.; *Col.*, III, 12). Timotheo scribit : « sectare vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem » (*I Tim.*, VI, 11) ; et rursus : « sectare vero justitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro » (*II Tim.*, II, 22). Conferantur tandem virtutes quas in episcopo (*I Tim.*, III, 2-6 ; *Tit.*, I, 7-9), vel in diaconis (*I Tim.*, III, 8-13) vel in certis fidelium categoriis exigit. Hujusmodi catalogi, quibus virtutes sibi invicem, ipsi imo charitati juxtaponuntur, satis demonstrant non esse mentem Apostoli, quod omnes virtutes simpliciter cum charitate confundantur, seu quod ejusdem charitatis sint diversi tantum aspectus. Insuper clare ostendunt illas virtutes esse *in se* bonas et multo commendabiles, quas tam sæpe Paulus inculcat ac præcipit, singulas enumerans et aliquando charitatem non expresse commemorans. Habet eas, cum charitate et per charitatem, ut « fructum Spiritus » ; eas proponit ut « fructum lucis » ; eas habet dignas vocatione christianorum.

Quæ si attendantur, doctrina Apostoli de excellentia charitatis, prout præsenti loco elucet, bene explicatur.

Quando dicit : si caritatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest, intelligendus est loqui de valore morali *vero ac perfecto* seu *stricte meritorio*, quasi dicat : sine charitate, quævis virtutes, maxima etiam fides, operaque heroica misericordiæ vel fortitudinis simpliciter non valent nec prosunt quoad vitam « lucis » et « libertatis » filiorum Dei, de qua vita Apostolus constantur agit. Ab alia parte falsum esset ac contrarium doctrinæ S. Pauli alibi manifestæ (v. g. *Rom.*, II, 14-16), si concluderetur illa, sine charitate, nihil prorsus nulloque sub respectu valere vel prodesse. Docet igitur charitatem esse fontem bonitatis moralis *perfectæ* seu supernaturalis et radicem meriti *proprie dicti*, quatenus informat actus aliarum virtutum.

Quando dicit : caritas patiens est, benigna est, non æmu-

latur, etc., non hoc sensu intelligatur, quasi doceat ipsam charitatem directe et per seipsam omnia cujusvis speciei bona opera efficere, sed potius hoc sensu, quod charitas facit ut homo sit vere patiens, vere benignus, et sic porro. Locus ille, ita acceptus, omnino congruit cum doctrina quam ex aliis textibus audivimus. Videlicet omnes virtutes omniaque bona opera intime a charitate dependent, ex ea quasi fluunt ut fructuosa ac meritoria ; si admittitur virtutes ita a charitate ordinari, ut per eam fiant veræ et perfectæ virtutes, sane loco Apostoli clarus ac plenus sensus tribuitur.

Conclusio.

Ex locis allegatis luce clarius apparet, charitatem non tantum propria dignitate excellere, sed revera totam vitam christianam regere et informare. Sine charitate non concipitur bonum morale genuinum ac perfectum, quale a S. Litteris considerari solet ; sine charitate, id est, sine vero et positivo charitatis influxu. Etenim textus quos obvios habuimus certe explicari nequeunt ab illis qui ad supernaturalem vitam requirunt charitatis quidem qua habitus præsentiam, at non realem ipsius in ceteras virtutes ordinationem. Evangeliorum et Epistolarum doctrina certo certius non in hoc absolvitur, quod exigatur charitas erga Deum et proximum *concomitanter* cum ceteris virtutibus : nam præterea adstruitur *omnimoda dependentia* totius vitæ christianæ respectu charitatis.

Qualis est hæc dependentia ?

In variis locis ita definitur, quatenus mandata legis moralis observantur et implentur *ex* dilectione Dei vel proximi sive *ob* eam. Id habetur in Deuteronomio ; id passim apud S. Joannem, tam in Evangelio quam in Epistolis ; id non semel apud S. Paulum (nominatim *Rom.*, XIII, 8-10; *Gal.*, V, 13-15).

Itaque apprime intelligitur doctrina tum Apostoli dicentis cetera mandata « recapitulari in » charitate, tum Christi Domini dicentis ea « pendere in » charitate. Cum enim mandata implentur ex charitate vel ob charitatem, cum intentione scilicet charitativa, omnia reguntur ac ordinantur charitate, omnia in ea continentur ut in capite vel in ea pendent ut in sustentaculo. Intelligitur etiam quomodo Apostolus *(I Cor.* XIII), quantumvis metonymice, actus omnium virtutum ipsi charitati adscribere potuerit ; intelligitur quomodo, juxta ipsum, fides per charitatem operetur ; intelligitur tandem metaphora, qua charitatem dicit « vinculum perfectionis ».

Itaque, procul dubio, ex fontibus revelatis confirmatur doctrina, quam supra (cap. II) terminologia scholastica explicuimus et rationibus theologicis probavimus: videlicet, *in statu supernaturali, omnia moralia, virtutes et actus, ordinari et regulari sola charitate.* Et non tantum confirmatur hæc doctrina universim considerata, sed etiam diversa ejus elementa ab inspiratis scriptoribus vel indicantur vel saltem innuuntur.

1° Vidimus supra quæstionem ponendam esse, non sub respectu ontologico *entitatis* supernaturalis, sed sub morali et subjectivo *operationis humanæ* ad finem ultimum.

Et hoc deduci potest ex textibus sacris. Ubique enim agitur de ipsa vita morali christiani ; charitas semper exhibetur ut operosa ; ad eam refertur impletio mandatorum ; ei adscribitur activitas ceterarum virtutum. Quæstio quæ allegatis textibus solvitur est utrum omnia in vita morali, actus boni, observatio mandatorum, exercitium virtutum, subjiciantur charitati, ab ea reapse dependeant, necne. Et præcise tali modo quæstionem ponendam esse diximus.

2° Charitas, uti vidimus, eo quod omnes virtutes ad finem suum ordinet, eas reducit ad *summam quandam unitatem ;* eas superinduit forma sua propria ; actus earum trahit ad supremam aliquam speciem communem.

Hæc idea supremæ unitatis per charitatem inductæ clare innuitur in S. Scriptura. Apparet in illis textibus ubi charitas proponitur omnia moralia movens et inspirans ; significatur a Christo docente omnia pendere in sola charitate, et a S. Paulo charitatem considerante ut vinculum perfectionis, ut recapitulationem mandatorum. Sufficienter indicatur vel ipso modo loquendi Apostoli, cum, varias virtutes et primo loco charitatem numerans, eas vocet « fructum Spiritus » *(Gal.*, V, 22 s.) ; quamvis sint multiplices, hæ virtutes tamen constituunt unum fructum Spiritus ; ad mentem Pauli non est loquendum de *fructibus*, sed de *fructu* S. Spiritus (1). Opera *carnis* sunt *diversa :* « Manifesta autem *sunt opera* carnis (τὰ ἔργα τῆς σαρκός) : quæ sunt fornicatio, immunditia... » (19-21). Quibus opponit *fructum Spiritus :* « Fructus autem Spiritus *est* (ὁ δὲ καρπὸς τοῦ πνεύματός ἐστιν) : caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas ». Habetur reapse unus « fructus Spiritus », sicut in alio loco, ubi tres virtutes enumerantur, unus « fructus lucis » *(Eph.*, V, 9). Qui loquendi modus, intentionaliter adhibitus, manifestat intimam ideam Apostoli : si charitas, diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, ordinat omnes virtutes ita ut sit vinculum perfectionis, omnes virtutes, quamvis in se multiplices, ut unus fructus Spiritus proponi possunt.

3° Diximus tandem influxum charitatis reduci ad causalitatem effectivam, quatenus actus virtutum ordinet ad finem suum, non vero ad causalitatem essentialem, quatenus virtutes constitutive ingrediatur ac simul cum eis actus eliciat ; unde formam a charitate impositam esse potius extrinsecam quam intrinsecam.

Et hoc bene congruit doctrinæ sacræ. Nexus quem signi-

(1) Hoc optime explicat S. Franciscus Salesius, *Traitté de l'amour de Dieu*, L. XI, ch. XIX. *Œuvres*, t. V, p. 305-308.

ficat Christus, quando dicit : « in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ », est nexus dependentiæ, i. e. quodammodo extrinsecus ; similiter extrinsecus est nexus quem indicat S. Paulus, quando loquitur de « vinculo perfectionis », de charitate super omnes virtutes habenda seu « superinduenda ». Nec objiciatur locus ubi Apostolus dicit : caritas patiens est, benigna est, etc. Vidimus enim hunc loquendi modum urgeri non posse, et sententiam obvio sensu accipi si intelligatur ceteras virtutes agere sub influxu et intentione charitatis.

Quibus omnibus perspectis, liquet doctrinam quam ad mentem Doctoris Angelici explicuimus, solide etiam in Libris Sacris fundari.

CAPUT IV

QUID DOCEANT PATRES APOSTOLICI.

Summarium. — *Doctrina Duodecim Apostolorum, S. Clemens, S. Ignatius Antiochenus, S. Polycarpus, Epistola Barnabæ, Pastor Hermæ, eandem ac libri N. T. de charitate doctrinam, at minus expresse, proponunt.*

Doctrina quam ex Libris Novi Testamenti hausimus, egregie confirmatur scriptis Patrum Apostolicorum. Eadem elementa doctrinalia, idem sentiendi, frequenter idem loquendi modus apud discipulos immediatos Apostolorum inveniuntur. Charitas, quæ apparet ut affectus dilectionis tam erga Deum quam erga proximum, constanter exhibetur ut fastigium ædificii spiritualis, ut dominatrix totius vitæ christianæ.

Doctrina Duodecim Apostolorum descriptionem vitæ christianæ ita incipit : « Via igitur lucis hæc est : primum diliges Deum, qui te creavit, deinde proximum tuum sicut te ipsum ; omnia vero, quæcumque non vis tibi fieri, nec tu alteri facias.

Doctrina autem horum verborum hæc est... » (1). Et deinde inculcantur diversa officia legis moralis et divinæ. Proinde magnum mandatum Domini explicatur enumerando omnia præcepta moralia : quo clare ab auctore innuitur, cunctam vitam christianam intime ad charitatem referri.

S. Clemens Romanus, scribens circa a. 95 primam suam ad Corinthios epistolam, habet locum valde attendendum. « Qui charitatem in Christo habet, inquit, exsequatur Christi mandata. Vinculum charitatis Dei quis potest enarrare ? Quis pulchritudinis ejus magnificentiam eloqui valet ? Altitudo, ad quam evehit charitas, inenarrabilis est. Charitas nos Deo adglutinat, charitas peccatorum multitudinem tegit, charitas omnia sustinet, omnia patienter tolerat ; nihil sordidum in charitate, nihil superbum ; charitas schisma non habet, charitas seditionem non movet, charitas omnia in concordia facit ; in charitate omnes Dei electi sunt perfecti, sine charitate nihil Deo acceptum est. In charitate nos Dominus sibi assumpsit : propter charitatem, quam erga nos habuit, Dominus noster Jesus Christus voluntate divina sanguinem suum pro nobis tradidit et carnem pro carne nostra et animam pro animabus nostris. Videte, dilecti, quam magna et admiranda sit charitas, et quod perfectio ejus nequeat enarrari... » (2).

Hic locus quam fideliter doctrinam S. Pauli referat, legenti patet. Charitas exhibetur ut principium implendi mandata ; vocatur « vinculum » ; in ea consistit simpliciter perfectio electorum ; ipsi adscribuntur actus variarum virtutum. Quum hæc manifeste ex Epistolis Apostoli hausta sint, juxta sensum ipsius intelligenda sunt.

(1) *Doctrina Duodecim Apostolorum,* I, 2-3 (Funk, *Opera Patrum Apostolicorum.* Tubingæ, 1897. I, p. CXLV).

(2) *I Clementis ad Corinthios,* c. XLIX et seq. (Funk, I, p. 123 ss.).

S. Ignatius Antiochenus in omnibus suis epistolis magnopere charitatem exaltat.

In epistola *ad Ephesios* hæc legimus : « Quorum nihil vos latet, si perfecte habueritis in Jesum Christum fidem et charitatem, quæ initium vitæ et finis sunt : principium quidem fides, finis vero charitas. Hæc autem duo in unum coeuntia Deus sunt (1), omnia vero alia ad probitatem consentanea sunt » (2). — Docet S. Martyr charitatem esse finem seu perfectionem vitæ christianæ, sicut fides est ejusdem principium seu initium (3) ; docet præterea non sola fide Deum possideri, sed fide quæ charitate informatur. Itaque clare indicat in charitate consistere plenitudinem vitæ, ad ipsam omnia esse referenda.

Eadem in epistola pulcherrime dicit : « Ut qui lapides sitis templi patris, præparati in Dei patris ædificium, sublati in alta per machinam Jesu Christi, quæ est crux, spiritu sancto pro fune utentes ; fides autem vestra vos sursum trahit, charitas vero [est] via deducens in [ad] Deum. Estis igitur et viæ comites omnes, deiferi et templiferi, christiferi, sanctiferi, per omnia ornati in præceptis Jesu Christi ; propter quos exsulto, quod dignus habitus sim, per ea, quæ scribo, colloqui vobiscum et simul gaudere ; quia ratione alterius vitæ habita nihil diligitis præter solum Deum » (4).

Fideles igitur sunt lapides præparati in templum Patris ; sublevantur per fidem in cruce, quæ est machina Christi ; conjunguntur autem Deo per charitatem, quæ est funes Spi-

---

(1) Id est : qui simul fidem et charitatem habet, Deum possidet. Cf. FUNK, nota ad h. l., I, p. 184.

(2) *S. Ignatii ep. ad Ephes.*, XIV, 1. (FUNK, I, p. 185).

(3) Hæc doctrina qua exhibetur fides ut *initium* vitæ et charitas ut *finis*, videtur connexa cum illa *scala virtutum* quam confecit S. Petrus (*II Petri*, I, 5-8), in qua fides ponitur prima, ultima charitas, ceteræ autem virtutes locum intermedium tenent.

(4) *Ad Ephes.*, IX, 1 s. (FUNK, I, p. 181) ; coll. *Ad Smyrneos*, I, 1 (*ib.* p. 235).

ritus Sancti : unde adimplent præcepta Jesu Christi et non diligunt nisi Deum et omnia propter ipsum.

In epistola *ad Magnesios* alia metaphora utitur : « Quemadmodum enim sunt numismata duo, alterum quidem Dei, alterum autem mundi, et unumquodque proprium characterem habet impositum, infideles characterem mundi hujus, *fideles autem in charitate* characterem Dei patris per Jesum Christum » (1). — Proinde id quod characterem divinum in vitam humanam imprimit est fides per charitatem formata ; ut S. Martyr scribit in eadem epistola : « Quibus (ecclesiis) opto... unionem in fide et charitate, cui nihil præferendum est, maxime vero unionem cum Jesu et patre » (2) ; et in epistola ad *Philadelphenses :* « Omnia simul bona sunt, modo *in charitate credatis* » (3).

His textibus patet intimam fidei et charitatis unionem — fidei quæ est initium vitæ christianæ, et charitatis quæ est finis ejus, fidei quæ operatur in charitate et per charitatem, — altæ menti S. Ignatii inhærere.

S. Polycarpus hæc scribit *ad Philippenses* : « Qui (Paulus) et absens vobis scripsit epistolas, in quas si intueamini, ædificari poteritis in fide, quæ vobis est data ; quæ est mater omnium nostrum (4), subsequente spe, præcedente charitate in Deum et in Christum et in proximum. Si quis enim intra

(1) *Ep. ad Magnesios,* V, 2. (Funk, I, p. 195).

(2) *Ibid.*, I, 2. (Funk, I, p. 193).

(3) *Ep. ad Philadelphenses,* IX, 2. (Funk, I, p. 233).

(4) Allusio forsan ad dictum S. Pauli, *Gal.,* IV, 26 : « illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est, *quæ est mater nostra* ». In hoc contextu, Apostolus, sub figura duarum uxorum Abrahæ, opponit duo testamenta, unum in servitutem generans, alterum liberum ea libertate qua Christus nos liberavit. Hoc alterum, quod sursum est Jerusalem, est mater nostra ; nos filii promissionis, filii liberæ sumus (*ib.*, 21-31). Apostolus igitur per *matrem nostram* videtur intelligere *fidem in Christum Redemptorem,* fidem quæ nos liberavit a servitute Veteris Legis. Ita S. Polycarpus, dicens *fidem esse matrem omnium nostrum,* hanc ideam exprimit : videlicet fides nos omnes generavit ad vitam supernaturalem.

hæc fuerit, mandatum justitiæ implevit ; nam qui charitatem habet, longe est ab omni peccato » (1).

Ex his verbis retineatur hæc sententia : « si quis intra hæc (fidem, spem et charitatem) fuerit, mandatum justitiæ (in sensu generico : legem justitiæ christianæ) implevit (πεπλήρωκεν ἐντολὴν δικαιοσύνης) » ; quod deinde peculiariter charitati qua principio attribuitur : « nam qui charitatem habet, longe est ab omni peccato ». Manifesta est reminiscentia doctrinæ S. Pauli (*Rom.*, XIII, 8-10 ; *Gal.*, V, 13-15 ; VI, 2).

Juxta *Epistolam Barnabæ*, charitas est quæ testimonium bonorum operum exhibet, qua opera justitiæ, opposita in contextu operibus iniquitatis, probantur : « Tria igitur dogmata sunt Domini : vitæ spes initium et finis fidei nostræ ; et justitia judicii initium et finis ; charitas in hilaritate et lætitia operum justitiæ testimonium » (2).

Tandem, apud *Pastorem Hermæ* invenitur semel ac iterum enumeratio allegorica virtutum christianarum (3). Sicut in scala virtutum quæ invenitur in secunda S. Petri epistola (I, 5-8), ita in hoc opere prima est fides, ultima autem charitas, inter quas ponuntur ceteræ ; omnes nascuntur ex fide ut ex matre, et tenentur ab invicem et sequuntur alia aliam. Turris, quam videt Hermas, « ab his portatur secundum præceptum Domini ». « Harum ergo opera casta et sancta et divina sunt. Quicumque igitur servierit istis ac potuerit tenere opera earum, in turri habebit habitationem cum sanctis Dei. » Et in altero loco concluditur enumeratio : « Hæc nomina qui portat et nomen filii Dei, in regnum Dei poterit intrare. » Proinde perfectio vitæ christianæ et ipsa salus ab auctore attribuitur

(1) *Ep. ad Philippenses,* III, 2 s. (Funk, I, p. 271).
(2) *Epistola Barnabæ*, I, 6. (Funck, I, p. 5).
(3) *Pastor Hermæ,* Visio III, c. 8, n. 1-8 ; Similitudo IX, c. 15, n. 1-2. (Funck, I, p. 368 s., 529).

non fidei tantum, sed complexui virtutum quarum suprema ponitur charitas.

Scriptores apostolici, uti ex his textibus patet, eandem ac in Novi Testamenti libris doctrinam at minus expresse proponunt.

CAPUT V

QUID DOCEAT S. AUGUSTINUS.

SUMMARIUM. — *Auctoritas S. Augustini. Loca conferenda.*

I. Ostenditur quibusdam textibus quomodo, juxta S. Augustinum, omnes virtutes a charitate ad ultimum finem ordinandæ sint.

II. S. Doctor admittit bona opera et virtutes naturales sine charitate, at nullatenus opera simpliciter bona *nec* virtutes veras, *quia, deficiente charitate, deficit ordinatio ad Deum finem supernaturalem.*

III. Summa capita doctrinæ augustinianæ.

Semper considerat honestatem moralem in ordine ad finem ultimum præsentem ; ad quem finem non habemus ordinem nisi per charitatem.

Notio genuina virtutis, *ad mentem S. Augustini. Quonam modo virtutes per charitatem ordinentur.*

S. Augustinus manifesto loquitur de charitate stricte dicta *seu theologica, et non de amore boni vel de amore Dei in quodam sensu lato.*

Si doctrinæ de charitate historia conficienda esset, oporteret omnium Patrum, imo omnium scriptorum ecclesiasticorum opera pervolvere. Quum autem hic non historici partes, sed theologi agamus, grandis ille labor non requiritur. In quæstionibus ad gratiam vitamque supernaturalem respicientibus, Doctor et Magister præ omnibus excellens est S. Augustinus. Quanta auctoritate apud Theologos hac in re gaudeat notum est (1). Quem profecto præterire non licet,

(1) Cf. CARD. MAZZELLA. *De gratia Christi*, ed. 4a, p. 26-31. Romæ, 1895. E. PORTALIÉ, *Augustin (saint)* in *Dictionnaire de Théologie catholique*, t. I, col. 2462-2470.

sed operæ pretium est ejus doctrinam accurate definire. Si sententia, in superioribus paginis exposita et illustrata, « Doctoris gratiæ » menti conformis est, gravissimo sane argumento comprobatur. Atqui ejus doctrinæ omnimodo congruit.

Nihil enim clarius ex operibus S. Augustini elucet quam præcellens dignitas verusque charitatis in vita morali supernaturali primatus ; nec tantum primatus, ut ita dicam, honoris, quo charitas eminentem præ omnibus virtutibus locum obtineat, sed ita realis ut omnes virtutes atque bona opera regat, ordinet ac informet. Hanc regiminis principalitatem studiose exponit in scriptis didacticis, acriter vindicat in operibus polemicis contra Pelagianismum, frequenter explanat in suis epistolis, magnifice celebrat ferventerque commendat in multis sermonibus et homeliis. Omnia loca citare vix possibile est (1). Qui autem opera ejus vel celeri cursu pervadit, mox videt quam firma et constans sit ejus doctrina.

---

(1) Præcipua loca hic sequuntur :

De Beata Vita, c. IV, n. 35. — P. L., t. XXXII, c. 976.

De Ordine, L. II, c. XIX, n. 51. — P. L., t. XXXII, c. 1019.

De Musica, c. XIV - XVI. — P. L., t. XXXII, c. 1186 - 1191.

De libero arbitrio libri tres, L. I, n. 26, 27, 29, 34 ; L. II, n. 2, 47, 50 ; L. III, n. 2, 7, 46, 49, 50. — P. L., t. XXXII, c. 1235 ss.

De moribus Ecclesiæ Catholicæ et de moribus Manichæorum libri duo, L. I, c. III - XXVIII. — P. L., t. XXXII, c. 1312 - 1331.

Epistola CXXXVII (al. 3), *ad Volusianum*, c. V, n. 17. — P. L., t. XXXIII, c. 524.

Epistola CXXXVIII (al. 5), *ad Marcellinum*, c. III, n. 17. — P. L., t. XXXIII, c. 532.

Epistola CXLV (al. 144), *ad Anastasium*. — P. L., t. XXXIII, c. 592 ss.

Epistola CLV (al. 52), *ad Macedonium*. — P. L., t. XXXIII, c. 666 ss.

Epistola CLXVII (al. 29), *ad Hieronymum*. — P. L., t. XXXIII, c. 733 ss.

De doctrina christiana libri quatuor, L. I, c. XXII - XXX. — P. L., t. XXXIV, c. 26 ss.

De vera Religione, c. XLVI - XLVIII. — P. L., t. XXXIV, c. 160 ss.

Quæstionum Evangeliorum libri duo, L. I, c. XXXIII. — P. L., t. XXXV, c. 1329.

In Joannis Evangelium Tractatus CXXIV, Tr. LXV, LXXIV, LXXXIII, LXXXV, LXXXVII. — P. L., t. XXXV, c. 1807 ss., 1826 ss., 1844 ss., 1848 ss., 1852 ss.

Porro, quum mentem Doctoris Hipponensis in scriptis Theologorum inquiris, miraris quod modis valde diversis exponatur. Non loquimur de modo interpretandi Jansenistarum et Baianorum, qui volunt præcellentiam charitatis ita ab Augustino extolli, ut omnia præter illius opera sint peccata et virtutes naturales sint vitia. Hæc interpretatio excessiva

---

In Epistolam Joannis ad Parthos Tractatus X, Tr. VI - X. — P. L., t. XXXV, c. 2020 - 2062.

Expositio quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos, c. LXXV, — P. L., t. XXXV, c. 2084 s.

Epistolæ ad Galatas expositionis liber unus, n. 44 s. — P. L., t. XXXV, c. 2137 s.

Enarrationes in Psalmos. In Psalmum XXXVI, sermo II, n. 13. — P. L., t. XXXVI, c. 371.

In Psalmum LXII, n. 17. — *Ibid.*, c. 758.

In Psalmum LXVII, n. 41. — *Ibid.*, c. 838.

In Psalmum LXXII, n. 32-34. — *Ibid.*, c. 928.

In Psalmum LXXIX, n. 13. — *Ibid.*, c. 1026.

In Psalmum CXXI, n. 10-12. — P. L., t. XXXVII, c. 1627 s.

Sermo XXXIV (al. de diversis 2). — P. L., t. XXXVIII, c. 210 ss.

Sermo XC, n. 6-8. — P. L., t. XXXVIII, c. 562 ss.

Sermo CLXV (al. de verbis Apostoli, 7), c. IV, n. 4. — P. L., t. XXXVIII, c. 904.

Sermo CCCXLIX (al. de Tempore 52), n. 2. — P. L., t. XXXIX, c. 1530.

Sermo CCCL (al. de Tempore 37). — P. L., t. XXXIX, c. 1533 ss.

Enchiridion sive de fide, spe et charitate, c. CXXI, n. 32. — P. L., t. XL, c. 288.

De Civitate Dei, L. XV, c. XXII. — P. L., t. XLI, c. 467.

De Trinitate libri quindecim, L. VIII, n. 10-14 ; L. XV, n. 32. — P. L., t. XLII, c. 956-960 ; c. 1082 s.

De unico baptismo contra Petilianum, c. VII, n. 11. — P. L., t. XLIII, c. 601.

De peccatorum meritis et remissione libri tres, L. I, c. XXII, n. 31. — P. L., t. XLIV, c. 126.

De spiritu et littera liber unus, n. 26, 48. — P. L., t. XLIV, c. 217, 230.

De natura et gratia liber unus, c. LXX, n. 84. — P. L., t. XLIV, c. 290.

De gratia Christi et de peccato originali libri duo, L. I, n. 19, 21, 22, 27. — P. L., t. XLIV, c. 370, 374.

De nuptiis et concupiscentia libri duo, L. I, n. 3, 4. — P. L., t. XLIV, c. 415.

Contra duas Epistolas Pelagianorum, L. II, c. IX, n 21. — P. L., t. XLIV c. 586.

Contra Julianum libri sex, L. IV, c. III, n. 14-33. — P. L., t. XLIV, c. 743 - 756.

De correptione et gratia liber unus, c. II, n. 4. — P. L., t. XLIV, c. 918.

est et falsa, quæ locutionibus quibusdam inhæret, sed mentem augustinianam revera non attingit. Ab alia vero parte, multi Theologi moderni ejus doctrinam nimis attenuare nec accurate intelligere videntur. Postquam enim Vazquez, Suarez, aliique, novas sententias de munere charitatis quoad opera meritoria in scholas theologicas induxerunt, plurimi dicta S. Augustini lato quodam sensu, ne theoriis illis sint contraria, interpretari cœperunt.

Quid autem S. Doctor sentiat, ab ipso petendum est. Itaque ex ipsius scriptis 1° eruere intendimus, quomodo generatim intelligat ceteras virtutes a charitate regi et ad finem ultimum ordinari ; 2° ostendemus eum admittere opera bona et virtutes, etiam sine charitate, at nullatenus opera simpliciter bona nec virtutes *veras*, deficiente charitate. Quibus positis, 3° principia augustiniana de virtutum a charitate dependentia elucidare conabimur. Hoc tertium est commentationis ac disceptationis pars præcipua ; cetera quasi prævia ponuntur.

1° De virtutibus a charitate ordinandis.

In prima parte operis *De moribus Ecclesiæ Catholicæ et de moribus Manichæorum*, S. Augustinus ex professo tractat quæstionem de qua agimus (1). Doctrina quam per multa capita probat, huc redit : Cum finis hominis sit Deus summum bonum, bene vivere est illud summum bonum appetere ; unde nihil aliud est bene vivere quam Deum toto corde, tota anima, tota mente diligere. Quodsi ergo virtus dicitur quæ facit hominem bene vivere, requiritur ut ad Deum summum bonum ordinetur per summum Dei amorem seu charitatem. Quum hic locus valde sit attendendus, operæ pretium est summa demonstrationis elementa paulo fusius et verbatim referre.

« Ratione igitur quæramus quemadmodum sit homini vi-

(1) *De moribus Ecclesiæ Catholicæ et de moribus Manichæorum*, L. I, c. III-XXV.

vendum. Beate certe omnes vivere volumus ». In quo autem consistit beate vivere ? « Quartum restat, ut video, ubi beata vita inveniri queat ; cum id quod est hominis optimum, et amatur, et habetur ». Probat dein hominis optimum esse quod animæ optimum est ; virtute autem animam optimam fieri, et quidem sequendo Deum : « Deus igitur restat, quem si sequimur, bene ; si assequimur, non tantum bene, sed etiam beate vivimus ». Quod ita probavit ratione, deinde probat S. Scriptura :

« Videamus quemadmodum ipse Dominus in Evangelio præceperit esse vivendum ; quomodo etiam Paulus Apostolus... Audiamus ergo quem finem bonorum nobis, Christe, præscribas ; nec dubium est quin is erit finis, quo nos summo amore tendere jubes : Diliges, inquit, Dominum Deum tuum... Audivimus quid diligere, et quantum diligere debeamus : eo est omnino tendendum, ad id omnia consilia nostra referenda. Bonorum summa, Deus nobis est. Deus est nobis summum bonum. »

Per sequentia capita (IX-XIV) exponit naturam ac proprietates illius dilectionis charitativæ, qua Deo connectimur dum illi subjicimur, ipsique Trinitati summo bono inhæremus. Quam expositionem ita incipit :

« Secutio igitur Dei, beatitatis appetitus est : consecutio autem, ipsa beatitas. At eum sequimur diligendo, consequimur vero, non cum hoc omnino efficimur quod est ipse, sed ei proximi, eumque mirifico et intelligibili modo contingentes, ejusque veritate et sanctitate penitus illustrati atque comprehensi. Ille namque ipsum lumen est ; nobis autem ab eo illuminari licet. »

Eandem expositionem concludit :

« Non arbitror cum de moribus et vita fit quæstio, amplius esse requirendum, quid sit hominis summum bonum, quo referenda sunt omnia. Id enim patuit, et ratione quantum valuimus, et ea quæ nostræ rationi antecellit auctoritate divina, nihil aliud esse quam ipsum Deum. Nam quid erit aliud optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum ? Id autem est solus Deus, cui hærere certe non valemus, nisi dilectione, amore, charitate. »

His principiis positis, ostendit quomodo virtutes, speciatim quatuor cardinales, charitate ad summum bonum divinum ordinentur.

« Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affir-

maverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut temperantia sit amor integrum se præbens ei quod amatur ; fortitudo, amor facile tolerans omnia propter quod amatur ; justitia, amor soli amato serviens, et propterea recte dominans ; prudentia, amor ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Et hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Quare definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem ; fortitudinem, amorem omnia propter Deum facile perferentem ; justitiam, amorem Deo tantum servientem, et ob hoc bene imperantem ceteris quæ homini subjecta sunt ; prudentiam, amorem bene discernentem ea quibus adjuvatur in Deum, ab iis quibus impediri potest. »

Deinde singula explicat :

« Itaque prius temperantiam videamus, quæ nobis amoris illius quo innectimur Deo, integritatem quamdam et incorruptionem pollicetur. Munus enim ejus est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea quæ nos avertunt a legibus Dei et a fructu bonitatis ejus : quod est, ut brevi explicem, beata vita. »

« De fortitudine vero non multa dicenda sunt. Amor namque ille de quo loquimur, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur. »

« Quid de justitia quæ ad Deum pertinet ? Hanc ergo justitia vitæ regulam dabit huic amatori de quo sermo est, ut Deo quem diligit, id est summo bono, summæ sapientiæ, summæ paci, libentissime serviat ; ceteraque omnia partim subjecta sibi regat, partim subjicienda præsumat. »

« Nec de prudentia diutius disserendum est, ad quam dignoscentia pertinet appetendorum et vitandorum. Quæ si desit, nihil eorum de quibus jam dictum est, effici potest. Hujus autem sunt excubiæ atque diligentissima vigilantia, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur. »

Totam dissertationem concludit dicens :

« Quid amplius de moribus disputem ? Si enim Deus est summum hominis bonum, quod negare non potestis, sequitur profecto, quoniam summum bonum appetere est bene vivere, ut nihil sit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere : a quo existit, ut incorruptus in eo amor atque integer custodiatur, quod est temperantiæ ; et nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis ; nulli alii serviat, quod est justitiæ ; vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolusve subrepat, quod est prudentiæ. Hæc est hominis

una perfectio, qua sola impetrat ut veritatis sinceritate perfruatur... Diligamus igitur Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quicumque ad vitam æternam pervenire proposuimus. »

Dissertationem hanc legenti clare constat charitatem, de qua continuo loquitur Augustinus, ab ipso intelligi, non lato sensu ut amorem cujusvis boni, sed sensu omnino stricto charitatis theologicæ. Quod eo magis notandum, quum in hoc loco, non mere per transennam, sed ex professo quæstionem nostram tractet.

Similia reperiuntur ad finem operis sat miri *De Musica* (1) : doctrina eadem per modum dialogi inter Magistrum et Discipulum exponitur.

« *M.* Quid ergo restat ? An ut, quoniam sicut potuimus inquinationem et aggravationem animæ consideravimus, videamus quænam illi actio divinitus imperetur, qua purgata atque exonerata revolet ad quietem, et intret in gaudium Domini sui ? *D.* Ita fiat. *M.* Quid me putas hinc diutius debere dicere, cum divinæ Scripturæ tot voluminibus et tanta auctoritate et sanctitate præditis, nihil nobiscum aliud agant, nisi ut diligamus Deum et Dominum nostrum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente ; et diligamus proximum nostrum tanquam nosmetipsos ? Ad hunc igitur finem si omnes illos humanæ actionis motus numerosque referamus, sine dubitatione mundabimur. An aliud existimas ? *D.* Nihil equidem aliud. Sed quam hoc auditu breve est, tam factu difficile et arduum ».

Ostendit tunc Magister dilectionem Dei facilem esse, ordinatam atque stabilem. Et addit :

« Sed hæc actio qua sese anima, opitulante Deo et Domino suo, ab amore inferioris pulchritudinis extrahit, debellans atque interficiens adversus se militantem consuetudinem suam, ea victoria triumphatura in semetipsa de potestatibus aeris hujus, quibus invidentibus et præpedire cupientibus, evolat ad suam stabilitatem et firmamentum Deum ; nonne tibi videtur ea esse virtus quæ temperentia dicitur ? *D.* Agnosco et intelligo. *M.* Quid porro ? cum in hoc itinere proficit, jam æterna gaudia præsentientem ac pene prehendentem, num amissio rerum temporalium, aut mors ulla deterret jam valentem dicere inferioribus sociis : « Bonum est mihi dissolvi et esse cum Christo : manere autem in carne necessarium propter vos » ? (Philip., I, 23, 24). *D.* Sic existimo. *M.* At ista ejus affectio qua nullas adversitates mortemve formidat, quid aliud quam fortitudo

(1) *De Musica*, L. VI, c. XIV-XVII.

dicenda est ? *D.* Et hoc agnosco. *M.* Jamvero ipsa ejus ordinatio qua nulli servit nisi uni Deo, nulli coæquari nisi purissimis animis, nulli dominari appetit nisi naturæ bestiali atque corporeæ, quæ tandem virtus tibi esse videtur ? *D.* Quis non intelligat hanc esse justitiam ? *M.* Recte intelligis ».

In *Epistola ad Macedonium* (1) S. Augustinus, exponens in quonam consistat sapientia christiana, quomodo vero deficiat sapientia philosophiæ paganæ, eandem inculcat doctrinam.

« Itaque, scribit, si omnis prudentia tua, qua consulere conaris rebus humanis ; si omnis fortitudo, qua nullius iniquitate adversante terreris ; si omnis temperantia, qua in tanta labe nequissimæ consuetudinis hominum te a corruptionibus abstines ; si omnis justitia, qua recte judicando sua cuique distribuis, id laborat, id nititur, ut hi quibus vis ut bene sit, salvi sint corpore, et ab omni cujusquam improbitate tuti atque pacati,... ita non erunt veræ virtutes tuæ, sicut nec istorum beatitudo... Si quælibet, inquam, administratio tua, illas quas commemoravi instructa virtutibus, hoc intentionis fine determinatur, ut hominis secundum carnem nullas iniquas molestias patiantur ; nec ad te existimas pertinere, quo istam quietem, quam præstare niteris, referant, id est (ut verbis non ambiam) quomodo Deum verum, ubi est quietæ vitæ omnis fructus, colant, nihil tibi prodest ad vitam vere beatam tantus labor...

« Si enim virtutes quas accepisti, a quo acceperis sentiens, eique gratias agens eas ad ipsius cultum etiam in tuis istis sæcularibus honoribus conferas, tuæque potestati subditos homines ad eum colendum exemplo tuæ religiosæ vitæ, et ipso studio consulendi, seu fovendo seu terrendo erigas et adducas, nihilque aliud in eo quod per te securius vivunt, velis, nisi ut hinc illum promereantur, apud quem beate vivent ; et veræ illæ virtutes erunt, et illius opitulatione, cujus largitate donatæ sunt, ita crescent et perficientur, ut te ad vitam beatam, quæ non nisi æterna est, sine ulla dubitatione perducent : ubi jam nec prudenter discernantur a bonis mala, quæ non erunt ; nec fortiter tolerentur adversa, quia non ibi erit nisi quod amemus, non etiam quod toleremus ; nec temperantia libido frenetur, ubi nulla ejus incitamenta sentiemus ; nec juste subveniatur ope indigentibus, ubi inopem atque indigum non habebimus. Una ibi virtus erit, et idipsum erit virtus præmiumque virtutis, quod dicit in sanctis eloquiis homo qui hoc amat : Mihi autem adhærere Deo bonum est (Ps. LXXII, 28). Hæc ibi erit plena et sempiterna sapientia, eademque veraciter vita jam beata, perventio quippe est ad æternum ac summum bonum, cui adhærere in æternum est finis nostri boni. Dicatur hæc et prudentia, quia prospectissime adhærebit bono quod non amittatur ; et fortitudo, quia firmissime adhærebit bono unde non avellatur ;

(1) *Epistola CLV* (al. 52), *ad Macedonium*, n. 10-16.

et temperantia, quia castissime adhærebit bono ubi non corrumpatur ; et justitia, quia rectissime adhærebit bono cui merito subjiciatur.

« Quanquam et in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est : id eligere, prudentia est ; nullis inde averti molestiis, fortitudo est ; nullis illecebris, temperantia est ; nulla superbia, justitia est. Quid autem eligamus quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus ? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis melius est, quantum magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando... Ad eum ergo qui ubique præsens est et ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus. Mores autem nostri, non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod diligit, dijudicari solent : nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores. Pravitate ergo nostra, a rectitudine Dei longe sumus : unde rectum amando corrigimur, ut recto recti adhærere possimus...

« Hoc qui sobria discretione eligit, prudens est ; qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis est ; qui nulla alia delectatione, temperans est ; qui nulla elatione, justus est. His virtutibus divinitus impertitis,... et bona vita nunc agitur, et postea præmium ejus, quæ nisi æterna esse non potest, beata vita persolvitur. Hic enim sunt eædem virtutes in actu, ibi in effectu ; hic in opere, ibi in mercede ; hic in officio, ibi in fine. »

Bene advertatur, in hisce aliisque locis ubi eadem doctrina proponitur, ordinationem virtutum per charitatem efficiendam ex eo deduci, quod ab una parte bene seu beate vivere sit vivere *in ordine ad finem supernaturalem*, et ab altera quod hujusmodi finis formaliter attingatur *per solam charitatem*. Hæc duo principia, ut legenti patet, a S. Augustino ponuntur ut fundamenta suæ demonstrationis. Finis quem considerat non est finis naturalis hypotheticus, amor de quo loquitur non est amor naturalis ; sed finis est præsentis ordinis, et amor est stricte theologicus.

2° De virtutibus naturalibus et de virtutibus veris.

Quodsi rectitudo vitæ accipitur ab ordinatione ad finem, et virtutes ac bona opera hanc ordinationem a charitate acquirunt, liquet charitatem esse verum elementum bonitatis moralis in præsenti ordine ; aliis verbis, liquet virtutes,

absque charitate ordinante seu informante, non esse *veras* virtutes, et opera non esse *simpliciter bona* opera.

Et sane, hæc doctrina notissima est in œconomia ordinis supernaturalis a S. Augustino proposita. A quo tempore fidem catholicam contra naturalismum pelagianum defendendam suscepit, magnam vim adhibuit in ostendendo *non esse sine charitate virtutes veras nec opera bona*. Notum est quanta energia hanc ideam exprimere soleat, quum virtutes non veras nonnumquam « vitia » vocet, et opera non perfecte bona seu sterilia quandoque « peccata » appellet. Nemo est qui ignoret plures hæreticos, nominatim Jansenianos et Baianos, illa doctrina, illisque appellationibus injuste abusos esse.

Injuste, inquam : etenim S. Doctor non asserit charitatem esse *unicum* elementum seu principium bonitatis moralis, sed docet esse *ultimum* et decisivum, quo præsente opus fit simpliciter bonum, quo absente dicendum est malum ; non simpliciter et undequaque malum, sed malum secundum quid, quatenus scilicet deficit relatio ad finem beatificum. Imo opus sine charitate factum, si cetera adsunt elementa moralitatis, puta conformitas cum lege et finis operantis debitus, potest vocari, ad mentem angustinianam, *opus bonum ;* profecto non bonum simpliciter, sed bonum secundum quid, quatenus continet elementa bonitatis proxima.

Talem esse doctrinam S. Augustini constat ipsiusmet verbis.

In opere *De spiritu et littera*, media in lucta contra Pelagianismum conscripto, præcise ad ostendendam necessitatem divini adjutorii ut homo bene agat, agnoscit possibilitatem et existentiam bonorum operum mere naturalium.

« Si autem hi, ait, qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justeque colentium ; quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum non vituperare possumus, verum etiam merito laudamus :

quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur. Verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in eo velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere ; si hoc est quod dictum est, quia « Gentes quæ legem non habent », hoc est, legem Dei, « naturaliter quæ legis sunt faciunt », et quia hujusmodi homines « ipsi sibi sunt lex », et « scriptum opus legis habent in cordibus suis », id est, non omni modo delectum est, quod ibi per imaginem Dei cum crearentur impressum est... Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit ; sed pietas quæ in aliam vitam transfert beatam et æternam, legem habet immaculatam, convertentem animas (Ps. XVIII, 8), ut ex illo lumine renoventur, fiatque in eis, « signatum est super nos lumen vultus tui, Domine » (Ps. IV, 7)... A cujus gratia si alieni sunt illi de quibus agimus, qui secundum illum modum de quo superius satis diximus, « naturaliter quæ legis sunt faciunt » ; quid eis proderunt, « excusantes cogitationes, in die qua judicabit Deus occulta hominum » (Rom., II, 14-16), nisi forte ut mitius puniantur ? Sicut enim non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur : sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur » (1).

In alio opere contra Pelagianos, *De peccatorum meritis et remissione,* volens ostendere vocationem ad fidem non esse ex meritis hominum, hæc habet :

« Unde enim fit ut homo ab ineunti pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes ceteras provectior aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei prædicari gratia christiana non possit ? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis et facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter hic vivat ? Ubi duo isti tam diversa merita contraxerunt, non dico, ut iste credat, ille non credat, quod est propriæ voluntatis ; sed ut iste audiat quod credat, ille non audiat ; hoc enim non est in hominis potestate : ubi, inquam, hæc tam diversa merita contraxerunt ? » (2).

Ex scopo intento et ex oppositione adducta evidenter patet opera prioris infidelis esse in se naturaliter bona : secus auctor nihil probaret.

(1) *De spiritu et littera*, n. 48. — Idem docet *Contra Julianum*, L. IV, n. 25.
(2) *De peccatorum meritis et remissione,* L. I, c. XXII, n. 31.

Ita scribit contra Pelagianismum. Ante vero suam cum illa hæresi controversiam, quando Manichæos oppugnat opere *De libero arbitrio*, probat bonum oriri ex voluntate, sicut malum, imo existere virtutes quibuscum homo semper recte agit. Nec sermonem facit de gratia vel charitate. Inter plura quæ afferri possent testimonia, hæc sufficiant.

« Vides igitur jam, ut existimo, in voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur vel careamus tanto et tam vero bono [scil. bona voluntate]. Quid enim tam in voluntate, quam ipsa voluntas sita est ? Quam quisque quum habet bonam, id certe habet quod terrenis omnibus regnis, voluptatibusque omnibus corporis longe anteponendum est. Quisquis autem non habet, caret profecto illa re, quam præstantiorem omnibus bonis in potestate nostra non constitutis, sola illa voluntas per seipsam daret » (1). — « Consequenter illæ virtutes » — locutus est de quatuor virtutibus cardinalibus — « ut ratio docuit, animum nostrum incolent, quas habere idipsum est recte honesteque vivere. Ex quo conficitur ut quisquis recte honesteque vult vivere, si id se velle præ fugacibus bonis velit, assequatur tantam rem tanta facilitate, ut nihil aliud ei quam ipsum velle sit habere quod voluit » (2). — « Homo enim ipse, in quantum homo est, aliquod bonum est ; quia recte vivere, cum vult, potest » (3). — « Virtutes igitur quibus recte vivitur, magna bona sunt : species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt : potentiæ vero animi sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male utitur : cæteris autem bonis, id est, mediis et minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. Et ideo virtute nemo male utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus. Nemo autem bene utendo male utitur. Quare abundantia et magnitudo bonitatis Dei non solum magna, sed etiam media et minima bona esse præstitit. Magis laudanda est bonitas ejus in magnis quam in mediis, et magis in mediis quam in minimis bonis : sed magis in omnibus quam si non omnia tribuisset » (4).

Hæc et alia de voluntatis potestate bonum operandi omnino explicita sunt. Licet S. Doctor in libro *Retractationum* (5) animadvertit scopum suum in citatis textibus non fuisse *totam*

(1) *De libero arbitrio*, L. I, n. 26.
(2) *Ibid.*, n. 29.
(3) *Ibid.*, L. II, n. 2.
(4) *Ibid.*, L. II, n. 50. — Cf. etiam L. I, n. 34 ; L. II, n. 47 ; L. III, nn. 2, 7, 46, 49, 50.
(5) *Retractationum* L. I. c. IX.

originem et naturam actus boni describere, et se proin de gratia et charitate loqui non debuisse, restat nihilominus, juxta ipsum, bonitatem actus et virtutis non sola charitate constitui et actus virtutesque sub aliquo saltem respectu qua bonos absque charitate considerari posse.

Alibi primorum Romanorum laudat virtutes naturales, hac tantum restrictione quod non fuerint meritoriæ vitæ æternæ :

« Quam [rempublicam] primi Romani constituerunt auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ illos etiam in æternam civitatem posset salubri religione perducere ; custodientes tamen quamdam sui generis probitatem, quæ posset terrenæ civitati constituendæ, augendæ, conservandæque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo et præclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine vera religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines cives alterius civitatis, cujus rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas » (1).

Itaque S. Augustinus admittit naturalem operum et virtutum bonitatem, talem certe quæ rationem malitiæ absolutæ excludat. Et nihilominus docet naturales virtutes *non* esse *veras* virtutes.

In opere *De nuptiis et concupiscentia* hæc scribit, speciatim quoad virtutem pudicitæ :

« Absit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii servat uxori... Habent (fideles) quippe intentionem generandi regenerandos, ut qui ex eis sæculi filii nascuntur, in Dei filios renascantur. Quapropter qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Christi, sed infideles parentes de infideli prole glorientur ; etiamsi tanta sit observantia, ut secundum matrimoniales tabulas nonnisi liberorum procreandorum causa concumbant, non est in eis vera pudicitia conjugalis. Cum enim virtus sit pudicitia, cui vitium contrarium sit impudicitia omnesque virtutes etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent ; quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando a vero Deo ipse animus fornicatur. Quam fornicationem sanctus ille psalmus accusat, ubi dicit : « Ecce enim qui longe se faciunt a te, peribunt ; perdidisti omnem qui fornicatur abs te » (Ps. LXXII, 27). Vera igitur pudicitia, sive conjugalis, sive vidualis, sive virginalis dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur » (2).

(1) *Ep.* CXXXVIII (al. 5), *ad Marcellinum*, c. III, n. 17.
(2) *De nuptiis et concupiscentia*, L. I. n. 3, 4.

Quam eandem doctrinam S. Doctor de virtutibus generatim ex professo pertractat et vindicat in opere quod *Contra Julianum*, qui illam impugnaverat, conscripsit. Quædam essentialia inde conferimus.

« Sed absit, ait, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem ut sit justus vere, nisi vivat ex fide : Justus enim ex fide vivit (Rom., I, 17)... Porro si veram justitiam non habent impii ; profecto nec alias virtutes comites ejus et socias, si quas habent, veras habent (quia cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti) : ac per hoc nec continentia sive pudicitia vera virtus est impiorum... Ideo veras virtutes habemus quia verum est propter quod facimus, id est, hoc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem et veram felicitatem.

« Non enim absurde virtus definita est ab eis qui dixerunt, « Virtus est animi habitus, naturæ modo atque rationi consentaneus » (Cicero, lib. 2 de Inventione). Verum dixerunt, sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium nescierunt. Neque enim omnes homines naturali instinctu immortales et beati esse vellemus, nisi possemus. Sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum et hunc crucifixum, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura nostra sanatur. Ideo justus ex fide Christi vivit. Ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperanter, et juste, ac per hoc his omnibus veris virtutibus recte sapienterque vivit, quia fideliter vivit. Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes...

« Noveris itaque, non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est : finis vero propter quid faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, *si non propter hoc facit propter quod facere debet*, peccare convincitur. Quæ tu (Juliane) non attendens, fines ab officiis separasti, et virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti... Veræ quippe virtutes *Deo serviunt* in hominibus, a quo donantur hominibus : Deo serviunt in Angelis, a quo donantur et Angelis. Quidquid autem boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.

« Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt... Absit enim ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in se ipsa, non in Domino gloriatur. Ac per hoc nec ejus fructus iste dicendus est ; arbor enim mala bonos fructus non facit... Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni : sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali.

« Si gentilis », inquis, « nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est » ? Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est ; non quia per

se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est : sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum... Quæro abs te, utrum hæc opera bona bene faciat, an male. Si enim quamvis bona, male tamen facit ; negare non potes eum peccare, qui male quodlibet facit...

« Aut ergo intellige quod ait Dominus : « Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit ; si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit » (Matth. VI, 22 s.) : et hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit ; et per hoc disce eum, *qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse*, hoc est, plenum nigredine peccatorum. Aut certe quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere ; scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quæ datur per unum Mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cetera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, et sine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona : voluntas quippe infidelis atque impia non est bona. Dicantur secundum te hujusmodi voluntates arbores bonæ, sufficit quod apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonæ : sint inter homines fructuosæ, inter quos sunt et bonæ, te auctore, te laudatore, si vis etiam plantatore ; dum tamen illud velis nolis obtineam, quod amor mundi, quo quisque amicus est hujus mundi, non est a Deo ; amorque fruendi quibuscumque creaturis sine amore Creatoris, non est a Deo : *amor autem Dei quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo Patre per Jesum Christum cum Spiritu Sancto. Per hunc amorem Creatoris, bene quisque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore Creatoris, nullis quisquam bene utitur creaturis.* Hoc ergo amore opus est ut bonum beatificum sit et pudicitia conjugalis... » (1)

Ex his liquet, ad mentem S. Augustini ea non esse stricte opera bona, eas non esse veras virtutes, quæ positive non ordinantur in Deum finem ultimum ; ea autem non ordinari in Deum, quæ non informantur charitate.

Neque objicias sufficere, juxta S. Doctorem, ordinationem *per fidem*. Etenim, ut ipse dicit, respicit « fidem bonam, hoc est, eam quæ per dilectionem operatur » ; agit « de illa voluntate bona, de illo opere bono, per quod perveniatur ad regnum cœleste », quod nonnisi per charitatem verificatur ; et demon-

(1) *Contra Julianum*, L. IV, c. III, n. 14-33.

strationem suam concludit, aperte amorem Dei charitativum exigens. Quod autem explicite de *fide* requisita loquatur, id facile explicatur ex statu quæstionis quæ cum Juliano agebatur, videlicet utrum virtutes *infidelium* sint veræ virtutes necne.

Ceterum illa doctrina S. Doctori tam familiaris est, ut eam in omnibus fere scriptis, si non ex professo, saltem per transennam inculcet. Legantur, verbi gratia, sequentes propositiones.

« Quæ (charitas) si defuerit, iniquitas est » (1). — « Latitudo charitatis est, *quæ sola bene operatur* » (2). — « Ea quippe *sola bona* dicenda sunt, *quæ fiunt per dilectionem Dei.* Hæc autem necesse est antecedat fides... Hæc est fides... quæ per dilectionem operatur » (3). — « Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur *nec recte bonum opus vocatur* : quia omne quod non ex fide est, peccatum est (Rom. XIV, 23) ; et fides per dilectionem operatur (Gal. V, 6). Ac per hoc gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis (Rom. V, 5), sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet » (4). — « Aliud est enim *charitas radix bonorum*, aliud cupiditas radix malorum ; tantumque inter se differunt, *quantum virtus et vitium...* Charitas autem *quæ virtus est*, ex Deo nobis est ; non ex nobis » (5). — « Tantum valet charitas. Videte, quia sola discernit, videte, quia *facta hominum sola distinguit* » (6). — « Charitas ergo inchoata, inchoata justitia est ; charitas provecta, provecta justitia est ; charitas magna, magna justitia est ; charitas perfecta, perfecta justitia est : sed charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta » (7). — « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua ; et diliges proximum tuum tanquam teipsum (Matth., XXII, 37, 39). Hic physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est, Deus et proximus » (8). — « Si

(1) *De unico baptismo*, c. VII, n. 11.
(2) *Sermo* CLXV (al. 7 de verbis Apost.), c. IV, n. 4.
(3) *In Ps.* LXVII, n. 41.
(4) *De gratia Christi et de peccato originali*, L. I, n. 27.
(5) *Op. cit.*, L. I, n. 21 s. — Cf. n. 19.
(6) *In Epistolam Joannis*, tract. VII, n. 7.
(7) *De natura et gratia*, c. CXX, n. 84.
(8) *Ep.* CXXXVII (al. 3), *ad Volusianum*, c. V, n. 17.

ergo nos virtus vera delectat, ei (Deo) dicamus, quod in ejus sacris Litteris legimus, « Diligam te, Domine, virtus mea » (Ps. XVII, 2) (1).

In quadam epistola ad S. Hieronymum, S. Augustinus disputans de loco Jacobi II, 10 : « Qui offenderit in uno, factus est omnium reus », hæc scribit :

« Et ut generaliter breviterque complectar quam de virtute habeam notionem, quod ad recte vivendum attinet, virtus est charitas, qua id quod diligendum est diligitur. Hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est, plenissima vero quæ jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine ; quamdiu autem augeri potest, profecto illud quod minus est quam debet, ex vitio est... Si autem præcepta non essent, non utique esset ubi se homo certius inspiceret, et videret unde averteretur, quo conaretur, quare gratularetur, quid precaretur. Magna est ergo utilitas præceptorum, si libero arbitrio tantum detur, ut gratia Dei amplius honoretur.

« Quæ si ita se habent, unde fiet omnium reus, si in uno offendat, qui totam legem servaverit ? An forte, quia plenitudo legis charitas est qua Deus proximusque diligitur, in quibus præceptis charitatis tota lex pendet et prophetæ (Matth. XXII, 40), merito fit reus omnium, quia contra illam facit, in qua pendent omnia ? Nemo autem peccat, nisi adversus illam faciendo : quia, « Non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur », in eo quod est, « Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo » autem « legis, charitas » (Rom. XIII, 9, 10). Nemo autem diligit proximum, nisi diligens Deum, et hoc, quantum potest, proximo impendat, quem diligit tanquam seipsum, ut et ille diligat Deum : quem si ipse non diligit, nec se, nec proximum diligit. Ac per hoc qui totam legem servaverit, si in uno offenderit, fit omnium reus ; quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam in qua pendent omnia » (2).

Ex his omnibus textibus abunde patet, S. Doctorem, licet admittat virtutes naturales, non tamen eas virtutes habere ut *veras virtutes*, quia deest charitas eas ad Deum finem supernaturalem ordinans. Imo, vitam moralem universam ita ad regimen charitatis reducit, ut quod absque ea agitur dicatur « iniquitas » et « peccatum ». Quomodo hoc explicandum sit, mox videbimus.

(1) *Ep.* CLV (al. 52), *ad Macedonium*, c. II, n. 6.
(2) *Ep.* CLVII (al. 29), *ad Hieronymum*, c. V, n. 16, 17.

3° Doctrinæ augustinianæ summa capita.

Quodsi genuinam Doctoris Hipponensis mentem de relatione charitatem inter ceterasque virtutes inquirimus, sequentia invenimus principia quibus doctrina moralis ipsius fulcitur.

I. Honestatem seu rectitudinem moralem semper *in ordine ad finem ultimum* considerat : relatio ad finem est mensura et ultimum fundamentum moralitatis. Definitionem virtutis a Cicerone traditam : « virtus est animi habitus, naturæ modo atque rationi consentaneus » ut « non absurdam » habet, dummodo intelligatur « liberanda atque beatificanda natura », seu natura secundum finem considerata (1).

Porro, ubique *supernaturalem* finem, qualis impræsentiarum homini est assignatus, præ oculis habet, nullibi finem mere naturalem. Etiam quando more philosophico disputat, quando vel contra Epicureos, qui summum hominis bonum in corpore reponebant, vel contra Stoicos, qui illud in anima esse dicebant, demonstrat beatitudinem consistere in adhærendo Deo, ipsoque fruendo, ita loquitur ut clare finem ultimum esse visionem beatificam innuat (2). Hanc autem sequenti modo definit : « Consequimur vero (Deum), non cum hoc omnino efficimur quod est ipse, sed ei proximi, eumque mirifico et intelligibili modo contingentes, ejusque veritate et sanctitate penitus illustrati atque comprehensi. Ille namque ipsum lumen est ; nobis autem ab eodem illuminari licet » (3).

II. Ad hunc finem, in quo prosequendo vita simpliciter recta et bona consistit, non habemus ordinem et proportionem *nisi per charitatem*. Hoc principium S. Augustino omnino constat.

(1) *Contra Julianum*, L. IV, n. 19.

(2) Cf. v. g. *De ordine*, L. II, c. XIX, n. 51 ; *De Beata Vita*, c. IV, n. 35 ; *Ep.* CLV (al. 52), *ad Macedonium*.

(3) *De moribus Ecclesiæ catholicæ*, L. I, c. XI, n. 18.

Deum, quem finaliter consequi debemus, nunc sequimur, diligendo ea dilectione qua ipsi connectimur, subjicimur, inhæremus : « Maximum ergo quod ad beatam vitam ducit primumque mandatum est : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et anima et mente. Diligentibus enim Deum omnia procedunt in bonum » (1). — « Actio divinitus imperata qua purgata atque exonerata (anima) revolet ad quietem, et intret in gaudium Domini sui », nihil aliud est « nisi ut diligamus Deum et Dominum nostrum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente et diligamus proximum nostrum tanquam nosmetipsos » (2). — « Imus (ad Deum) non ambulando, sed amando. Mores nostri, ex eo quod quisque diligit, dijudicantur. A rectitudine Dei longe sumus : unde rectum amando corrigimur, ut recto recti adhærere possimus » (3). — « Amor Dei quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo Patre per Jesum Christum cum Spiritu Sancto. Per hunc amorem Creatoris, bene quisque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore Creatoris, nullis quisquam bene utitur creaturis » (4). — Charitas debet « omnia nostra in Deum conferre, omnes cogitationes nostras et omnem vitam et omnem intellectum ; nulla vitæ pars vacare potest sed quidquid aliud diligendum venerit in anima, illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit ; dilectio Dei nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur » (5).

Ne objiciatur, a S. Augustino quandoque non charitatem, sed fidem requiri ut vita sit recta et virtus vera. Etenim, iis in locis ubi, pro scopo suo, de fide loquitur, expresse intelligit fidem *bonam*, fidem *charitate formatam*. Legantur textus supra citati (6). « Plenitudo enim Legis, charitas », scribit

(1) *Op. cit.*, L. I, c. VIII.
(2) *De Musica*, L. VI, c. XIV, n. 43.
(3) *Ep.* CLV (al. 52), *ad Macedonium*, n. 13.
(4) *Contra Julianum Pelagianum*, L. IV, c. III, n. 33.
(5) *De doctrina christiana*, L. I, n. 21.
(6) Cf. p. 96 s.

alibi : « ut quoniam fides impetrat Spiritum Sanctum, per quem charitas diffusa est in cordibus operantium justitiam (Rom. V, 5), nullo modo quisquam ante gratiam fidei de bonis operibus glorietur. Quapropter... monstravit (Apostolus) opera ad bonos mores pertinentia non impleri nisi dilectione, per quam fides operatur » (Gal. V, 6) (1). — « Habete itaque charitatem, fratres mei », dicit rursus. « Laudatur fides, constat, laudatur ; sed quæ fides distinguit apostolos... Quæ ergo fides ? qualis fides ? Quæ per dilectionem operatur... Habete itaque fidem cum dilectione ; nam dilectionem non potestis habere sine fide... potestis habere fidem sine dilectione. Nam non vos exhortor ut habeatis fidem, sed charitatem. Non potestis enim habere charitatem sine fide, charitatem dico Dei et proximi » (2). — « Ipsa dilectio sive charitas, nam unius rei est utrumque nomen, perducit ad regnum, ita ut ipsam fidem non faciat utilem nisi charitas. » (3).

III. Recolatur nunc ex textibus supra allatis, quænam ponatur *notio genuina virtutis.*

Virtutem S. Doctor vocat illum tantum animi habitum, qui ordinem et rectitudinem habet ad finem ultimum seu beatitudinem. Nihil magis evidens opera ejus perlegenti.

Virtus est illa quæ « ad beatam vitam nos ducit » (4). — « Veræ illæ virtutes erunt..., ut te ad vitam vere beatam, quæ non nisi æterna est, sine ulla dubitatione perducant » (5). — Virtus, ut supra audivimus, est habitus animi naturæ liberandæ et beatificandæ consentaneus (6). — Habere virtutes idipsum est recte honesteque vivere, id est, ea rectitudine quæ ad finem ducit (7). — « Noveris, ita alloquitur Julianum

(1) *Epistolæ ad Galatas expositionis liber unus*, n. 44.
(2) *Sermo* XC, n. 8.
(3) *De Trinitate*, L. XV, c. XVIII, n. 32.
(4) *De moribus Ecclesiæ catholicæ*, L. I, c. XV, n. 25.
(5) *Ep.* CLV (al. 52), *ad Macedonium*, n. 12.
(6) *Contra Julianum*, L. IV, c. III, n 19.
(7) *De libero arbitrio*, L. I, n. 29 ; L. II, n. 50.

non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est : finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non *propter hoc facit propter quod facere debet*, peccare convincitur. Quæ tu non attendens, fines ab officiis separasti, et virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti... Veræ quippe virtutes *Deo serviunt* in hominibus, a quo donantur hominibus... Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quæ datur per unum Mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri, *per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci* » (1).

Hæc virtutis notio, quam S. Augustinus constanter tradit et applicat, maximi momenti est ad doctrinam ipsius rite intelligendam.

Inde ab ævo scholasticorum, Doctores virtutem directe et immediate considerare solent in ordine ad proprium ejus objectum formale, et secundum hoc definire ejus naturam et speciem moralem. Objecta autem formalia virtutum moralium non in fine ultimo, sed in bonis particularibus et intermediis constituuntur. Actus virtutis moralis qua talis ad bonum particulare terminatur : hoc bonum quidem ad summum bonum referri potest, sed ipsa relatio non pertinet ad virtutum moralem. Ad hunc concipiendi modum, notio virtutis includit relationem ad finem suum proprium seu objectum formale, non autem requirit formaliter relationem ad finem ultimum. Proinde etsi, deficiente relatione ad finem ultimum, virtus non habet perfectam et veram bonitatem quam illa relatione solummodo obtinet, tamen considerari potest et consideratur ut habens bonitatem propriam, unde virtus est et nominatur.

Ad mentem S. Augustini econtra, notio virtutis includit

(1) *Contra Julianum*, L. IV, c. III. n. 21 et 33.

veram relationem ad finem ultimum. Itaque S. Doctor, qui totus est in ordine supernaturali perscrutando et vindicando, notionem virtutis restringit ad virtutem *perfectam*, ad virtutem *christianam*. Qui concipiendi et loquendi modus, si præ oculis habeatur, ad doctrinam ipsius moralem perspiciendam non parum juvat.

IV. Ex hac virtutis notione sponte sequitur, virtutem quæ non ordinatur ad finem ultimum per charitatem non esse *veram virtutem*, non esse dignam nomine virtutis : sola enim charitas omnia ordinat ad finem ultimum. Sequitur etiam — quod ad idem reducitur, — solam charitatem, in rigore vocis, nominandam esse virtutem. S. Augustinus hoc clare et iterato docet.

« Ut generaliter breviterque complectar quam de virtute habeam notionem », ita scribit ad Hieronymum, « quod ad recte vivendum attinet, *virtus est charitas*, qua id quod diligendum est diligitur » ; et rursus : « Charitas igitur de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, magna et vera virtus est, quia ipsa est et finis præcepti... *Ipsa est virtus* » (1). In libro *De moribus Ecclesiæ Catholicæ*, ubi ex professo et didactice quæstionem nostram tractat, dicit : « Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, *nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei* » (2). Et alibi, postquam dixit in cœlo charitatem esse « unam virtutem et idipsam virtutem præmiumque virtutis », addit : « quanquam *et in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est* » (3). « Si ergo valida est (charitas), fortis est et magnæ virtutis, et *ipsa est virtus*... Plenitudo autem deliciarum et sufficientia divitiarum ipse Deus, ipse idipsum, ipse cujus participatio est civitatis in idipsum ; ipsa (al. ipse)

(1) *Ep.* CLXVII (al. 29), *ad Hieronymum*, n. 16 et 11.
(2) *De moribus Ecclesiæ Catholicæ*, L. I, c. XV.
(3) *Ep.* CLV (al. 52), *ad Macedonium*, n. 13.

erit et abundantia nostra. Sed unde ? *Per charitatem, hoc est virtutem* » (1). — « Aliud est enim charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum ; *tantumque inter se differunt, quantum virtus et vitium... Charitas autem quæ virtus est,* ex Deo nobis est, non ex nobis » (2).

Si charitas sola est *magna et vera virtus,* imo sola *virtus,* ceteræ rationem veræ virtutis a charitate participant, veræ virtutes non sunt nisi dependenter a charitate. Legantur quæ ex operibus *De nuptiis et concupiscentia* et *Contra Julianum* in superioribus paginis contulimus (3). Infidelibus et peccatoribus Augustinus absolute denegat veras virtutes, non tantum quia id quod agunt sæpissime malo fine proxime intento vitiatur, sed radicaliter quia, deficiente charitate, a fine ultimo deficit. Agnoscit nihilominus possibilitatem et existentiam bonorum operum sine charitate ; sed nomen *virtutis* eis non applicat. Unde rursus confirmatur dignitatem virtutis virtuti christianæ plene formatæ ab eo reservari.

Quibus consideratis, facile explicatur dictum notissimum S. Doctoris : « mihi videtur, quod definitio brevis et vera *virtutis : ordo est amoris* » (4). Hæc definitio, inquam, ex notione augustiniana virtutis intelligitur. Si virtus dicit ordinem ad summum bonum, et si hic ordo est a charitate quæ sola essentialiter ordinatur ad ultimum finem, virtus breviter et vere definiri potest : ordo amoris seu charitatis.

Alia quoque primo aspectu difficilia, in doctrina S. Augustini, inde explicantur. Quum notionem *virtutis* multum restringat, consequens est terminum correlativum *vitii* vel *peccati* eadem proportione extendi. Usu enim loquendi hominum habitus morales dividuntur in virtutes et vitia ; opera in bona et mala seu peccata. Proinde, si virtus non dicitur

(1) *In Ps.* CXXI, n. 12.
(2) *De gratia Christi,* n. 21, 22.
(3) Cf. p. 95 s.
(4) *De civitate Dei,* XV, 22.

nisi quæ ordinatur ad finem ultimum beatificum, vitium nuncupari potest quod ad illum finem non refertur, quamvis ex alio capite non sit malum ; si dignitas virtutis reservatur habitui perfecte ordinato, labes vitii seu peccati illi inuri potest cui deest absoluta rectitudo.

In hoc sensu loquitur S. Doctor, quando, præsertim in controversia cum Pelagianis, omnia opera infidelium et impiorum dicit esse *vitia* et *peccata* (1). Unde verbis ipsius manifeste abusi sunt, et ab Ecclesia merito damnati, hæretici illi qui docuerunt quæcumque opera sine charitate facta oriri ex perversa et vitiosa cupiditate et sensu proprio et stricto in se esse mala et peccata (2).

V. Quodsi ulterius quæratur *quonam modo*, ad mentem Hipponensis, *virtutes ordinentur a charitate*, difficilius est responsum.

Imprimis, non est sistendum in modo loquendi, quem hic vel illic, in operibus diversissimi generis, adhibet. Verbi gratia, in aliquo sermone magnificans charitatem, exclamat :

« Quapropter, fratres, sectamini charitatem... Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata, in Noe per diluvium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter injurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima. In tribus pueris blandos ignes innocenter exspectat, in Macchabæis sævos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum ; humana in christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Sed quid de charitate majus aut uberius possum dicere, quam quas per os Apostoli laudes intonat Dominus

(1) Cf. D. Palmieri. *Tractatus de gratia divina actuali*, Th. XXI, pp. 103-107. Galopiæ 1885.

(2) Cf. Conc. Trid., Sess. VI, can. 7 ; — prop. damnatæ Baii 22ª, 25ª, 27ª, 28ª, 35ª, 37ª, 38ª, 40ª, 62ª, 65ª ; — prop. prohibitæ ab Alexandro VIII, (7 Dec. 1690), 7ª, 8ª, 11ª, 13ª ; — prop. Quesnelli damnatæ a Clemente XI, 44ª, 45ª, 46ª, 47ª, 48ª, 49ª, 57ª, 58ª, 59ª ; — tandem prop. 23ª et 24ª Synodi Pistoriensis, damnatæ a Pio VI (28 Aug. 1794).

supereminentem viam demonstrantis atque dicentis « Si linguis hominum loquar etc. » (1).

Excessivum profecto est, nec sanæ interpretationis regulis consentaneum, ex hujusmodi oratoria loquendi ratione concludere charitatem *per se ipsam* opera omnium virtutum *elicere*. Si verba sancti concionatoris ita intelligimus quod charitas producat seu causet omnia bona opera, *imperando seu movendo*, quis dicet sensum non rectum esse vel insufficientem ?

Alii autem sunt textus, primo aspectu explicatu difficiliores.

Quatuor virtutes cardinales, quas præ ceteris considerare solet, aliquando definit, quasi essent unus idemque amor diversimodo operans, quasi proinde essent ipsius charitatis partes integrales.

« Namque, ita ipse, illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur... Quare definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem ; fortitudinem, amorem omnia propter Deum facile perferentem ; justitiam, amorem Deo tantum servientem, et ob hoc bene imperantem cæteris quæ homini subjecta sunt ; prudentiam, amorem bene discernentem ea quibus adjuvatur in Deum, ab iis quibus impediri potest » (2).

Dr J. Ernst ex hoc loco concludit : « Secundum Augustinum, temperantia, fortitudo, etc. non sunt virtutes, si non *sint* amor Dei, si charitas non sit *elementum constitutivum bonitatis earum*. Suam rationem virtutum (moralium) nonnisi a charitate obtinent » (3). Quod perperam asseritur. Profecto Augustinus illas ut veras virtutes non habet, nisi cum et sub charitate ; at deduci non potest charitatem aliarum virtutum essentiam qua elementum constitutivum ingredi. Definitio, in textu allegato posita, ne urgeatur. Etenim, in contextu singula membra explicans, S. Doctor virtutes non

(1) *Sermo* CCCL (al. 39), *de Tempore*, n. 3.
(2) *De moribus Ecclesiæ catholicæ*, L. I, c. XV, n. 25.
(3) Dr J. Ernst, *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, p. 137.

formaliter reducit ad charitatem : justitiam non tribuit amori, sed amatori, quod patet non idem esse ; prudentiam considerat in se ipsa, nec de amore loquitur ; et in conclusione ita illas describit ut singulæ videantur munus habere proprium, quamvis charitati subordinatum, munus, ut ita dicam, ancillarum charitatis : « A quo existit, ut incorruptus in eo amor atque integer custodiatur, *quod est temperantiæ ;* et nullis frangatur incommodis, *quod est fortitudinis ;* nulli alii serviat, *quod est justitiæ ;* vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolusve subrepat, *quod est prudentiæ* » (1). Unde genuinus sensus totius loci videtur, unamquamque virtutem, proprium suum officium implendo, directe subesse ac inservire charitati, inservire qua adjumentum vel præsidium. Ceterum hic sensus ex aliis locis parallelis confirmatur (2).

Itaque S. Thomas non sine fundamento ad præsentem S. Augustini locum observat : « Si intelligatur de amore charitatis, non datur per hoc intelligi quod quælibet alia virtus essentialiter sit charitas, sed quod omnes aliæ virtutes aliqualiter a charitate dependeant » (3). Similiter B. Bellarminus : « Non quod ignoraret (Augustinus) propriam rationem temperantiæ, prudentiæ et aliarum virtutum non in amore, sed in alio actu sitam esse, sed ut ostenderet virtutes omnes a charitate moveri atque formari, et easdem virtutes, nonnisi charitate formatas, nos ad Deum promerendum posse perducere » (4).

Et revera, in opere *De libero arbitrio*, S. Doctor sic definit virtutes cardinales :

« Considera nunc utrum tibi videatur esse prudentia, appetendarum et vitandarum rerum scientia... Fortitudo nonne illa est animæ affectio, qua omnia incom-

(1) *De moribus Ecclesiæ catholicæ*, c. XXV, n. 46.

(2) Cf. v. g., *De Musica*, L. VI, c. XIV-XVI ; *Ep. CLV* (al. 52), *ad Macedonium*, n. 9-13.

(3) *Summa Theologica*, Ia IIæ, q. LXII, a. 2, ad 3 ; IIa IIæ, q. XXIII a. 4, ad 1.

(4) *De controversiis christianæ fidei*. T. IV *De justificatione*, L. V, c. XV. Venetiis. 1721.

moda et damna rerum non in nostra potestate constitutarum contemnimus... Porro temperantia est affectio coercens et cohibens appetitum ab iis rebus quæ turpiter appetuntur... Jam justitiam quid dicamus esse, nisi virtutem qua sua cuique tribuuntur... Consequenter (si habeatur bona voluntas) illæ virtutes, ut ratio docuit, animum nostrum incolent, quas habere idipsum est recte honesteque vivere. (1).

Quo in loco rationem propriam illarum virtutum scite distinguit.

Alibi scribit :

« In ista enim colluvie morum pessimorum et veteris perditæ disciplinæ, maxime venire ac subvenire debuit cœlestis auctoritas, quæ voluntariam paupertatem, quæ continentiam, benevolentiam, justitiam atque concordiam, veramque justitiam persuaderet, cæterasque vitæ luminosas validasque virtutes ; non tantum propter istam vitam honestissime gerendam, nec tantum propter civitatis terrenæ concordissimam societatem ; verum etiam propter adipiscendam sempiternam salutem, et sempiterni cujusdam populi cœlestem divinamque rempublicam, cui nos cives adsciscit fides, spes, charitas » (2).

Hanc virtutum a charitate distinctionem non obscure indicat iis etiam in locis, ubi charitatis primatum inculcat. Charitas enim ad bona opera se habet ut *finis*, ut *vena*, ut *radix*, ut *caput*.

« Quod Dominus dicit : In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ ; *pendet* dixit, id est, illo refertur, *ibi habet finem* » (3).

« Opus ergo suum probet unusquisque nostrum, utrum de *vena* charitatis emanet, utrum de *radice* dilectionis rami bonorum operum pullulent » (4). — « Fructus, inquit (Apostolus), spiritus charitas est : ac deinde cetera tanquam ex isto *capite* exorta et religata contexuit, quæ sunt, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia (Gal. V, 22)... Merito igitur magister bonus dilectionem sic sæpe commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cetera bona, et quæ non potest haberi sine ceteris bonis, quibus homo efficitur bonus » (5).

Atqui, si charitas exhibetur ut *finis*, *vena*, *radix*, *caput* bonorum operum et virtutum, docetur quidem omnia ex ipsa oriri, ab ipsa dependere, ipsi subordinari, vel si quid simile

(1) *De libero arbitrio*, L. I, c. XIII, n. 27, 29.
(2) *Ep.* CXXXVIII (al. 5) *ad Marcellinum*, c. III, n. 17.
(3) *Quæstionum Evangeliorum libri duo*, L. I, c. XXXIII.
(4) *In Epistolam Joannis ad Parthos tractatus decem*, Tr. VI, n. 2.
(5) *In Joannis Evangelium*, Tr. LXXXVII, n. 1.

dicere velis, sed simul innuitur realis distinctio, qualis est inter media et finem, inter venam et flumen, inter radicem et ramos, inter caput et cetera corporis membra.

Unde confirmatur interpretatio S. Thomæ et Bellarmini : virtutes non esse charitatem, sed ab ea aliqualiter dependere ; bona opera produci a charitate, non eliciendo, sed imperando et ordinando ad finem suum. Et hoc, aperte quidem, docet in sequenti loco :

« Qui moribus Deum laudat, semper potest. Opera misericordiæ, affectus charitatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper hæc tenenda sunt..., quia intus sunt omnes istæ virtutes quas nominavi. Quis autem sufficit omnes nominare ? Quasi exercitus est imperatoris, qui sedet intus in mente tua. Quomodo enim imperator per exercitum suum agit quodque placet ; sic Dominus Jesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro, id est in mente per fidem, utitur istis virtutibus quasi ministris suis. Et per has virtutes quæ videri oculis non possunt, et tamen quando nominantur, laudantur..., per has virtutes invisibiles, moventur membra visibiliter : pedes ad ambulandum ; sed quo ? Quo moverit bona voluntas, quæ militat bono imperatori. Manus ad operandum ; sed quid ? Quod jusserit charitas, quæ inspirata est intus a Spiritu Sancto » (1).

Complexus virtutum hic manifeste exhibetur ut exercitus, cujus imperator est Jesus Christus ; per virtutes illas invisibiles moventur membra corporis visibilia, sed ipsæ virtutes moventur bona voluntate seu chàritate, quæ ipsa militat Christo et inspirata est a Spiritu Sancto.

Concludimus illorum theoriam nullatenus S. Augustini auctoritate fulciri, qui censent omnia bona opera formaliter a charitate elici, omnesque virtutes charitate essentialiter constitui.

VI. Tandem, ad mentem S. Augustini recte intelligendam, restat ut accurate definiamus quid significet per *charitatem*, qua virtutes et bona opera informari oporteat.

Quæstio hæc otiosa non est. Plures enim Theologi, magni etiam nominis, tum antiquiores cum recentiores, contendunt

(1) *In Epistolam Joannis ad Parthos,* Tr. VIII, n. 1.

sensum *charitatis*, ad mentem Hipponensis, non esse restringendum ad stricte dictam charitatem theologicam, sed multo latius extendendum. « En mille endroits, ita E. Portalié (1), il (S. Augustin) nous avertit que la *charité* n'est pas toujours l'amour de Dieu, vertu théologique, mais l'*amour* du bien, de la vertu, de l'ordre : il est vrai que le bien dans sa source vient de Dieu et dans sa finalité objective tend à Dieu, il est vrai encore que l'amour du bien a son acte suprême et son couronnement dans l'amour formel de Dieu, mais jamais saint Augustin n'a voulu restreindre à ce dernier acte le champ de la vertu ». Hæc interpretatio inde a sæculo XVI apud quosdam Theologos invenitur. Vazquez videtur primus eam invexisse, nova sua de merito theoria ductus : apud S. Augustinum, ait, « charitas nihil aliud est ac amor cujusvis virtutis, omne opus bonum factum non ex timore sed ex quovis amore boni » (2).

Atvero, hujusmodi interpretatio mentis S. Doctoris sustineri non potest.

Non refert quod, in uno alterove loco ubi non agit de ordinatione virtutum per charitatem, *vocem* charitatis usurpet in sensu omnino generico amoris. Allegatur v. g. textus aliquis ubi dicit : « Charitas alia est divina, alia humana, alia est humana licita, alia illicita... Hæc ergo prima est distributio mea, quod dixi aliam humanam, aliam divinam esse charitatem, eamdemque humanam in duo distribui, quod alia sit licita, alia illicita » (3). Talia verba evidenter rem non

(1) E. Portalié, *Augustin (saint)* in *Dictionnaire de Théologie catholique*, t. I, col. 2436.

(2) Vazquez, *Commentariorum et Disputationum in Iam IIæ Sancti Thomæ*, Disput. 192, c. II. Item Ripalda, *De ente supernaturali*, Disput. 90, n. 57 ; D. Palmieri, *Tractatus de gratia divina actuali*, Th. XXI, n. III, p. 101 s. Galopiæ, 1885 ; B. Jungmann, *Tractatus de gratia*, P. I, c. I, art. 7, n. 145 ; J. Fessler-Jungmann, *Institutiones Patrologiæ*, T. II, P. I. p. 334. Oeniponte, 1892.

(3) *Sermo* CCCXLIX (al 52), *de Tempore*, n. 2.

probant ; nam charitas hic significat non tantum quemvis amorem boni, sed etiam mali, cum humana alia sit licita, alia illicita. Non diffitemur S. Augustinum una alterave vice vocem charitatis in lato aliquo sensu intelligere, sed affirmamus ipsum, ubicumque de necessitate charitatis ad opera bona et veras virtutes agit, hanc vocem intelligere *in sensu omnino stricto charitatis theologicæ.*

Certe, multis in locis, « amor justitiæ », « dilectio et delectatio justitiæ », « boni cupiditas », « boni amor », ad mentem S. Doctoris, sunt idem quid ac charitas. Sed perperam inde concluditur, charitatem intelligendam esse in sensu generalissimo amoris justitiæ ; econtra, « delectatio justitæ » et alia hujusmodi audienda sunt in sensu stricto charitatis theologicæ (1).

Qui, sine præconcepta opinione, opera S. Augustini perlegit, nominatim opera contra Pelagianos scripta, in quibus tales locutiones sæpius occurrunt, nescimus quomodo de ejus doctrina clara et manifesta anceps hærere possit. Charitatem a S. Doctore intelligi in sensu stricto amoris supernaturalis Dei super omnia, patet tum ex locis plurimis ubi eam ex professo describit ; tum ex iterata et constanti ipsius declaratione, — quæ nec deest in locis ubi loquitur de « amore justitiæ », « boni cupiditate » et sic porro (2), — videlicet illam esse charitatem quæ, juxta S. Paulum, per Spiritum Sanctum diffusa est in cordibus nostris, illam qua, juxta S. Joannem, ex Deo nati sumus, etc. Unde patet, ex contextu vel ex locis parallelis, illas locutiones a S. Augustino adhiberi ut synonymas charitatis stricte sumptæ. Legantur ea præsertim loca, ubi non per transennam tantum de charitate ad salutem, ad bonum opus, ad veram virtutem neces-

(1) Cf. v. g., *De spiritu et littera,* c. XIV, n. 26 ; *De correptione et gratia,* c. II. n. 4 ; *Contra duas epistolas Pelagianorum,* L. II, c. IX, n. 21 ; *De Trinitate,* L. VIII, c. X, n. 14.

(2) Cf. loc. citata.

saria loquitur, sed ex professo rem tractat et explicat (1). Ibi luce clarius apparet quid audiat illa *charitas*, illa *summa Dei dilectio*, ille *summus Dei amor*, ille *appetitus beatitudinis*, illa *Dei secutio*, et cetera hujusmodi. Si igitur sensus alio quodam in loco æquivocus vel dubius videatur, evidenter ex locis claris et manifestis declarandus est.

Ceterum textus in contrarium adducti ex ipso suo contextu plerumque explicantur. Videte, verbi gratia, loca quæ cl. Portalié ad suam interpretationem fulciendam allegat, videlicet : *Contra duas Epistolas Pelagianorum*, L. II, c. IX, n. 21 ; *De gratia Christi*, c. XVIII, n. 19 ; *Sermo* CCCXLIX (2), n. 2 ; *In Ps.* LXXIX, n. 13 ; *In Ps.* XXXVI, sermo II, n. 13 ; *De Trinitate*, L. VIII, c. X, n. 14 ; *Epistola CLVII, ad Hieronymum*, c. IV, n. 15.

In loco citato operis *Contra duas Epistolas Pelagianorum*, non dicitur tantum : « Quid est enim boni cupiditas, nisi charitas » ; sed : « Quid est enim boni cupiditas, nisi charitas, *de qua Joannes apostolus sine ambiguitate loquitur dicens : Charitas ex Deo est* (I Joan. IV, 7) ? Nec initium ejus ex nobis, et perfectio ejus ex Deo ; sed *si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est* ». Proin ipse hic textus charitatem, cui æquiparatur « boni cupiditas », in sensu stricto et proprio designat.

In opere *De gratia Christi* iterum æquiparantur « charitas » et « bona voluntas ». Sed Augustinus non ambigue explicat quid per charitatem intelligat (n. 22) : « Charitas autem quæ virtus est, ex Deo nobis est, non ex nobis, Scriptura teste, quæ dicit : Charitas ex Deo est ; et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum, quia Deus charitas est (I Joan.

(1) Cf. v. g., *De moribus Ecclesiæ Catholicæ ; De Musica ; Ep.* CLV, *ad Macedonium ; Ep.* CLXVII, *ad Hieronymum ; De doctrina christiana ;* loc. sæpe citatis

(2) Portalié citat *Sermonem* CCXXXIX, ubi de charitate non agitur, sed manifeste intendit *Sermonem* CCCXLIX, uti locus indicatus apud Migne demonstrat.

IV, 7, 8). Secundum istam charitatem, melius intelligitur dictum : Qui natus est ex Deo, non peccat, et, quia non potest peccare (I Joan. III, 9). Quia charitas secundum quam natus ex Deo est, non agit perperam, nec cogitat malum... (I Cor. XIII, 4, 5). Quasi vero aliud sit bona voluntas quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, et a Patre datam ut filii ejus essemus. » Quid illo textu clarius ?

Verba quæ ex *Sermone CCCXLIX* eruuntur, quibus vox *charitas* in sensu generalissimo amoris etiam mali adhibetur, et quæ ceterum non agunt de ordinatione virtutum, nihil probant, uti patet, quum nimis probarent.

In Ps. LXXIX, c. 13, legitur : « Ad omne recte factum amor et timor ducit : ad omne peccatum amor et timor ducit. Ut facias bene, amas Deum, et times Deum : ut autem facias male, amas mundum, et times mundum .. De igne autem boni amoris Dominus dicit : Ignem veni mittere in mundum. Quo igne inardescant spiritu ferventes, et Dei ac proximi charitate ferventes. Ac per hoc, sicut omnia justa opera bono timore et bono amore fiunt ; sic malo amore et malo timore omnia peccata committuntur. » Amor qui ad omne recte factum ducit, est igitur bonus amor, amor Dei, de quo Dominus dicit : Ignem veni mittere in terram, quo inardescant ferventes spiritu et charitate Dei ac proximi. Itaque charitas hic in sensu proprio sumitur, et « amor bonus » idem est ac ipsa.

In Ps. XXXVI, habetur : « Ipsa est charitas, quæ dicitur et voluntas bona. » Sed hæc propositio nullatenus significat charitatem in sensu lato cujusvis bonæ voluntatis sumi. S. Augustinus nempe hic agit de exercenda charitate erga proximum ; ostendit ipsam esse in corde intrinsecam et ad eam exercendam sufficere quod habeatur bona voluntas, etiamsi desit nummus. Quod pulchre explanat : « Habet semper unde dat, cui plenum pectus est charitas. Ipsa est

charitas, quæ dicitur et voluntas bona. Plus a te Deus non exigit, quam quod tibi intus dedit. Vacare enim non potest voluntas bona. Non enim habens voluntatem bonam, etsi nummus tibi supersit, non porrigis pauperi : ipsi inter se pauperes præstant sibi de voluntate bona, non sunt inter se infructuosi. Vides cæcum duci a vidente : quia nummos non habuit quos daret egens, commodavit oculos non habenti. Unde hoc factum est, quia membra sua commodaret ei qui non habet, nisi quia intus inerat voluntas bona thesaurus pauperum ? »

Textus ex opere *De Trinitate* allegatur : « Quid est autem dilectio vel charitas, quam tantopere Scriptura divina laudat et prædicat, nisi amor boni ? » Auctores qui ex hac propositione inferunt charitatem a S. Augustino accipi in sensu lato cujusvis amoris boni, certo contextum non legerunt. Inde a n. 10 incipit loqui de vera dilectione per quam ad Trinitatis cognitionem pervenitur, et ex tota hac expositione usque ad finem libri VIII luce clarius apparet, charitatem seu veram dilectionem ut charitatem proprie dictam intelligi.

In *Epistola CLXVII, ad Hieronymum* scribit Augustinus : « Et ut generaliter breviterque complectar quam de virtute habeam notionem, quod ad recte vivendum attinet, virtus est charitas, qua id quod diligendum est diligitur. » An ergo *charitatem* accipit ut *quemvis amorem bonum ?* Non ; sed loquitur de charitate sensu stricto, de ea scilicet quæ « de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, magna et vera virtus est, quia ipsa est et finis præcepti » (*I Tim.*, 1, 5), quæ « merito dicta est fortis sicut mors » (*Cant.* VIII, 6), de qua Dominus ait : « Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis » (*Joan.* XV, 13). Loquitur de ea charitate, quæ est « plenitudo legis » (*Rom.* XIII, 10), de ea « qua Deus proximusque diligitur, in quibus

præceptis charitatis tota Lex pendet et Prophetæ » (*Matth.* XXII, 40). Iterum, nihil hoc loco clarius.

Quid vis amplius ? Textus adducti, qui ad rem pertinent, manifeste nostram interpretationem confirmant, et contrariam refellunt. Theologi qui volunt S. Augustinum, quando de ordinatione bonorum operum et virtutum per charitatem loquitur, non intelligere charitatem sensu stricto et proprio, ideo falluntur quia propositiones quasdam vel locutiones e contextu abstrahunt et separatim legunt.

Alii auctores concedunt *charitatem* apud S. Augustinum accipi quidem ut amorem Dei supernaturalem, sed contendunt eam non esse restringendam ad amorem Dei super omnia qui habetur in charitate stricte dicta, sed etiam comprehendere generatim desiderium possessionis et fruitionis Dei in æterna beatitudine, quod nihil aliud est ac amor *spei*, nihil aliud ac sequi Deum, quærere seu inquirere Deum, adhærere Deo, ut loquuntur SS. Litteræ. Hanc interpretationem admittunt quidam moderni (1).

Certo certius Doctor Hipponensis amorem illum Dei imperfectum agnoscit. « Quamdiu ergo nondum adhæsisti (Deo), ait, ibi pone spem. Fluctuas ; præmitte ad terram anchoram. Nondum hæres per præsentiam ; inhære per spem » (2). Sed quando requirit ordinationem totius vitæ nostræ, omnium cogitationum, cunctorum affectuum, totius amoris nostri, etiam erga nosmetipsos, completam ordinationem, inquam,

(1) Ita, v. g., Scheeben et Gutberlet, qui « charitatem » S. Augustini accipiunt ut « amorem proprium ordinatum » (die geordnete Selbstliebe). Cf. Ernst, *Die Notwendigkeit der guten Meinung*, pp. 144 ss.

(2) *In Ps.* LXXII, n. 34. In hoc ipso loco explicat verba : *adhærere Deo*, non de vita præsenti per spem, sed de vita futura, « quando eum videbimus facie ad faciem ». Idem dicit in *Epistola* CLV, *ad Macedonium*, n. 12. Alibi ad verba : « *agglutinata est* (in Vulgata, *adhæsit) anima mea post te* », dicit : Ubi est ipsum gluten ? Ipsum gluten charitas est. Charitatem habe, quo glutine agglutinetur anima tua post Deum ». *In Ps.* LXII, n. 17. Ergo « adhæsio Deo » reservatur vel alteri vitæ per visionem beatificam, vel præsenti per charitatem.

in Deum finem ultimum super omnia dilectum, ita ut nullum a Deo rivulum dilectionis extra duci patiatur (1), profecto ordinationem charitatis theologicæ intelligit.

Amor proprius est bonus, dummodo et ipse charitati subordinetur, charitate ad Deum referatur. Imo, juxta Augustinum, amor propriæ beatitudinis ipsi amori Dei super omnia aliquo sensu includitur ; amor charitativus est aliquo modo amor beatitudinis nostræ, appetitus possessionis et fruitionis Dei ; Deum diligere non possumus etiam charitate, nisi quatenus est *objective* summum bonum nostrum. « Audivimus, ait, quid diligere et quantum diligere debeamus... Bonorum summa, Deus *nobis* est. Deus est *nobis* summum bonum » (2).

In hoc aspectu insistunt patroni sententiæ de qua agitur. At in hoc non absolvitur, nec formaliter consistit ratio et natura charitatis. Juxta S. Doctorem, amor Dei, qui est summum bonum nostrum, non est charitas, nisi bonum divinum appetamus propter se, nisi ipsam beatitudinem nostram referamus ad bonum divinum in se, nisi adhæreamus ac uniamur Deo absolute super omnia dilecto. « Te autem ipsum, dicit, salubriter diligis, si plus quam te diligis Deum » (3). Et alibi : « Cui (Deo) si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando » (4). En illa charitas, summus ille amor, summa Dei dilectio, ex toto corde, ex tota mente, ex tota fortitudine, quam requirit S. Augustinus ut opera sint in finem ordinata et virtutes sint veræ.

(1) *De doctrina christiana*, L I, n. 21.

(2) *Op. cit.*, L. I, c. VIII, n. 13.

(3) *De moribus Ecclesiæ Catholicæ*, l. c., n. 49. Item *De doctrina christiana*, L. I, XXII, n. 20 s. ; *Sermo* XXXIV (al. de divers. 2), c. V, n. 8.

(4) *Epistola* CLV, *ad Macedonium*, n. 13.

QUÆSTIO III

DE CHARITATE RADICE MERITI

INTRODUCTIO

Quæstio quæ nunc resolvenda proponitur, non reipsa, sed aspectu tantum, a præcedente differt.

Actum bonum, quem in superioribus paginis consideravimus ut rectum in ordine ad finem, eundem in sequentibus examinabimus ut meritorium in ordine ad retributionem æternam. « Actus bonus vel malus, ita Doctor Angelicus, habet rationem laudabilis vel culpabilis secundum quod est in potestate voluntatis, rationem vero rectitudinis et peccati secundum ordinem ad finem, rationem vero meriti et demeriti secundum retributionem justitiæ ad alterum » (1).

Inter utramque quæstionem perfectus habetur parallelismus : *charitas est meriti radix, in quantum est forma virtutum*. Hæc est doctrina S. Thomæ, quem uti antea ducem secuti sumus, ita et in posterum sequemur. Ipso præeunte, mirabimur constantiam, cohæsionem, unitatem principiorum quibus ipsius sententia constituitur. Pulchritudo unitatis, quamvis per se sola non sit argumentum veritatis, sane rationi magis est consentanea quam diversitas illa quæ aliorum opi-

(1) Ia IIæ, q. XXI, a 3.

nionibus introducitur. Ipsam autem inquisitionem ne antevertamus.

In antecessum ea præmittimus quæ ex fide catholica vel unanimi Theologorum doctrina tenenda sunt de natura, divisione et conditionibus meriti.

Notio. — Meritum, in acceptione ordinaria, definiri potest : *opus bonum ad obtinendam a Deo retributionem seu mercedem ordinis salutaris aptum.*

Dicitur : *opus* in sensu concreto ; meritum enim non est proprie aliquid abstracti, sed est ipse actus humanus spectatus in ordine ad retributionem ; — opus *bonum* : etsi enim de merito operis mali sermo fieri potest et revera in S. Scriptura sermo fit, tamen sensus vocis in Theologia restringitur ad opus bonum, et distinguitur a « demerito » quod operi malo inest. — Dicendo : mercedem *ordinis salutaris*, significatur meritum supernaturale ; indicatur mercedem consistere vel in ipsa salute, vel in aliquo bono ad eam conducente, quod potest esse gratia sanctificans vel gratia actualis vel imo bonum temporale datum in ordine ad salutem. Seponitur ergo meritum naturale seu « humanum », ut loquitur S. Augustinus, id est, opus bonum naturale, licet hoc Deo placere aliquo modo possit, quatenus sit bonum, et ab eo mercedem aliquam naturalem obtinere.

Divisio. — Meritum, ita definitum, dividitur in meritum *de condigno* et meritum *de congruo*.

« Dicitur aliquis mereri *ex condigno*, ita S. Thomas, quando invenitur æqualitas inter præmium et meritum, secundum rectam æstimationem ; *ex congruo* autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur quod dantem decet » (1). Hanc distinctionem etiam agnovit S. Augustinus. Dicit enim impios

(1) *In II Sent.*, Dist. 27, q 1, a. 3, sol.

per fidem remissionem peccatorum mereri : « Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat : Deus, propitius esto mihi peccatori ; et descendit justificatus merito fidelis humilitatis. » Sed hoc non est meritum verum et proprie dictum ; nam paulo antea dixit : « Nullane sunt merita justorum ? Sunt plane, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt » (1). Unde, præter meritum stricte dictum justorum, agnoscit improprie dictum peccatorum, quod vocatur meritum de congruo.

In hac dissertatione directe tantum considerabitur meritum de condigno. Agimus enim de actibus meritoriis vitæ æternæ. Atqui hæc datur hominibus propter ipsorum merita de condigno et proportionate ad ea : solis enim exceptis baptizatis infantibus et adultis ratione carentibus, quibus tribuitur gloria per modum hereditatis, vita æterna pro omnibus est « corona justitiæ » meritis condigna et proportionata.

Non tribuitur immediate propter solum meritum de congruo. Dico 1° non *immediate* : nam justus potest de congruo mereri mediate vitam æternam et augmentum gratiæ habitualis, quatenus de congruo meretur immediate gratias efficaces quibus acquirat meritum de condigno. Dico 2° non propter *solum meritum de congruo* : nam admitti potest et, teste B. Bellarmino (2), communiter a Theologis affirmatur, Deum in cœlo nobis daturum de congruo gloriam strictis nostris meritis majorem, eo quod præmium erit supra modum abundans ; hoc congruum autem non est absque condigno, sed in ipso fundatur et ipsi commensuratur.

Conditiones. — Quænam conditiones requiruntur ut opus sit meritorium de condigno ? — Oportet ut actus sit :

(1) *Ep. CXCIV* (al. 105), *ad Sixtum*, c. III, n. 6 et 9.

(2) Bellarminus. *De Controversiis Christianæ fidei. De Justificatione*, L. V, c. 19.

1° *liber* non solum a coactione, sed a necessitate, ut patet ex 3ª propositione damnata Jansenii (1) ;

2° moraliter *bonus*, id est, bonus ex objecto, ex fine et ex circumstantiis ; quodsi circumstantia aliqua leviter tantum mala opus in se bonum comitetur, hoc inde non vitiatur nec rationem meritorii amittit ;

3° *supernaturalis*, id est non tantum cum gratia actuali factus, sed etiam cum gratia habituali, ut colligitur ex Baii 11ª, 12ª, 13ª, 17ª, 18ª propositionibus damnatis (2) ;

4° factus ab homine in statu *viæ* constituto.

5° Utrum requiratur *specialis ordinatio et acceptatio vel promissio Dei* remunerantis ita ut meriti condignitas ex ea saltem in actu secundo pendeat, an potius sufficiat *generalis dispositio divina* præmiandi omnia opera præfatis in conditionibus posita, controvertitur inter theologos.

De requisitis ad meritum docet Concilium Tridentinum in sessione VI : « Cum enim ille Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent : nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur ; cum Christus Salvator noster dicat : Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam » (3). Et ibidem, in canone 26, definit : « Si quis dixerit, justos non

(1) DENZINGER-BANNWART. *Enchiridion*, n. 1094.

(2) *Ib.*, nn. 1011, 1012, 1013, 1017, 1018.

(3) *Conc. Tridentinum*, sess. VI, De justificatione, c. 16 ; coll. *Catechismus Concilii Tridentini*, P. II, c. V, n. CII s.

debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverit : A. S. »

Hæc omnia præsenti disquisitioni præsupponimus.

Principium igitur eliciens actus supernaturalis est libera voluntas per gratiam divinam elevata. Ex voluntate et gratia constituitur unum principium physicum, ita ut totus actus attribuendus sit non soli voluntati, nec soli gratiæ, sed causalitati utriusque conjunctæ.

Si autem quæritur undenam opus meritorium formaliter habeat condignitatem ad vitam æternam, respondemus cum S. Thoma : « Opus meritorium hominis dupliciter considerari potest : uno modo, secundum quod procedit ex libero arbitrio ; alio modo, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti. Si consideretur secundum substantiam operis, et secundum quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest ibi esse condignitas propter maximam inæqualitatem ; sed est ibi congruitas propter quamdam æqualitatem proportionis. Videtur enim congruum ut homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis. Si autem loquamur de opere meritorio secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitæ æternæ ex condigno. Sic enim valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam æternam, secundum illud Joan. IV, 14 : Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Attenditur etiam pretium secundum dignitatem gratiæ, per quam homo consors factus divinæ naturæ adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipso jure adoptionis, secundum illud Rom. VIII, 17 : Si filii et heredes » (1).

(1) Iª IIæ, q. CXIV, a. 3, corp.

Ergo prima radix seu principium radicale meriti non est voluntas humana, sed gratia divina, et quidem gratia sanctificans. Concilium Tridentinum docet : « Ita neque propria nostra justitia tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei ; quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum... cujus (Domini) tanta est erga omnes homines bonitas, ut *eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona* » (1).

Porro, sicut natura agit per potentias, ita gratia sanctificans operatur ad salutem per virtutes supernaturales, theologicas videlicet et morales infusas, quæ cum ipsa indivulse in anima justi adsunt et vivunt : actus meritorii sunt actus virtuosi.

Quærunt autem Theologi *an actus virtuosi, ut sint meritorii, aliquo modo debeant dependere a charitate.*

Quod necesse sit ut efficiantur *ab habente charitatem*, id in confesso est apud omnes : meritum enim esse nequit, ubi non adest gratia sanctificans et proinde charitas.

Item consentiunt actus qui *a charitate ipsa eliciuntur* esse ex se vitæ æternæ meritorios, quin ab alia virtute dependeant aut informentur, imo præcipuum opus meritorium esse opus charitatis. Vim enim meritoriam charitatis tota S. Scriptura proclamat ; nec ulla virtus habet tam essentialem ordinem ad vitam æternam ut charitas omnium excellentissima. Hoc tenent ipsi Vazquez et Suarez, quorum sententias mox obvias habebimus (2).

Præterea facile omnes admittunt actus ceterarum virtutum, qui a charitate imperantur atque ad finem charitatis ordi-

(1) Sess. VI, De justificatione, c. 16.

(2) Vazquez. *In Iam IIæ*, Disp. 217, c. I, n. 1. ; Suarez. *De Gratia*, L. XII, c. VIII.

nantur, rationem meriti habere : hoc enim fluit ex præcedenti et liquet ex Sacris Litteris.

Quæstio vero est, num actus cujuscumque virtutis, præter charitatem, ut sit meritorius, *debeat esse* non tantum cum charitate, sed vero aliquo modo *sub dependentia et ordinatione charitatis ;* et si hoc affirmatur, quæritur ulterius *quonam modo.*

Varia traduntur a Theologis responsa, quæ in decursu hujus dissertationis exponentur.

Ut cum ordine procedamus, inquiremus imprimis an ad rationem meritorii necessaria sit aliqua vera ordinatio charitatis (Cap. I).

Deinde, quatenus hoc affirmandum est, videbimus utrum in operibus meritoriis meritum formaliter tribuendum sit influxui charitatis, an etiam bonitati aliarum virtutum (Cap. II).

Tertio, exponemus qualis relatio charitatis necessaria sit ad merendum (Cap. III).

Tandem, ad modum conclusionis, dicemus quænam bona intentio sit necessaria ac sufficiens ad meritorie agendum (Cap. IV).

CAPUT I

NON EST MERITUM DE CONDIGNO SINE ORDINATIONE CHARITATIS.

Summarium. — I. *Inde a sæculo XVI plures Theologi, ducibus præsertim Vazquez et Suarez, negant ad meritum requiri in homine justo ordinationem charitatis, et tenent alii sufficere actum moraliter honestum cum gratia actuali positum, alii præterea intentionem seu motivum ad quamvis virtutem infusam pertinens. Angelicus autem cum scholasticis universis et multis gravibus Theologis docet nullum esse meritum de condigno sine ordinatione seu influxu charitatis.*

II. *Examinantur loca S. Scripturæ quæ in favorem illarum sententiarum afferri solent ; unde concluditur opera justorum bona, in Sacris Litteris, haberi meritoria, non de se, sed in quantum regulantur fide et præsertim informantur et animantur charitate.*

III. *Apud præclarissimos S. Patres constans est doctrina, opus non esse meritorium, non perfecte et vere bonum, nisi procedat ex charitate.*

IV. *Immerito allegatur in favorem sententiæ negantis Concilium Tridentinum : quod intendit quidem errores novatorum de merito damnare, non autem quæstionem hanc dirimere, ut patet ex ipsis Synodi actis.*

V. *Rationibus theologicis probatur omnes virtutes in justo ad meritorie agendum dependere a charitate, id est, omnia opera bona, ut sint meritoria, ad finem charitatis referenda esse. Dein discutiuntur argumenta quæ huic sententiæ opponuntur.*

ARTICULUS I

Status quæstionis.

Ordinationem charitatis requiri ut actus cujusvis virtutis sit meritorius, et proinde quemlibet actum meritorium habere veram relationem ad charitatem, negant post Vazquez et Suarez plurimi recentiores, affirmant vero unanimiter scholastici cum Doctore Angelico ac multi graves Theologi posteriores. Ut perspiciatur quomodo quæstio ponatur, breviter exponemus doctrinam utriusque partis.

In antecessum vero animadvertatur non totam quæstionem primo hoc Capite considerari et absolvi, sed tantum fundamentale principium. Plures auctores, examinantes relationem actus meritorii ad charitatem, simul agunt de præmio quod sive charitati sive virtuti morali retribuitur. Atvero Suarez merito observat aliud esse quærere an actus imperati a charitate sint meritorii vitæ æternæ simpliciter loquendo, aliud vero esse interrogare quale sit illud meritum vel quid addat interno actui charitatis : « nam, ait,

hæc posterior quæstio difficilior est, et resolutionem habet minus certam, et ideo de illa speciale caput instituemus » (1).

Præterea ad præsens Caput non pertinet quomodo relatio charitatis sit intelligenda, utrum *actualis*, an *virtualis*, an *generalis* seu, ut aliqui dicunt, *habitualis* : hæ sunt variæ loquendi et sentiendi rationes Theologorum illorum, qui in hoc consentiunt quod relatio debeat esse vera et non nominalis tantum. Quum omnes illi auctores sententiæ affirmanti faveant, eos proinde, in præsenti Capite, ut patronos hujus sententiæ recensere possumus ; imposterum specialius inquiremus quomodo inter se discrepent.

Sententiæ negantis patroni, ut diximus, præcipui sunt Vazquez et Suarez, qui tamen valde ab invicem dissentiunt. Moderni Theologi qui sententiam negantem propugnant, ab alterutro, præsertim a Suarezio, recipiunt opiniones et argumenta, nec revera quid novi proferunt. Itaque potius duos illos doctores, aliorum duces, audiamus.

Sententia Vazquezii (2).

Vazquez, contra Scotum et quosdam alios scholasticos, probare intendit omnia opera bona justorum esse æternæ vitæ meritoria. Censet quidem ut probabilius, cum Scoto, in homine justo esse actiones moraliter indifferentes, id est, nec bonas nec malas, sed contendit, ex his quæ moraliter bonæ sunt, nullam esse indifferentem quoad meritum, seu mediam inter meritum vitæ æternæ et æternam pœnam, ut Subtilis Doctor autumat.

Opinionem suam demonstrat ex variis S. Scripturæ, S. Augustini, et Concilii Tridentini locis, ubi opera bona moralia laudantur, commendantur atque mercede digna exhibentur, sine ulla conditione adjecta præter ipsam bonitatem et valorem operis (c. II et III).

(1) *De gratia*, L. XII, c. X, n. 13.
(2) *Commentarii et Disputationes in Iam IIæ*, Disputatio 217.

Præcipue autem in adstruenda sua theoria ducitur triplici ratione theologica sequenti : 1° Omnia opera bona justorum sunt meritoria ; atqui non omnia procedunt ex charitate, sive eliciente, sive imperante ; ergo sunt meritoria aliunde quam ex charitate ; videlicet meritoria sunt, quatenus moraliter bona, quin ulla prorsus vel ad charitatem vel ad aliam virtutem infusam relatio consideranda sit. Si talis relatio esset admittenda, innumera, inquit, esset operum bonorum multitudo sine merito vitæ æternæ. — 2° Si meritum est ex charitate, vel nihil tribuitur bonitati aliarum virtutum, quod est absurdum ; vel si meritum nihilominus huic bonitati adscribitur, non intelligitur quomodo ex charitate procedat. — 3° Tandem, homo servando legem Dei ex solo fine virtutis fit quotidie magis justus ; ergo hoc ipso fit vita æterna magis dignus, quum sit in statu merendi (c. IV).

Hinc concludit : « Quocirca omissa hac relatione (charitatis) ob rationes dictas,... existimo omnia bona opera justorum, eo ipso quod bona sunt et ab homine justo, esse meritoria vitæ æternæ absque ulla alia relatione præcedente ; quia hoc ipso quod bona sunt et ab homine justo, in Deum suapte natura referuntur.... ; nempe apta sunt ut referri possint in Deum. Tum etiam Deo placent tanquam opera filiorum ; ac proinde præmium filiorum promerentur : quod sane probant testimonia omnia et rationes superius allatæ. Nam si ea recte considerentur, non videtur necessaria talis relatio ullo modo » (1).

Nec operis bonitas — quod valde attendatur — intelligenda est intrinsece supernaturalis. Nullatenus procedere debet ex virtutibus infusis, quas Vazquez censet Sanctis Patribus ignotas et a tempore scholasticorum introductas (2). Contra Theologos qui volunt actus tantum virtutum *infusarum* sine

(1) *Ib.*, c. IV, n. 38.
(2) *Ib.*, c. II, n. 23.

relatione ad charitatem meritorios esse (Suarez), adducit easdem rationes supra indicatas, et præsertim contendit inde sequi « multa, imo pleraque bona opera justorum non esse meritoria, nempe bona opera moralia virtutis adquisitæ, quæ non fiunt ex relatione aliqua præcedente in finem charitatis» (1).

Requirit equidem ad actum bonum, juxta Tridentinum, gratiam aliquam peculiarem. Sed hoc auxilium requirit tantum ut actus bonus *fiat*, non vero ut *sit meritorius ;* et præterea non est supernaturale in se et secundum substantiam, sed secundum modum et ratione circumstantiarum. « Dico igitur, ita auctor, hoc auxilium gratiæ esse congruam cogitationem, qua arbitrium actu movetur ad bonum. Nam præveniri hominem citra industriam et merita sua, ea cogitatione, quæ ita congruat et contemperetur arbitrio ipsius, ut arbitrium actu consentiat in rem bonam quæ proponitur, auxilium peculiare gratiæ est... Dicitur autem gratia, consideratis circumstantiis in quibus et cum quibus datur : cumque hoc genus cogitationis ad omne opus bonum morale, ratione circumstantiarum cum quibus datur, et ratione remotionis impedimentorum quibus posset retardari, eo quod datur ad bonum opus,... habeat rationem gratiæ ; non minori, imo multo majori ratione, dicenda est gratia peculiaris ratione circumstantiæ status in quo datur, nempe quia datur in statu justificationis et adoptionis, ratione cujus opus est filii Dei, et ut opus filii Deo placet ; ac proinde dignum est apud Patrem æternæ remunerationis, cujus non esset, si extra talem statum fieret » (2).

Itaque tandem ad meritum nihil aliud requiritur quam *status justitiæ* et *moralis bonitas operis* facti propter solam honestatem virtutis. Moderni autem Theologi qui ad hanc sententiam accedunt, requirunt omnes *supernaturalem gratiam*

(1) *Ib.*, c. VI, n. 50.
(2) *Ib.*, c. VI, n. 58 s.

actualem et tenent « congruam cogitationem » Vazquezii insufficientem esse.

Sententia Suarezii (1).

Suarez probat contra Vazquez necessitatem gratiæ stricte supernaturalis et insufficientiam congruæ cogitationis. Ipse quæstionem solvit, distinguens inter actus virtutum infusarum et actus virtutum acquisitarum.

Actus virtutum *infusarum,* positos ab homine grato, docet « esse meritorios de condigno supernaturalis beatitudinis, ex *vi suæ bonitatis et connaturalis ponderis* seu relationis in illum finem, *absque alia relatione,* quasi extrinseca, quæ per actum charitatis præteritum vel præsentem illis adveniat. » Ratio est : « nam isti actus sunt intrinsece boni bonitate supernaturali, sunt enim quoad substantiam supernaturales ; ergo ex intrinseca natura sua habent ut procedant a Deo, tanquam a primo agente supernaturali, et movente hominem per actuale auxilium gratiæ prævenientis, quod auxilium de facto per Christum datur... ; ergo nullam aliam relationem requirunt, ut sint meritorii de condigno in persona grata » (2).

Hoc principium applicat imprimis virtutibus *theologicis* fidei et spei ; deinde « illis virtutibus moralibus quæ Deum aliquo modo immediate attingunt, saltem ut objectum *cui* », quales sunt obedientia, religio, pœnitentia ; tandem, ab his facit inductionem « ex quadam generali paritate » ad ceteras virtutes morales *infusas,* « quia sunt ejusdem ordinis, et quia sunt media proportionata, et quasi viæ tendentes ad illum finem ac terminum ; nam, licet non sint viæ ita directæ, ut sic dicam, inde inferri non potest esse incapaces talis meriti,

(1) *De gratia,* L. XII, c. VII-XIII.
(2) *Ib.*, c. IX, n. 4.

etiamsi per se ac præcise fiant, sed ad summum non esse tanti meriti secundum species suas » (1).

Quod virtutes morales *acquisitas* spectat, de se non sufficiunt ad meritum de condigno ; requiritur ut earum actus fiant propter aliquem supernaturalem finem seu ex motivo aliquo supernaturali. Sicut fides necessaria est ex parte intellectus, ita ex parte voluntatis exigitur aliqua supernaturalis intentio (2). Sed hujusmodi finis, motivum, intentio non debet esse ex charitate. « Justus potest per fidem cogitare de aliis motivis supernaturalibus, verbi gratia, de redemptione suorum peccatorum, de excellentia præmii, spe illius, et similibus quæ per se sufficiunt movere voluntatem, etiamsi ab altiori motivo bonitatis Dei nunc non excitetur, neque per actum præsentem, neque per virtutem ab eo relictam ; ergo potest voluntas ex illis motivis supernaturalibus imperare sibi actus naturales, quia cogitari possunt media ad illos fines utilia » (3). Unde id quod alia sententia restringit ad relationem charitatis, « nos, dicit, ampliamus ad omnem relationem supernaturalem, ac subinde ad relationem cujuscumque virtutis infusæ ; nulla est enim relatio supernaturalis, quæ ad aliquam virtutem infusam non pertineat » (4).

Præterea advertas intentionem supernaturalem, quam Suarez requirit, esse intentionem *præsentem et actualem*. « Si comparentur (fides et charitas), ait, in actuali influxu per suos actus in opus meritorium, sic in rigore magis necessarius est influxus fidei, quia, ut ostendimus, sine actuali influxu fidei nullum est meritum, et valde probabile est non sufficere virtualem influxum per actum intellectus ad fidem pertinentem, qui duret quamdiu durat actuale meritum... ; influxus

(1) *Ib.*, n. 8-11.
(2) *Ib.*, c. X, n. 13-20.
(3) *Ib.*, n. 21.
(4) *Ib.*, n. 26.

autem charitatis per proprium actum a se elicitum, non est ita necessarius ad omne meritum, ut vidimus, vel saltem non est necessarius per actum coexistentem merito » (1).

Ergo sententia Suarez huc redit : præter actus elicitos et imperatos charitatis, actus omnes virtutum *infusarum*, sive theologicarum, sive moralium, sunt *ex se* meritorii, sine ulla alia relatione aut intentione ; actus virtutum moralium *acquisitarum* meritorii sunt, si fiant *ex quavis intentione supernaturali actuali*, seu cum relatione explicita ad aliquam virtutum infusam.

Nihilominus, licet revera charitatis influxum neget, verbis prævalentiam charitatis vult salvare. Suam sententiam autumat « fortasse non esse contradictionem, sed illius sententiæ (affirmantis influxum charitatis) commodam explicationem, quatenus omnis supernaturalis affectus bonus virtute includit affectum et relationem charitatis » (2). Et infra : « si comparatio fiat formaliter in dignitate et valore meriti, sic, absolute loquendo, principalius pendet meritum a charitate quam a fide, quia a fide solum pendet, ut ab excitante et moraliter adjuvante ad ipsum actum ; a charitate vero pendet, ut a forma dante vitam ipsi fidei et omnibus virtutibus, quæ veluti ministrant charitati, et ideo ipsa est quæ omnibus actibus dat præcipuum valorem meriti, ut infra etiam de gratia dicemus, nam in hoc fere æquiparantur » (3).

Sententia Doctoris Angelici.

Sententia quæ affirmat influxum charitatis in omne opus meritorium est Divi Thomæ et veterum scholasticorum communiter. Doctrinam Angelici verbis ipsius hic exponemus.

(1) *Ib.*, n. 28.
(2) *Ib.*, n. 26.
(3) *Ib.*, n. 28.

In Iª IIæ, q. CXIV, a. 4, ubi ex professo quæstionem resolvit, eam ponit hoc modo : *utrum gratia sit principium meriti principalius per charitatem quam per alias virtutes.* Et respondet : « Respondeo dicendum quod humanus actus habet rationem merendi ex duobus : primo quidem et principaliter ex divina ordinatione, secundum quod actus dicitur esse meritorius illius boni ad quod homo divinitus ordinatur ; secundo vero ex parte liberi arbitrii, inquantum scilicet homo habet præ ceteris creaturis ut per se agat voluntarie agens. Et quantum ad utrumque principalitas meriti penes charitatem consistit : primo enim considerandum est quod vita æterna in Dei fruitione consistit. Motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliæ virtutes imperantur a charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitatê imperantur. Similiter etiam manifestum est quod id quod ex amore facimus, maxime voluntarie facimus. Unde etiam secundum quod ad rationem meriti requiritur quod sit voluntarium, principaliter meritum charitati attribuitur. »

Ad objectionem 1ᵃᵐ, quæ dicit quamlibet virtutem esse æqualiter principium merendi, cum merces debeatur operi et quælibet virtus sit principium alicujus operis, reponit : « Dicendum quod charitas, in quantum habet ultimum finem pro objecto, movet alias virtutes ad operandum. Semper enim habitus ad quem pertinet finis, imperat habitibus ad quos pertinent ea quæ sunt ad finem. »

De singulis virtutibus idem docet.

De fide : « Natura comparatur ad charitatem, *quæ est merendi principium,* sicut materia ad formam ; fides autem comparatur ad charitatem, sicut dispositio præcedens ultimam formam. Manifestum est autem quod subjectum vel materia non

potest agere nisi virtute formæ ; neque etiam dispositio præcedens, antequam forma adveniat ; sed postquam forma advenerit, tam subjectum quam dispositio præcedens *agit in virtute formæ, quæ est principale agendi principium ;* sicut calor ignis agit in virtute formæ substantialis. Sic ergo neque natura, neque fides sine charitate possunt producere actum meritorium ; sed, charitate superveniente, actus fidei fit *meritorius per charitatem,* sicut et actus naturæ, et actus naturalis liberi arbitrii » (1).

De spe : « Non omnis spes provenit a charitate, sed solum motus spei formatæ, qua scilicet aliquis sperat bonum a Deo ut ab amico », id est, solus actus meritorius spei ; et adhuc : « Magister loquitur de spe formata, quam naturaliter præcedit charitas, et merita ex charitate causata » (2).

De oratione, quæ est actus *religionis :* « Oratio autem, sicut et quilibet alius actus virtutis, habet efficaciam merendi, inquantum procedit ex radice charitatis, cujus proprium objectum est bonum æternum, cujus fruitionem meremur. Procedit tamen oratio a charitate, mediante religione, cujus est actus oratio..., concomitantibus etiam quibusdam aliis virtutibus quæ ad bonitatem orationis requiruntur, scilicet humilitate et fide » (3). Et objicienti orationem præcipue fidei inniti, secundum illud Jacobi I, 6 : « Postulet autem in fide nihil hæsitans », respondet : « Dicendum quod oratio innititur principaliter fidei, non quantum ad efficaciam merendi, quia

(1) IIª IIæ, q. II, a. 9, ad 1. (cf. Iª IIæ, q. CXIV, a. 4, ad 3). — Suarez ex hoc articulo colligit S. Thomam docere « actum fidei de se esse meritorium de condigno, si alioqua persona sit grata, sine alia ratione ad Deum, præter illam quam ex vi sui objecti et voluntariæ perfectionis includit » (*De gratia,* L. XII, c. IX, n. 8). Atvero quantum hæc interpretatio sit aliena a doctrina Angelici, patet tum ex complexu omnium locorum tum ex ipso hoc loco : fides enim dicitur *agere in virtute formæ, i. e. charitatis, quæ est principale agendi principium.* Quid clarius ?

(2) IIª IIæ, q. XVII, a. 8, ad 2 et 3.

(3) IIª IIæ, q. LXXXIII, a. 15.

sic innititur principaliter charitati ; sed quantum ad efficaciam impetrandi, quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ divinæ et misericordiæ, ex quibus oratio impetrat quod petit » (1).

De martyrio, quod est præcipuus actus *fortitudinis* : « Ad actum martyrii inclinat quidem charitas, sicut primum et principale motivum, per modum virtutis imperantis ; fortitudo autem sicut motivum proprium, per modum virtutis elicientis. Et inde est quod martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis. Inde etiam est quod utramque virtutem manifestat. *Quod autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut et quilibet virtutis actus.* Et ideo sine charitate non valet » (2).

Juxta S. Thomam, gratia est principium merendi remotum, charitas vero principium merendi proximum (3). Unde, simpliciter loquendo, *radix seu principium merendi est charitas* : hoc est quod variis locis repetit quasi axioma (4).

Influxum charitatis in omne opus meritorium, dependentiam meriti a charitate docet ubique. « Isti autem actus (scilicet omnes actus a voluntate eliciti vel imperati) non sunt condigni, quasi pretium respectu vitæ æternæ, nisi secundum quod sunt gratia et charitate informati : unde ad hoc, quod aliquis actus sit per se meritorius, oportet quod sit actus voluntatis, vel imperantis, vel elicientis, et iterum quod sit charitate informatus » (5). — Et alibi : « Actus aliarum virtutum non sunt meritorii, nisi inquantum sunt informati charitate : sicut nec actus virtutum sunt laudabiles, nisi inquantum

(1) *Ib.*, ad 3.

(2) IIa IIæ, q. CXXIV, a. 2, ad 2 ; it. Ia IIæ, q. CXII, a. 4, ad 3.

(3) Cf. v. g. *In III Sent.*, Dist. 30, a. 5, ad 1 ; Dist. 23, q. 3, a. 1, quæstiunc. 1, ad. 3.

(4) Cf. v. g. Ia, q. XCV, a. 4, c. ; IIa IIæ, q. II, a. 9, ad 1 ; q. CLXXXII, a. 2, c. ; IIIæ suppl., q. XLI, a. 4, ad 1 ; *De Veritate*, q. XXVI, a. 6, ad 7 et 8.

(5) *De Veritate*, q. XXVI, a. 6, c.

sunt voluntarii » (1). — » Omnes virtutes habent efficaciam merendi a charitate, quæ nos unit Deo a quo meremur, et voluntatem perficit per quam meremur » (2). — « Meritum autem attribuitur charitati, quia primum movens ad operandum opera meritoria est voluntas, quam charitas perficit » (3). — Quando objicitur virtutes, speciatim fidem, formatas esse ex eo quod quis habet gratiam, unde non jam requiri influxum charitatis in ordine ad actum, respondet : « Dicendum quod in habente charitatem non potest esse aliquis actus virtutis nisi a charitate formatus. Aut enim actus ille erit in finem debitum ordinatus, et hoc non potest esse *nisi per charitatem in habente charitatem ;* aut non est ordinatus in debitum finem, et sic non erit actus virtutis. Unde non potest esse quod actus fidei sit formatus a gratia, et non a charitate : quia gratia non habet ordinem ad actum *nisi charitate mediante* » (4). — Quælibet virtus « a charitate habet quamdam formam communem, secundum quam est meritoria vitæ æternæ » (5).

Quibus omnibus liquet præsentem quæstionem a S. Thoma resolvi, sicut quæstio de charitate forma virtutum. *Charitas est radix meriti* eodem sensu realissimo, quo est *forma virtutum ;* virtutes sunt meritoriæ, quatenus informantur a charitate ; actus moraliter boni habent rationem meriti, inquantum a charitate dependent. Uno verbo, nullum existit meritum sine vera actus relatione ad charitatem (6).

---

(1) *In III Sent.,* Dist. 30, q. 1, a. 5, ad 3. Cf. etiam *ib.*, in corp. ; Dist. 18, q. 1, a. 5, ad ult. ; *In II Sent.*, Dist. 40, q. 1. a. 3 ; *In IV Sent.*, Dist. 49, q. 1, a. 4, sol. 4.

(2) *De potentia*, q. VI, a. 9, corp.

(3) *De veritate*, q. XIV, a. 5, ad 5.

(4) *Ib.*, ad 13.

(5) *De charitate*, a. 3, ad 9.

(6) WIGGERS, generatim bonus S. Thomæ commentator, censet probabile S. Thomam non requirere nisi quod virtutes et actus informentur per conjunctionem cum charitatis habitu in eodem subjecto, actus autem meritorios ab ipso dici imperari a charitate tantum interpretative. (*In Iam IIæ*, q. CXIV, a. 4, n. 62 s.). Atvero hoc opponitur omnibus locis hic adductis necnon locis

En fundamentalis in hac re doctrina Doctoris Angelici. Qualis illa relatio juxta ipsum sit intelligenda, in cap. III magis accurate definietur.

Si quæstiones secundariæ seponuntur et fundamentalis doctrina tantum consideratur, dicendum est hanc esse sententiam communem totius veteris Scholæ. Idem tenent Albertus Magnus (*In II Sent.* Dist. 40, a. 4) ; Alexander Halensis (2 part., q. 86, membr. 3, a. 2 ; 3 part., q. 24, membr. 4, a. 5 ; 4 part., q. 101, membr. 3, a. 3) ; S. Bonaventura (*In II Sent.*, Dist. 41, a. 1, q. 3) ; Scotus (*In II Sent.*, Dist. 41, q. un.) ; Gabriel (*In II Sent.*, Dist. 40) ; Durandus (*In II Sent.*, Dist. 40, q. 2 ; *In III Sent.*, Dist. 23, q. 8) ; Paludanus (*In III Sent.*, Dist. 23, q. 4, a. 3) ; Almainus (*In III Sent.*, Dist. 18, q. 1) ; Dionysius Carthusianus (*In II Sent.*, Dist. 40, q. 3). Ideo præcise quia ordinationem charitatis ad meritum omnino requirebant, Scotus, S. Bonaventura et quidam alii statuebant non omnia bona justorum opera esse meritoria, sed dari indifferentia ad salutem æternam. Postea pro illa doctrina stant graves Theologi, ut Valentia, Salmanticenses, Malderus, B. Bellarminus, Sylvius, Gonnet, Tanner, Laymann, Billuart et alii. Primi qui sententiam scholasticorum dereliquerunt, videntur quatuor doctores Hispani sæculi XVI, videlicet Soto († 1560) et Medina († 1581), deinde Vazquez († 1604) et Suarez († 1617), quorum opiniones exposuimus.

---

quibus supra (p. 44 s.) probavimus charitatem esse formam virtutum ordinando et movendo eas ad finem suum.

Contra Iam IIæ, q. CXIV, a 4, ubi S. Doctor quæstionem influxus charitatis ex professo tractat, Wiggers allegat : Iam IIæ, q. XXI, a. 3 et 4, ubi generaliter probatur hominem mereri per actus bonos ; *De malo*, q. II, a. 5, ad 7, ubi dicitur omnes actus justi ex charitate factos esse meritorios, scil. non esse actus bonos justi indifferentes sub ratione meritorii. Sed uterque locus nullatenus excludit ordinationem charitatis, quæ aliis pluribus locis requiritur.

ARTICULUS II

Quid doceat Sacra Scriptura.

S. Scriptura tum Veteris tum Novi Testamenti innumeris locis docet bona justorum opera esse meritoria apud Deum.

Deus dicitur judicaturus homines, eisque daturus locum seu mercedem secundum opera sua. « Tunc reddet (Filius hominis) unicuique secundum opera ejus » (1). — « Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem » (2). — « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare... » (3). — « Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ » (4).

Adolescenti interroganti : « Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam ? » Dominus respondit : « ... Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata », et enumerat deinde mandata moralia (5).

« Divitibus hujus sæculi, ita scribit Apostolus, præcipe..., bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam » (6). Et alibi : « Abundantes (estote) in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino » (7). — « Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministra-

(1) *Matth.*, XVI, 27 ; *Rom.*, II, 6.
(2) *I Cor.*, III, 8 ; *Gal.*, VI, 5.
(3) *Matth.*, XXV, 34-40
(4) *Joan.*, V, 29.
(5) *Matth.*, XIX, 16-19.
(6) *I Tim.*, VI, 17-19.
(7) *I Cor.*, XV, 58.

tis » (1). — « Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est : ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem » (2).

Hinc docet Concilium Tridentinum : « Ideo bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda » (3).

Itaque omnino certum est justos bonis operibus mereri de condigno. Istis autem textibus non definitur undenam meritum præcipue oriatur, utrum ex ipso opere morali qua tali, an ex fide et intentione supernaturali, an vero ex charitate. Et hoc ipsum inquirunt Theologi.

Qui negant necessitatem influxus charitatis, afferunt varia loca ubi laudantur vel commendantur opera quævis bona, quibus præmium supernaturale vel vita æterna promittitur quin indicetur ulla operis relatio ad charitatem.

I. Vazquez arguit ex sequentibus testimoniis (4).

1°) « Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est : ipse meus frater, et soror, et mater est » (5). Ergo sufficit facere voluntatem Dei, ut habeatur intima cum Christo conjunctio, cui procul dubio debetur merces æterna.

2° Legisperito interroganti : « Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo ? » Christus dixit : « In lege quid scriptum est ? quomodo legis ? » Et postquam ille respondit : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis et ex omni mente

(1) *Hebr.*, VI, 10.
(2) *Hebr.*, X, 35 s.
(3) Sess. VI, de Justificatione, c. XVI.
(4) *In Iam IIæ*, Disput. 217, cap. II.
(5) *Matth.*, XII, 50 ; *Marc.* III, 35.

tua : et proximum tuum sicut teipsum ; » Dominus dixit : « Recte respondisti : hoc fac, et vives. » Tunc illo interrogante : « Et quis est meus proximus ? » Jesus narravit parabolam de bono Samaritano concludens : « Vade, et tu fac similiter » (1). Christus exemplo hominis descendentis a Jerusalem explicuit non solum quis esset proximus, sed etiam quid erga illum facere debeat ut vitam æternam obtineat. Porro loquitur de sola misericordia erga proximum, nullatenus de quadam in Deum relatione, de qua procul dubio Samaritanus ille gentilis nihil curavit.

3° Sententia quam Judex pronuntiabit in ultimo judicio : « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere... Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (2). — Enumerantur ibi opera misericordiæ erga pauperes ut meritoria vitæ æternæ, et quidem sine ulla relatione charitatis ; quæstio enim justorum : « Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te... ? » indicat eos, misericorditer operando, nullomodo cogitasse de motivo aliquo supernaturali.

4° « Qui recipit vos, me recipit : et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli : amen dico vobis, non perdet mercedem suam » (3). — « Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis : amen dico vobis, non perdet mercedem suam » (4). — Atqui hæc

(1) *Luc.* X, 25-37.
(2) *Matth.*, XXV, 34-40.
(3) *Matth.* X, 40-42.
(4) *Marc.* IX, 41.

opera fieri possunt sine peculiari affectu charitatis erga Deum, solum ex virtute religionis aut observantiæ et duliæ, ita ut verificentur illa : *me* recipit, *in nomine justi*, *in nomine meo*. Christus excludere tantummodo voluerit pravum finem, v. g. ad ostentationem vel ex alio simulato motivo.

Hucusque Vazquez et alii post eum.

Quæ argumentatio plane vana est. Profecto illi et similes textus probant opera bona, præsertim opera misericordiæ, esse meritoria vitæ æternæ, sed explicite non dicunt quibusnam sub conditionibus.

Verum est mentionem non fieri relationis ad charitatem. At nec mentio fit fidei supernaturalis, nec gratiæ actualis, nec gratiæ sanctificantis et habitus charitatis. An dices contra doctrinam catholicam, fidem, gratiam actualem et sanctificantem, virtutem charitatis, non esse necessaria ad rationem meritorii ? Unde si quid probes, nimis probas.

1° Quicumque facit voluntatem Patris cœlestis, certissime salvabitur. Sed quid est facere voluntatem divinam ? Annon Deus diligendus sit charitate ? annon omnes actus ad Ipsum charitate sint referendi ? De hoc ipso quæritur.

2° Quod misericordiam boni Samaritani spectat, an dici possit meritoria, si hic supponitur gentilis sine fide et charitate ? Quonam autem jure hic locus allegetur, revera non intelligitur, quum Christus Dominus ibi expresse doceat in dilectione Dei super omnia et proximi propter Deum consistere totam vitam supernaturalem, seu, in loco parallelo, in his duobus mandatis pendere Legem et Prophetas.

3° et 4° In his textibus explicite enuntiatur aliqua actus relatio supernaturalis : exhibentur opera misericordiæ facta aut facienda ipsi Deo, ipsi Christo, in nomine prophetæ, justi, discipuli, in nomine Christi. Qualis sit hæc relatio, ex illis locis accurate definiri non potest. Quæstio autem quam

Christus in ore justorum ponit : « Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te... ? » præcise inservire videtur ut majori cum instantia inculcet misericordiam revera Domino esse reddendam in miseris ejus membris.

Unde, ultro concedendo citatis in locis non inveniri explicitam mentionem relationis charitativæ operum meritoriorum in Deum, dicimus hanc relationem nullatenus excludi. Atvero tota doctrina S. Scripturæ conferenda est ut de necessitate hujus relationis debite judicetur.

* * *

II. Suarez, qui censet opera bona justi de se non sufficere ut sint meritoria, textus sub 4° adductos allegat ad probandam necessitatem intentionis supernaturalis (1). Præsertim autem affert testimonia quibus meritum adscribitur fidei, non fidei habituali tantum, sed fidei operosæ (2).

1° Primum testimonium est S. Pauli, *Gal.*, V, 6 : « In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium : sed fides, quæ per caritatem operatur. » Ex hoc textu colligitur nullum opus virtutis, nisi ex fide factum, esse meritorium de condigno apud Deum ; imo non satis esse fidem etiam vivam habere, nisi fides ipsa operetur, quum Paulus de fide operante loquatur.

R. Hæc interpretatio vera est, sed manifeste insufficiens. Nam Apostolus non dicit : fides quæ operatur, sed : fides *quæ per charitatem operatur*. Unde concludendum est, ut supra vidimus, fidem quæ in Christo Jesu valeat, id est, fidem meritoriam, non esse fidem simpliciter operosam, sed illam quam facit operari charitas, seu quæ operatur mediante charitate (3).

(1) *De Gratia*, L. XII, c. X, n. 19.
(2) *Ib.*, n. 16-18.
(3) Cf. p. 69.

2° Alterum testimonium adducitur, *Rom.*, IV, ubi Paulus negat Abraham justificatum fuisse ex operibus et affirmat ex fide justificatum, ut de eo in Genesi scriptum est : « Credidit Abraham Deo : et reputatum est illi ad justitiam. » Agitur, inquit, de secunda justificatione Abrahæ, et hæc tribuitur non ipsius operibus, sed fidei, non fidei otiosæ, sed, ut ex toto contextu patet, fidei operanti.

R. Revera justificatio, sive prima, sive secunda, sæpissime a S. Paulo fidei ut causæ dispositivæ adscribitur. « Quem (Christum Jesum) proposuit Deus propitiationem *per fidem in sanguine ipsius*, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum » (1). — « Justificati ergo *ex fide*, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum » (2). — « Gratias autem Deo quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde *in eam formam doctrinæ*, in quam traditi estis. Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ » (3). — « In quo (Christo Jesu) habemus fiduciam, et accessum in confidentia *per fidem ejus*... Christum habitare per fidem in cordibus vestris » (4). — « Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne : *in fide* vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me » (5). — « Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis : ex operibus legis, an *ex auditu fidei ?* » (6) — « Justus *ex fide vivit* » (7). — « Omnes enim filii Dei estis *per fidem*, quæ est in Christo Jesu » (8).

His igitur et multis aliis locis facile probatur valor fidei

(1) *Rom.*, III, 25.
(2) *Rom.*, V, 1.
(3) *Rom.*, VI, 17, 18.
(4) *Eph.*, III, 12, 17.
(5) *Gal.*, II, 20.
(6) *Gal.*, III, 5.
(7) *Rom.*, I, 17 ; *Gal.*, III, 11 ; *Hebr.*, X, 38.
(8) *Gal.*, III, 26.

juxta doctrinam Apostoli ; sed inde nullatenus confirmatur quod Suarez intendit. Quid enim est *fides*, ad mentem S. Pauli ? Complectitur quidem semper actum intellectualem, quo creditur aliqua veritas, accipitur Evangelium, recipitur prædicatio apostolica, non ut verbum humanum, sed divinum (1). Attamen hoc elemento theoretico non absolvitur apud Apostolum notio fidei justificantis. Includit præterea plenam obedientiam cordis, absolutam submissionem voluntatis erga novam œconomiam christianam, fiducialem accessum hominis ad Deum, donationem animæ et totius vitæ Deo (2), ita ut fidelis vivat vita supernaturali, sit filius Dei, intime uniatur Christo (cf. textus supra citati). Unde fides cui S. Paulus justificationem et sanctificationem adscribit multo latior est quam virtus theologica fidei ; non tantum est theoretica acceptatio Evangelii, sed practica et prompta obedientia voluntati divinæ revelatæ ; ipsa vita christiana hoc sensu vocatur *opus fidei* (3).

Quæ cum ita sint, non satis est aliquem textum ubi de fide sermo est allegare, ut probetur ad meritum sufficere actum fidei nec requiri ullam relationem charitatis. Fides enim meritoria Apostoli non est fides in sensu restricto intellecta ; aliquando charitas explicite requiritur, ut statim videbimus, et quando hæc expresse non commemoratur, in generali notione quam explicuimus includi potest. Unde, si probetur fidem stricte dictam esse elementum ad meritum requisitum, non probatur eam fidem sufficere nec requiri charitatem, ut sententia negans tenet.

In loco autem allegato (*Rom.*, IV), Paulus agere videtur

(1) *I Thess.*, I, 3-10 ; II, 10-14 ; IV, 14 ; *Rom.*, IV, 3, 5, 17, 24 ; *I Cor.*, I, 21 ; III, 5 ; XIV, 22 ; *Gal.*, III, 6 ; *Eph.*, I, 13 ; etc.

(2) *Rom.* V. 1 ; VI, 17 ; X, 9, 10 ; *I Thess.*, III, 7, 8 ; *Eph.*, III, 12, 17.

(3) *II Thess.* I, 11. — Cf. de notione fidei apud S. Paulum, E. Tobac, *Le problème de la justification dans Saint Paul*, p. 225-243. ; F. Prat, *La Théologie de Saint Paul*, P. II, p. 335-359.

de *prima* justificatione Abrahæ ; demonstrat eam esse donum gratuitum nullo modo operibus quæ fidem præcedunt debitum ; ergo textus illo ad rem non pertinet, quum non agatur de operibus meritoriis.

3° Suarez tertium testimonium affert, ex Epistola *S. Jacobi*, II, 21-23, ubi dicitur Abraham ex operibus justificatum esse, « quoniam fides cooperabatur operibus illius. »

S. Jacobus in toto illo capite hortatur suos lectores ad opera charitatis et misericordiæ atque ostendit fidem sine operibus nihil valere : « Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? Numquid, poterit fides salvare eum ? ... Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa... Vis autem scire o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est ? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare ? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illiús : et ex operibus fides consummata est ? Et suppleta est Scriptura, dicens : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum ? Similiter et Rahab meretrix nonne ex operibus justificata est suscipiens nuntios, et alia via ejiciens ? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est. »

R. Fides, quam respicit S. Jacobus, est fides omnino restricta, actus mere intellectualis, sine influxu in vitam moralem : « Tu credis quoniam unus est Deus : bene facis : et dæmones credunt et contremiscunt » (*ib.* 19). Dicit talem fidem esse mortuam nihilque valere sine operibus ; seu potius *opera* valere et justificare — quod probat exemplo tum Abrahæ tum Rahab meretricis, — et fidem non valere nisi quatenus cooperetur operibus, ex operibus consummetur. Unde, nedum doceat meritum esse formaliter ex fide, potius

inculcare intendit meritum esse præcipue ex operibus, ex operibus utique fidei consociatis.

Per transennam notetur nullam hic esse contradictionem cum doctrina S. Pauli, dummodo hæc intelligatur in sensu supra explicato. Jacobus fidem intelligit in acceptione omnino restricta ; Paulus vero, quamvis elementum intellectuale fidei semper agnoscat vel supponat, sensum ita extendit ut ipsam vitam christianam « opus fidei » appellare possit. Dum opera apud Paulum in notione fidei includuntur vel ex ea fluunt, Jacobus ea accurate a fide distinguit. Hinc, quod Jacobus dicit de *operibus* fidei unitis, Paulus de *fide* sic extensa dicere potest.

Atqui opera omnia aliquo modo refert S. Jacobus ad charitatem : « Si tamen *legem* perficitis *regalem* secundum Scripturas : Diliges proximum tuum sicut teipsum : *bene facitis* » (*ib.* 8). « Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, *quod repromisit Deus diligentibus se ?* » (*ib.* 5). Ergo ex testimonio Jacobi sententia negans nullatenus confirmatur, quum imprimis valorem operum extollat et opera ad ipsam charitatem reducat.

Attamen, quatenus hæc varia loca S. Scripturæ a Suarez allegantur contra Vazquez, qui tenet opera moraliter bona justi de se ad meritum sufficere, modo habeatur aliqua « congrua cogitatio », manifeste concludunt. « Ex his ergo concludo, scribit ille jure merito, cogitationem congruam mere naturalem, sive appelletur gratia, sive non, sed naturæ debita, supposito talium causarum ordine, non posse esse sufficiens fundamentum meriti apud Deum ex parte intellectus ; hoc enim testimonia adducta convincunt » (1). Ceteroquin addendum est, congruam cogitationem a Vazquez requiri non ut actus bonus sit meritorius, sed simpliciter ut sit.

(1) *L. c.*, c. X, n. 18.

* * *

III. Sententia scholastica quæ affirmat meritum necessario a charitate pendere, generatim confirmatur ex iis quæ supra, in Capite III Quæstionis II, de doctrina S. Scripturæ exposita sunt (1). Textus ibi allati et explicati manifeste probant totam vitam christianam, bonos actus, virtutes et præcepta, vero aliquo modo referri ad charitatem, ei connecti, in ea pendere. Intelligenda autem est, uti vidimus, non charitas otiosa seu habitualiter existens in anima justi, sed charitas operosa, suscitans opera bona, ad bene agendum impellens, virtutes perficiens.

Inde liquet meritum re vera ad charitatem referri. Omnibus enim consentientibus, meritum non inest nisi actibus in ratione bonitatis moralis completis, et tanto magis ipsis inest quanto sunt perfectiores. Atqui, ex illa doctrina S. Scripturæ patet non tantum charitatem esse perfectissimam omnium virtutum in se consideratam, sed præterea eam regere et informare totam vitam christiani, colligare omnes virtutes, inspirare et animare omnes actus virtuosos ; ipsam igitur pertinere ad rationem bonitatis moralis quæ in actibus christiani exigitur ; et quo magis charitas actus compenetret, eo magis ipsos esse perfectos.

Proinde non oportet ea repetere quæ supra exposita sunt : benevolus lector omni attentione considerare ea velit. Nihilominus unum alterumve locum, ubi explicite de merito agitur, hic recitare volumus.

I Cor. XIII. Aperte docet Apostolus sine charitate nullum esse meritum : « Si... caritatem autem non habuero, nihil sum,... nihil mihi prodest ». Ibi agit, ut supra diximus, de merito stricto seu de condigno. Atqui loquitur de charitate non habituali tantum et otiosa, sed apprime actuosa : etenim

(1) Cf. p. 61 ss.

eam juxtaponit fidei, misericordiæ, patientiæ, maxime imo heroice operosis, atque immediate subjungit : « Caritas patiens est, benigna est : caritas non æmulatur... », opera omnium virtutum ad ipsius efficaciam reducens. Unde non valet, quod quis diceret : utique S. Paulus docet sine charitate non esse meritum ; sed intelligendus est habitus charitatis in anima omnis justi existens. Hæc evasio, inquam, non valet, quum toto contextu liqueat eum agere de charitate actuosa.

Hoc testimonium omnino convincens nobis videtur : si docet Apostolus non esse meritum *sine charitate*, quod facile concedunt omnes, et si indicat non esse meritum sine charitate *operante*, sententia S. Thomæ procul dubio confirmatur (1).

Gal. V, 6. « In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium : sed fides, quæ per caritatem operatur ». Sive intelligatur fides quæ efficaciam suam operandi recipit a charitate, sive fides quæ vivit et se in opera exserit per charitatem, manifestum est in utroque sensu valorem fidei respectu justitiæ et sanctitatis omnino esse dependentem a charitate et quidem a charitate activa. Quod autem verum est de operatione fidei, a fortiori applicandum est ceteris bonis operibus : nam Apostolus docet hic justitiam non esse ex operibus Legis, quæ in se utique bona erant, sed ex fide. Et hoc confirmatur ex eo quod in eodem contextu omnia præcepta ad charitatem reducat : « Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut teipsum » (v. 14).

Joan. XIV, 21. « Qui habet mandata mea, et servat ea : ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum ». Hoc testimonium attentione dignum est, quia Christus

(1) Vazquez ipse (*In Iam IIæ*, Disp. 217, cap. 7, n. 65) fatetur, ad hoc testimonium « difficilius esse respondere ».

Dominus omnia mandata refert ad charitatem, et directe charitati præmium promittit.

Similiter occurrunt in S. Scriptura plures textus, in quibus merces absolute exhibetur danda iis qui diligunt Deum. Ita legantur :

I Cor. II, 9. « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus *iis, qui diligunt illum* ».

II Tim. IV, 7 s. « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex : non solum autem mihi, sed et *iis, qui diligunt adventum ejus* ».

Jac. I, 12. « Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus *diligentibus se* ».

Jac. II, 5. « Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus *diligentibus se* ».

Quibus ultimis testimoniis merito adnotant interpretes dilectionem Dei quæ præmianda significatur, non esse habitum charitatis, sed actum diligendi Deum, ut ipsa hac expressione manifestum est.

Advertatur præterea meritum ibi a sacris Scriptoribus attribui absolute charitati, quamvis revera de ipsa charitate non loquantur. Paulus vitam suam meritis plenam describit dicens : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi » ; et tamen coronam justitiæ explicite adscribit dilectioni : « iis qui diligunt adventum ejus ». Jacobus laudat fortitudinem in probatione, et præmium reservat diligentibus Deum. Idem dicit Deum pauperes ditare in fide et extollit in eodem contextu opera cum fide justificantia ; et tamen hereditatem absolute affirmat promissam diligentibus Deum. Nonne hæc sunt testimonia diserta, quibus clare eruitur ad rationem meriti primatus charitatis ?

Concluditur.

Quodsi omnes textus S. Scripturæ tam a sententia negante quam ab affirmante allegatos conferimus, invenimus multa loca ubi generalibus verbis opera bona mereri dicuntur præmium æternum, quin determinentur conditiones meriti, licet connotetur plerumque aliqua relatio supernaturalis ; habemus alia loca, ubi ad rationem meriti exigitur fides, sive ita lata ut complectatur totam vitam christianam, sive in sensu restricto sed nullatenus exclusivo ; et alia, ubi opera bona, etiam opera fidei, explicite exhibentur dependentia a charitate, excellentissima omnium virtutum et donorum, vel ubi meritum et præmium, bonis operibus et vitæ christianæ debitum, absolute et ultimatim charitati adscribitur.

Annon sana interpretatio indicat illos varios textus ita intelligendos esse, ut opera bona habeantur meritoria, non de se seu independenter a fide et charitate, sed in quantum regulantur fide et præsertim informantur et animantur charitate ? Unde nullum opus rationem meriti habet sine vera ad charitatem relatione. Et hæc est doctrina S. Thomæ.

ARTICULUS III

Quid doceant SS. Patres.

Sancti Patres eodem quo S. Scriptura modo loquuntur. Ad mentem eorum, opus meritorium idem est ac opus perfecte et vere bonum ; opus autem non est meritorium, non perfecte et vere bonum, nisi procedat ex charitate. Quæ doctrina constans est apud præclarissimos Patres Ecclesiæ.

Itaque jure merito Theologi qui sententiam affirmantem tenent, traditionem patristicam in favorem suæ theseos allegare solent. Econtra, qui negantem sententiam tenent, potissimum defensivo modo sese habent ; conantur dicta

SS. Patrum enervare, contendentes eos loqui de charitate habituali seu de gratia sanctificante, vel etiam eos, nominatim S. Augustinum, accipere charitatem ut quid omnino generale et non specifice ut virtutem theologicam.

Sane non omnes Patres semper loquuntur clare et explicite; quod mirum non est, quum controversia inter Theologos postea agitata tunc temporis nondum mota fuerit. Verumtamen, qui dicta eorum absque præjudicata opinione perpendit, admittere debet meritum ab ipsis non concipi sine vera dependentia ab efficacia charitatis.

S. Clementis Romani testimonium supra allegavimus (1). Loquitur, sicut S. Paulus, de excellentia charitatis et præcipue agit de charitate activa. « Charitas nos Deo adglutinat, charitas peccatorum multitudinem tegit, charitas omnia sustinet, omnia patienter tolerat ; nihil sordidum in charitate, nihil superbum ; charitas schisma non habet, charitas seditionem non movet, charitas omnia in concordia facit ; in charitate omnes Dei electi sunt perfecti, sine charitate nihil Deo acceptum est... Qui vero per Dei gratiam in charitate sunt consummati, locum piorum obtinent et in visitatione regni Christi manifestabuntur... Beati sumus, dilecti, si præcepta Domini in charitatis concordia impleverimus, ut per charitatem peccata nostra nobis remittantur » (2).

Supra etiam citavimus sententias *S. Ignatii Antiocheni* et aliorum *Scriptorum Apostolicorum*, quæ ad præsentem quæstionem referuntur.

Doctrina *S. Augustini* non oportet rursus exponatur. De cujus mente nullum dubium esse potest. Vera virtus, id est, virtus meritorie operans ad vitam æternam, non existit nisi sub informatione et influxu charitatis. Hoc ita manifestum

(1) Cf. p. 79.

(2) *I Clementis ad Corinthios*, c. XL et L. *Opera Patrum Apostolicorum*, ed. Funk, I, p. 123 s.

est lectori, ut quidam Theologi censeant omnes virtutes, juxta ipsum, compenetrari charitate, omnia bona opera formaliter pertinere ad charitatem. Hujusmodi interpretatio, uti vidimus, sustineri nequit ; at certum est ab Episcopo Hipponensi non haberi bonum verum seu meritorium, nisi quod procedat, exsurgat, dependeat a charitate, et quidem a charitate apprime operosa. Itaque Doctorem Gratiæ ut sententiæ affirmanti faventem sine ulla hæsitatione exhibemus.

Si quis vero dicat intentionem supernaturalem fidei, juxta S. Augustinum, ad opus meritorium sufficere, manifeste peccat contra regulas criticas, unam alteramve phrasim a toto contextu abstrahens (1).

Conatur quidem probare Vazquez « charitatem in doctrina et scriptis Augustini esse amorem cujusque virtutis, quatenus distinguitur a timore, et tunc opus fieri ex charitate, quando fit ex amore cujusque virtutis » (2). Verum, uti ostendimus, nec hæc interpretatio admitti potest (3).

S. Hieronymus scribit : « Quæ alia inter fructus Spiritus debuit tenere primatum nisi charitas, sine qua virtutes ceteræ non reputantur esse virtutes, et ex qua nascuntur universa, quæ bona sunt » (4).

Similiter *S. Leo Magnus :* « Nudæ sunt omnes sine charitate virtutes, nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit » (5).

Ergo, ut ceteræ virtutes bene et fructuose operentur, non sufficit quod charitatem comitentur, nisi ex ea parturiantur et nascantur.

Idem tradit *S. Gregorius Magnus :* « Quidquid præcipitur in sola charitate solidatur. Ut enim multi arboris rami ex una

(1) Cf. p. 97, 101 s.
(2) *Op. cit.*, Disp. 192, cap. 2.
(3) Cf. p. 111 ss.
(4) *In Gal.*, L. III, c. V, n. 22. P. L., t. XXVI, c. 418.
(5) *Sermo 10, de Quadragesima.*

radice prodeunt : sic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis » (1).

Eodem modo plures alii Patres loquuntur.

ARTICULUS IV

Quid sentiat Concilium Tridentinum.

Qui negant necessitatem relationis operis meritorii ad charitatem, autumant Concilium Tridentinum aperte sibi favere. Si hoc verum esset, profecto causa finita esset, nec controversiæ locus maneret. Audiamus igitur quid Sacra Synodus de merito doceat.

Textus qui ad rem pertinent sunt sequentes.

In sessionis VI cap. X, de acceptæ justificationis incremento dicit : « Sic ergo justificati, et amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem, hoc est mortificando membra carnis suæ, et exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur, sicut scriptum est : Qui justus est justificetur adhuc. »

In ejusdem sessionis cap. XVI, de fructu justificationis, hoc est, de merito bonorum operum deque ipsius meriti ratione : « Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint sive amissam recupaverint, proponenda sunt Apostoli verba : Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino ; non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius ; et : Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remune-

(1) *Homilia 27, in Evangelia*,

rationem. Atque ideo bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, a justo judice sibi reddendam ; non solum autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt adventum ejus. Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent : nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur, cum Christus Salvator noster dicat : Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam... Neque vero illud omittendum est, quod, licet bonis operibus in sacris litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum, et Apostolus testetur, id, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis : absit tamen, ut christianus homo in se ipso vel confidat vel glorietur, et non in Domino... »

Deinde, in canone 24 : « Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis acceptæ, non autem ipsius augendæ causam : A. S. »

Et in canone 26 : « Si quis dixerit, justos non debere pro

bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint : A. S. »

Demum, in canone 32 : « Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita ; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum : A. S.

Ex quibus textibus concludunt patroni sententiæ negantis, a Tridentino ad meritum non requiri dependentiam operis a charitate. Concilium, dicunt, manifeste docet omnia bona opera justorum rationem meritorii habere, non tantum opera charitatis, sed etiam minima opera virtutum moralium : meritum enim assignat bonis operibus sine distinctione vel restrictione, non requirit ad vitam æternam adipiscendam nisi observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ, quæ potissimum quidem per exercitium moralium virtutum adimplentur. Porro ut hæc opera sint meritoria et Deo grata, sufficit quod fiant a justificatis, Christo in ipsos jugiter influente virtutem tanquam capite in membra et tanquam vite in palmites, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur. « Ad rationem meriti vitæ æternæ, ita Vazquez (1), nihil aliud postulavit Concilium, quam ut opera essent bona, facta ab homine justo et auxilio gratiæ Dei. Ergo frustra nos, et absque fundamento postulamus relationem illam in finem charitatis ; cumque absque ulla limitatione de bonis operibus justorum asserat, esse meritoria vitæ æternæ, quanam obsecro ratione ad certum genus bonorum operum verba ipsius restringimus ? Quinimo qui ad rationem meriti amplius ab

(1) *Op. cit.*, Disp. 217, c. 3, n. 32.

homine justo requirit, præter ea quæ dicta sunt, aut ad certum genus operum definitionem Concilii restringit, verbis ipsius non obscure adversari videtur. »

Patet hanc conclusionem, si vera sit, tam immediate opponi illis qui, cum Suarez, intentionem supernaturalem requirunt, quam illis qui exigunt aliquam dependentiam operis a charitate.

Jure autem merito respondetur conclusionem illam minime ex doctrina Tridentinæ Synodi deduci posse.

Apprime notum est Patres Tridentinos voluisse tantummodo definire doctrinam catholicam contra errores Novatorum, et nullatenus dirimere controversias in scholis theologicis agitatas. Speciatim quoad meritum, genuina fides exponenda erat adversus exitialia placita Reformatorum. Quæ breviter ita describit coævus Stapleton : » Hæreticorum hodie fundamenta contra bonorum merita hæc sunt. Primum : non ex vi aliqua liberi arbitrii nos bene ac juste operari, quia opera bona sunt opera Dei et gratiæ ejus in nobis, non autem nostra ; est autem omne meritum actio libera ejus qui meretur. Hoc sane fundamentum adstruxit olim Lutherus, ut non solum ante gratiam et in acceptatione gratiæ, sed etiam in operibus post gratiam acceptam libertatem arbitrii negaverit, idque æque ad malum atque ad bonum ; Deum enim utrumque in nobis operari, malum tamen per nos vel nobiscum, bonum autem sine nobis. Moderatiores autem Lutherani liberum arbitrium ante gratiam quidem et in ipsa acceptatione gratiæ negant, agnoscunt tamen in bonis operibus post gratiam acceptam... Cum meriti radix duplex sit, libertas et bonitas, alterum fundamentum contra meritum posuerunt negando bonorum operum veram bonitatem atque virtutem. Quia videlicet, cum inhabitante concupiscentia, tanquam veri nominis peccato, perpetuo contaminentur nostra qualiacumque bona opera, ac reddantur etiam imperfecta propter dilectionis perfectionem

a lege mandatam, quam nemo implet : consequitur nullam esse in nobis veram legis observantiam atque perfectam, qualem lex requirit, ideoque nullam veram justitiam, quæ in Dei judicio stare queat, ac multo minus meritum, quod Deus juste respicere debeat » (1).

En errores quos Concilium præ oculis habuit, quando veram de merito doctrinam definire intendit ; quos ex professo rejecit et condemnavit. Quia Lutherani meritum operum nostrorum atque observationis mandatorum penitus auferebant, ideo inculcari oportebat bona opera et observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ esse in justis vere meritoria vitæ æternæ. Et quia affirmabant bona opera non esse nostra, sed Dei opera in nobis, ideo necesse erat declarare ea esse vere nostra quamvis per gratiam divinam. Adversus eos itaque docuerunt Patres Tridentini credendum esse, cum Christus in justis influat gratiam suam et virtutem, nihil jam justis deesse quominus bonis suis operibus, quæ in Deo fuerint facta, plene legi divinæ satisfaciant et meritum ad vitam æternam acquirant.

Quod præterea, ita docendo, excludere voluerint sententiam quæ tunc temporis in scholis theologicis quasi communis erat atque auctoritate Divi Thomæ gaudebat, id cum omnimoda certitudine negari potest, attento manifesto scopo Concilii.

Imo, ut auctores scite observant, Sacra Synodus non obscure indicat aliqualem operis meritorii relationem supernaturalem, quum intentionaliter tam in cap. 16 quam in can. 26 loquatur de bonis operibus *quæ in Deo fuerint facta* : quæ expressio indeterminata ideo præcise eligitur ut nulla sententia theologica rejici videatur (2).

---

(1) Stapleton. *De justificatione.* L. X, c. 1.

(2) Ita E. Dublanchy (*Dictionnaire de Théologie Catholique* V° *Charité*, t. II, col. 2250) : « Quant au concile de Trente, le simple silence sur la nécessité de la charité virtuelle, sess. VI, c. XVI, can. 32, n'est point une preuve que le concile rejette une opinion alors soutenue par toute une école théologique. Le concile a seulement voulu opposer aux erreurs protestantes la doctrine

Vazquez (1) multis textibus S. Scripturæ ostendit præpositionem *in* significare *per*, unde sensum illius locutionis Tridentini esse : opera quæ facta sunt *per Deum*, id est, *per auxilium Dei, adjuvante gratia Dei.*

Atvero præpositionem *in* significare posse et in variis S. Scripturæ locis significare *per*, nemo est qui dubitat ; sed eam et alios sensus habere posse et de facto habere, pariter certum est. Unde diximus modum loquendi Concilii indeterminatum esse, et quidem intentionaliter indeterminatum. In ipso loco S. Scripturæ unde expressio hausta videtur, scilicet in colloquio Jesu cum Nicodemo : « Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, *quia in Deo sunt facta* » (2), in hoc loco, inquam, loquitur Salvator de tota vita supernaturali, de nova nativitate ex aqua et Spiritu Sancto, de redemptione per Filium Dei unigenitum, de necessitate fidei et acceptationis novæ œconomiæ ad salutem. Nihil prorsus indicat verba allegata, quæ sunt generalia, significare tantummodo : quia opera facta sunt per auxilium gratiæ. Et in ipso textu Tridentino haberetur mira redundantia, si talis esset sensus exclusivus : postquam enim Concilium requisivit auxilium gratiæ Christi, sine qua nullo pacto opera Deo grata et meritoria esse possint, dein rursus diceret nihil deesse ad meritum in bonis operibus *quæ per auxilium gratiæ fiunt.*

Instat tamen idem doctor : « Quod vero aliqui dicunt, institutum Concilii non esse, annumerare conditiones omnes requi-

catholique sur le mérite, particulièrement sur les points directement attaqués. Aucune raison n'exigeant une intervention de l'Eglise dans cette question d'école, le concile la laisse dans l'état où elle se trouvait antérieurement. Aucune parole conciliaire ne doit donc être nécessairement interprétée dans un sens défavorable à la nécessité de la charité virtuelle. C'est ce qui résulte particulièrement aussi du choix de l'expression : *quæ in Deo sunt facta*, sess. VI, c. XVI, acceptée par les deux écoles pour signifier l'intention simplement surnaturelle ou l'intention dictée par la charité parfaite. »

(1) *Op. cit.*, n. 28-31.

(2) Joan., III, 21

sitas ad meritum, sed contra hæreticos hujus temporis docere, quo pacto hæc opera, quibus justi observant legem, bona sint, et meritoria, quod tamen prædicti hæretici negabant ; frivolum est et manifeste refellitur, ex eo quod inter alia requisita ad meritum vitæ æternæ aliquando consequendæ, numerat Concilium perseverantiam, de qua nulla erat cum hæreticis nostri temporis, imo neque cum aliis controversia. Adde quod si institutum Concilii non esset enumerare requisita ad meritum, frustra addidisset, nihil amplius deesse bonis operibus, ut meritoria sint, et vitam æternam consequantur » (1).

Respondetur ad primam rationem adductam : donum perseverantiæ, non est, nec a Concilio numeratur, inter requisita ad meritum, sed est et enuntiatur tanquam conditio adipiscendi *de facto* vitam æternam. Ut opera bona sint in se meritoria, non requiritur perseverantia, sed hæc requiritur, ut de facto meritis vita æterna retribuatur ; perseverantiam stricte mereri non potest justus. Concilium igitur debet connotare perseverantiam, præter merita, quando loquitur de « vita æterna suo etiam tempore, *si tamen in gratia decesserint*, consequenda » : hoc omisso, non solum incomplete, sed falso locutum fuisset.

Ad alteram rationem sufficit advertere Concilium non dicere « nihil amplius deesse bonis illis operibus, ut meritoria sint, et vitam æternam consequantur » ; sed nihil illis, *quæ in Deo sunt facta*, deesse, ut sint meritoria et vitam æternam, si tamen in gratia decesserint homines, consequantur.

Ceterum, ut omne dubium circa mentem Tridentini tollatur, juvat inspicere *Acta* quæ, auspicante societate Goerresiana, a cl. Ehses edita sunt (2).

(1) *Ib.*, n. 31.

(2) *Concilium Tridentinum. Diariorum, actorum, epistolarum, tractatuum nova collectio.* Ed. Societas Goerresiana. T. V. Friburgi Brisgoviæ, 1911.

Patres Concilii multum et diu, a die nempe 21 Junii 1546 ad diem 13 Januarii 1547, laborarunt in conficiendo et discutiendo decreto de justificatione. Jam ab exordio examinis, clarissimus theologus Societatis Jesu Alphonsus Salmeron partes charitatis et operum in ipsa justificatione et post eam optime ostendit (1). Postquam plures formæ decreti propositæ sunt, quarum duæ in generali congregatione sunt examinatæ, quæ tamen nullam fere similitudinem cum decreto postea approbato habent, tandem in congregatione generali 5 Novembris 1546 lectum est schema quod definitivo decreto ortum dedit. Juxta hoc schema, in capite 16, quod agit ex professo « de fructu justificationis, hoc est de merito bonorum operum deque ipsius meriti ratione », occurrebant hæc verba ad rem pertinentia : « ...Cum enim ille ipse Christus tanquam caput in membra et tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent : nihil ipsis justificatis amplius deesse dicendum est, *quominus plene (dummodo eo charitatis affectu, qui in hujus vitæ mortalis cursu requiritur, operati fuerint) divinæ legi satisfecisse ac velut undique divina gratia irrorati, æternam vitam promeruisse censeantur...* » (2) Nullus Pater, examinando hoc schema, in illis verbis aliquid carpendum duxit (3) ; imo generalis Ordinis S. Augustini Seripandus, qui magnas in redigendo decreto de justificatione partes habuit, voluit ut post verba : *dummodo... operati fuerint*, addantur hæc : *Qui tanto charitatis affectu sciunt se non esse operatos, vel de eo dubitant, pœnitentiam agant et Dei misericordiam invocent per merita passionis Christi* (4). Verum, si septem Patres excipiantur, reliqui sentie-

(1) *Op. cit.*, p. 265-272.
(2) *Op. cit.*, p. 639.
(3) *Op. cit.*, p. 683.
(4) *Op. cit.*, p. 671.

bant hæc ultima verba non addenda et probabant decretum prouti erat propositum (1).

Quando igitur schema reformatum in congregatione generali 14 Decembris 1546 rediit, clausula supra signata mansit, paucis tantum verbis mutatis : « ...*quominus plene quoad illa opera, quæ eo charitatis affectu operati fuerint, quem divina benignitas requirit*, divinæ legi satisfecisse ac velut undique divina gratia irrorati, æternam vitam *suo tempore* (*nisi a gratia ceciderint*) *consequendam* promeruisse censeantur » (2).

Occasione novi examinis, quidam, qui antea nihil reprobaverant, voluerunt verba : *quominus plene quoad illa opera* etc. mutanda esse. In hac sententia erat cardinalis Giennensis, cui aliqui consentiebant : « quia tantillum gratiæ sufficit ad vitam æternam » ; item episcopus Vasionensis : « quia si est justus, ut supra dicitur, operabitur absque dubio eo charitatis affectu etc., et propterea videtur superflua » ; episcopus Castellimaris : « quia numquam sciremus (nec) conjecturaliter an divina præcepta impleverimus » (3).

In schemate die 14 Decembris proposito primum occurrit canon 26, de merito bonorum operum : « Si quis dixerit justum non debere pro bonis operibus, *quæ in Deo fuerint facta*, exspectare et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum ei reddendam, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverit : anathema sit » (4).

Qui canon omnibus placuit. Spectatis vero animadversionibus in caput 16, nova forma decreti, 9 Januarii proposita, dictam clausulam enuntiabat ita : « quominus plene *illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, pro hujus vitæ statu* divinæ legi satisfecisse et vitam æternam suo etiam tempore

(1) *Op. cit.*, p. 691.
(2) *Op. cit.*, p. 710.
(3) *Op. cit.*, p. 711 s.
(4) *Op. cit.*, p. 716.

(si tamen in gratia decesserint) consequendam *vere* promeruisse censeantur » (1). Ita tandem caput de merito promulgatum fuit cum toto decreto de justificatione, in sessione VI, die 13 Januarii 1547 (2).

Unde jam historice probatur, quod supra notavimus, Synodum Tridentinam, cujus mens potius erat in sententia quam propugnamus, intentionaliter verbis indeterminatis *quæ in Deo sunt facta* usam esse, ne quorumdam Patrum opiniones reprobare videretur.

ARTICULUS V

Quid eruatur e rationibus theologicis.

Quæstionem ita ponit S. Thomas : « Utrum gratia sit principium meriti principalius per charitatem quam per alias virtutes » (3). Et sic quæstio ponenda videtur : etenim constat gratiam sanctificantem, quæ informat animam justi ipsique dat esse supernaturale, non esse principium meriti nisi per bona opera quæ ex ea procedunt ; meritum nempe, uti vidimus, non in quodam essendi statu consistit, sed solis actibus colligitur. Atqui bona opera ex gratia sanctificante non procedunt nisi mediantibus virtutibus ; hoc liquet ex ipsa definitione virtutis, quæ communiter dicitur « habitus animi ad recte agendum » ; singula opera bona proxime eliciuntur a singulis virtutibus. Ergo gratia est principium meriti per virtutes.

Quo prænotato, dicimus omnes virtutes ad meritorie operandum dependere a charitate, hoc sensu quod omnia bona opera, ut sint meritoria, ad finem charitatis referenda sunt.

(1) *Op. cit.*, p. 777.
(2) *Op. cit.*, p. 797.
(3) Ia IIæ, q. CXIV, a. 4.

1° Argumenta sententiæ affirmantis.

I. Argumentum primum et fundamentale :

Actus stricte meritorius debet habere condignitatem ad præmium æternum.

Atqui non habet condignitatem ad præmium æternum, nisi quatenus ponitur sub influxu et dependentia charitatis. Ergo.

Major patet, et ab omnibus admittitur.

Minor probanda est. Negatur enim tum ab illis qui censent omnem actum moralem, *a justo positum*, illam condignitatem habere, tum ab illis qui docent omnem actum *a virtute infusa vel cum intentione supernaturali elicitum*, præmio esse proportionatum.

Probatur autem eisdem considerationibus quibus, in articulo II quæstionis II, demonstravimus omnes virtutes per charitatem ad finem ultimum ordinari (1). Quæ ibi tradita sunt lector velit hìc conferre. Si constat charitatem esse formam virtutum in sensu exposito, tenendum est opera bona non esse condigna vitæ æternæ, nisi quatenus informantur charitate : quæ altera propositio corollarium est prioris, vel potius una eademque propositio.

Et revera auctores qui logice procedunt, si tuentur priorem illam thesim de charitate forma virtutum, et hanc alteram, *minore* præsentis argumenti enuntiatam, tueri debent. Præmium enim nihil aliud est ac adeptio finis ultimi : unde, si actus virtuosi non habent proportionem et rectitudinem ad finem ultimum nisi per charitatem, nonnisi per eam habent condignitatem ad præmium.

« Considerandum est, ait S. Thomas respondens ad quæstionem supra positam, quod vita æterna in Dei fruitione consistit. Motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini

(1) Cf. p. 30 ss.

boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliæ virtutes imperantur a charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias virtutes autem secundario, secundum quod eorum actus a charitate imperantur » (1).

Quod fundamentale argumentum B. Bellarminus concinne exponit his verbis : « Convenit inter omnes, ut opus referri debeat in Deum, ut finem supernaturalem, si futurum sit meritorium vitæ æternæ ; at opera virtutum ceterarum non referuntur ex natura sua in Deum, ut finem supernaturalem, nisi a charitate imperentur et dirigantur ; nam si morales sint, non referuntur ex natura sua in Deum, nisi ut finem naturalem ; si theologicæ sint, respiciunt quidem Deum, ut objectum supernaturale, sed non referuntur in eum, ut finem supernaturalem vel ut summum bonum ; igitur non sunt meritorii actus virtutum reliquarum, nisi a charitate imperentur et moveantur » (2).

Cujus argumenti valor infra confirmabitur examine rationum oppositarum.

II. Secundum argumentum, cum B. Bellarmino et aliis (3) sic ponitur :

Illa solum opera meritoria sunt vitæ æternæ, quæ ex natura sua charitatem augent : nam, juxta unanimem Theologorum sententiam, omne meritum vitæ æternæ simul etiam incrementi charitatis meritum est.

Atqui charitas non augetur nisi per actus qui sunt ipsius, id est, aliquo modo ex ipsa procedunt seu dependent ; hoc

(1) Iª IIæ, q. CXIV, a. 4.

(2) *De justificatione*, L. V, c. 15.

(3) V. g. SPORER, *Theologia moralis*, Tract. II, n. 152 ; — LAYMANN, *Theologia moralis*, L. II, tract. 3, c. 1, n. 1 ; — ERNST, *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, p. 98.

enim commune est omnibus virtutibus, quod nulla directe augeatur actibus ad aliam pertinentibus.

Ergo illa sola opera sunt meritoria vitæ æternæ, quæ vel a charitate eliciuntur vel saltem ab ea dependent.

Major hujus argumenti admittitur ab omnibus.

Ad *minorem* replicant quidam, charitatem augeri non solum operibus ad ipsam pertinentibus, sed omnibus operibus meritoriis, per opera meritoria intelligentes opera bona cujusvis virtutis sine relatione ad charitatem. Rationem allegant : quia charitas, sive sit realiter distincta a gratia sanctificante, sive ratione tantum, accrescere debet eodem prorsus modo ac gratia sanctificans. Atqui gratia sanctificans accrescit omnibus operibus meritoriis. Ergo et charitas.

Respondetur, concedendo *majorem ;* distinguendo vero *minorem :* gratia sanctificans accrescit omnibus operibus a charitate aliquo modo dependentibus, quæ sola sunt meritoria, *conc. ;* omnibus operibus cujusvis virtutis absque relatione ad charitatem, *neg.* — Hoc ipsum in quæstione est, quænam sint opera meritoria ; unde non potest assumi tanquam probatum opera omnium virtutum *de se* esse meritoria, et inde concludi gratiam et charitatem augeri quovis opere virtuoso. In *minore* autem nostri argumenti ponitur generale principium, videlicet omnes virtutes seu habitus augeri tantum actibus qui ex ipsis procedunt. Quod ipse Vazquez, contra quem arguimus, de aliis virtutibus concedit, imo de virtutibus theologicis fidei et spei, sed de charitate negat, quia charitas indivulse connectitur cum gratia, non ceteræ (1). At hæc ratio fallit : nam charitas est virtus sicut aliæ, specifice ab ipsis distincta ; quod necessario cum gratia uniatur, ad rem nihil refert ; auctor exceptionem hanc inducere cogitur ad theoriam suam salvandam.

(1) *Op. cit.,* Disp. 220, c. 6, n. 56, 57.

Alii instant, dicendo virtutes naturales crescere physice, supernaturales vero tantum meritorie ; unde non esse paritatem (1).

Respondetur verum esse antecedens. Attamen analogia, quæ inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem existit, indicat augmentum habitus charitatis, quod non physice sed meritorie fit, supponere ut causam moralem aliquam operationem ipsius charitatis. Unde paritas in hoc habetur quod omnes virtutes *actibus suis* augentur, naturales quidem physice, supernaturales vero meritorie.

Ad nostrum concipiendi modum, gratia sanctificans augetur, crescente charitate ; charitas autem crescit omni opere meritorio, id est, omni opere moraliter bono quod aliquo modo a charitate dependet, seu quod ad finem charitatis aliquo modo refertur. Ita salvatur principium, juxta quod omnes virtutes, etiam charitas, augentur actibus ad ipsas pertinentibus.

III. Rationem confirmatoriam adducunt Doctores Salmanticenses (2) ex discrimine inter virtutes theologicas et virtutes morales.

Theologicæ virtutes, quia immediate respiciunt prima principia ordinis supernaturalis, scilicet primum verum et ultimum finem, se habent ad gratiam tanquam supernaturales ejus potentiæ, eo proportionali modo quo intellectus et voluntas se habent ad naturam rationalem. Sicut gratia in ordine supernaturali habet rationem naturæ participative divinæ, ita charitas est propria hujus naturæ voluntas, et fides in viatoribus sicut intellectus. Virtutes vero morales infusæ comparantur ad gratiam, sicut habitus acquisiti ad naturam

(1) Ita SUAREZ, *op. cit.*, L. XII, c. 8, n. 16 ; c. 10. n. 25 ; — RIPALDA, *De ente supernaturali*, Disp. 90, n. 59 ; — SCHIFFINI, *De gratia divina*, n. 370, p. 646 s.

(2) *Cursus theologicus*, Tract. XVI, *De Merito*, Disp. IV, Dub. I, n. 8.

rationalem : non respiciunt prima principia, sed particularia objecta ordinis supernaturalis.

Natura autem rationalis per nullum habitum vel potentiam moraliter operari potest, nisi mediante operatione voluntatis, et in ordine ad objectum proprium voluntatis, quod est finis ipsius naturæ. Eodem modo gratia per nullam virtutem meritorie operari poterit, nisi mediante influxu charitatis, et in ordine ad objectum ipsius charitatis, quod est ultimus finis ordinis gratiæ.

Hæc ratio videtur veram vim probantem habere. Innititur principio S. Thomæ : « Semper habitus ad quem pertinet finis, imperat habitibus ad quos pertinent ea quæ sunt ad finem » (1) ; et ponit quod supra probatum est (2), ad solam charitatem pertinere finem, quia sola formaliter attingit Deum in se ut finem ultimum.

2° Argumenta Vazquezii.

Argumenta adversariorum jam examinemus ; et primo quidem eorum qui negant necessitatem *cujuslibet relationis supernaturalis* (3).

I. Omnia opera bona justorum, eo ipso quod bona sunt, sunt meritoria vitæ æternæ, absque ulla alia relatione supernaturali ; tum quia, hoc ipso quod bona sunt et ab homine justo, suapte natura referuntur in Deum, ad quem justus charitate habituali est ordinatus ; tum quia placent Deo tanquam opera filiorum, ac proinde præmium filiorum promerentur.

R. Hoc argumentum rejicitur a gravissimis variæ sententiæ doctoribus, v. g. a B. Bellarmino (4), Salmanticensibus (5),

(1) Ia IIæ, q. CXIV, a. 4, ad 1.
(2) Cf. p. 33.
(3) Hæc argumenta exponuntur a Vazquez, *op. c.*, Disp. 217, c. 4.
(4) *De Justificatione*, l. c.
(5) *De Merito*, l. c., n. 20.

ipsoque Suarezio (1). Systema enim Suarezii fundatur in eo quod relatio personalis justi ad Deum per gratiam et habitum charitatis non sufficiat ad meritum.

Subjectum habitualiter in finem ordinatum non necessario communicat operi ordinationem in eundem finem. Ad rationem meriti satis non est, si actus procedat a subjecto alias grato ; sed debet procedere ab illo qua ratione gratus est, nempe ut operante ex charitate (2). Alioquin dicendum esset, omnia opera hominis peccatoris, id est habitualiter a Deo aversi et ad creaturam conversi, ordinata esse ad finem perversum, adeoque esse peccata mortalia, quod est falsum et hæreticum. Item in homine justo verba vel facta otiosa debito fine carentia, si quæ dentur, essent meritoria, siquidem ratione subjecti omnia haberentur directa et relata in Deum ut finem supernaturalem.

Negatur quidem ab adversariis paritas inter justum et peccatorem, quum peccator facere possit actum ex objecto, fine proximo et circumstantiis bonum. Sed si suppositum verum sit, nempe ordinationem subjecti sufficere ad ordinationem actus, paritas negari non potest ; nam, hoc supposito admisso, sicut opera justi rectificantur relate ad finem ultimum, ita etiam omnia opera peccatoris, quantumvis in se bona, vitiari debent habituali agentis relatione ad finem perversum.

II. Homo servando legem divinam ex solo fine virtutis, fit quotidie magis justus. Ergo hoc ipso fit magis dignus præmio vitæ æternæ, cum sit in statu merendi.

R. Justus qui servat legem divinam, fit quotidie magis

(1) *De Gratia*, L. XII, c. 10, n. 15, et passim.

(2) « In habente charitatem, ait S. Thomas, non potest esse aliquis actus virtutis nisi a charitate formatus. Aut enim actus ille erit in finem debitum ordinatus, et hoc non potest esse *nisi per charitatem in habente charitatem ;* aut non est ordinatus in debitum finem, et sic non erit actus virtutis. Unde non potest esse quod actus fidei sit formatus a gratia, et non a charitate : quia *gratia non habet ordinem ad actum nisi charitate mediante* ». *De Veritate*, q. XIV, a. 5, ad 13.

justus, *conc.* : supponitur enim agere, prout debet, ex charitate, et omnia opera sua aliquo modo in Deum referre. — Justus, qui supponeretur opera legis facere seclusa omni relatione charitatis, fit quotidie magis justus, *neg.* ob argumenta allata.

III. At si illa relatio charitatis requireretur, innumera essent bona opera sine merito vitæ æternæ : quod admitti nequit. Multa enim opera virtutum fieri possunt, quin affectu charitatis in Deum referantur, puta opera fidei, spei, religionis, pietatis, misericordiæ, in quibus fere tota vita christiana versatur : de illis in Deum referendis christiani sæpissime non cogitant.

R. In capite III exponetur qualis relatio operum in Deum requiratur, simulque hæc difficultas resolvetur. Interim negamus assertum, scilicet innumera bona opera merito carere, admissa sententia S. Thomæ.

Ceterum, eadem objectio opponi potest opinioni Suarezii. Hic enim ad quodvis opus meritorium requirit intentionem supernaturalem, et quidem formalem et actualem. Non perspicitur quomodo relatio charitatis, quæ non est necessario actualis sed ad summum *virtualis*, uti videbimus, practice meritum magis restringeret quam *formalis* intentio supernaturalis.

IV. Denique, vel actus ceterarum virtutum habent ex sua bonitate propria meritum vitæ æternæ distinctum a merito charitatis : sed tunc non videtur quare necessarius sit influxus charitatis ; — vel tota ratio meriti in ipsa charitate ponitur, ita ut nihil meriti proveniat bono operi ex aliarum virtutum bonitate : sed hoc omnino repugnare videtur.

R. Hæc objectio tangit quæstionem difficiliorem, scilicet cuinam virtuti, in actu ordinato a charitate, respondeat meritum. Inter patronos sententiæ affirmantis relationem charitatis, quidam concedunt non solo charitatis affectu, sed

etiam operibus aliarum virtutum qua talium justos mereri ; at dicunt relationem charitatis esse *conditionem* ut hæc opera sint meritoria ; sicut etiam quod fiant opera in statu gratiæ et charitatis ab homine justo, est conditio necessaria ad eundem effectum. Ita sane non derogatur dignitati aliarum virtutum, nec minuitur valor bonorum operum.

Salmanticenses quoque tenent meritum respondere non tantum charitati, sed bonitati intrinsecæ operis ; aliam tamen explicationem adducunt. Virtus actum eliciens, aiunt, agit vi modi alicujus a charitate participati, et proinde attingit objectum suum, non tantum sub formalitate sibi propria, sed sub formalitate charitatis. Si hæc theoria admittitur, objectio non concludit.

S. Thomas autem docet, consequenter ad sua principia, meritum de condigno præmii essentialis proprie pertinere ad charitatem, non ad bonitatem operis moralis quatenus a charitate distinguitur. Charitas nempe se habet ut formale respectu meriti, bonitas autem moralis ut materiale ; eodem fere modo quo voluntas se habet ut formale respectu bonitatis actus externi, actus externus vero ut materiale. Quod ratio meriti resideat penes charitatem, id non magis repugnat quam quod ratio bonitatis omnis actus moralis ponatur in voluntate.

Hæc quæstio ex professo tractabitur in capite II sequenti.

Quibus igitur variis objectionibus perpensis, concludi potest sententiam, quæ relationem charitatis requirit, inde nullatenus labefactari.

3° Argumenta Suarezii.

Nunc obveniunt argumenta eorum qui concedunt ad opus meritorium non sufficere bonitatem moralem actus licet ab homine justo effecti, sed requirunt præterea intentionem

aliquam supernaturalem, quamvis negent necessitatem relationis ad finem charitatis.

Rationes sequentes speciatim a Suarezio adducuntur.

I. Ut opus sit meritorium, requiritur et sufficit ut habeat condignitatem ad finem ultimum supernaturalem.

Atqui ad hanc condignitatem habendam 1° sufficit ut fiat quolibet modo supernaturali seu cum intentione quavis supernaturali, 2° non requiritur ut ex charitate fiat.

R. Conceditur *major ;* negatur utraque pars *minoris.*

Suarez autem conatur probare utramque partem *minoris* :

1° Ut opus habeat condignitatem ad Deum finem supernaturalem, *sufficit ut fiat quovis modo supernaturali, scil. quavis virtute infusa vel cum relatione ad eam.*

Etenim talis actus procedit a Deo tanquam a primo principio supernaturali, movente hominem per auxilium gratiæ actualis.

Atqui omnia quæ procedunt a Deo, redeunt ad ipsum, ut ad ultimum finem, connaturali suo pondere et inclinatione. Naturalia *per se* referuntur ad Deum ut finem naturalem ; simili modo et servata proportione, supernaturalia *per se* referuntur ad Deum ut finem supernaturalem. « Idemque dicendum est de ipsis virtutibus infusis ; nam, licet non omnes immediate Deum attingant tanquam objectum, nihilominus omnes in eum tendunt ut supernaturalem finem ; nam proportionantur gratiæ, a qua suo modo dimanant, et ideo in eumdem finem tendunt, sicut etiam potentiæ animæ eumdem habent naturalem finem ultimum cum ipsa anima. Imo anima per substantiam suam quasi remote, proxime vero per potentias suas in illum finem tendit. Simili ergo proportione virtutes infusæ ad gratiam comparantur respectu supernaturalis finis ultimi ; ergo et actus talium virtutum per se et ex intrinseca ratione sua in eumdem finem referuntur » (1).

(1) Suarez, *Op. cit.*, L. XII, c. IX, n. 5.

R. Hujus argumenti *major* manifesta est. *Minor* vero ita distinguenda est : omnia quæ procedunt a Deo, redeunt ad ipsum ut ad finem ultimum, *immediate et vi propria, neg. ; saltem mediate et vi potentiæ vel virtutis quæ finem ultimum immediate attingit, conc.*

Quæ distinctio declaratur ex ipsa adducta similitudine ordinis supernaturalis cum ordine naturæ. Verissimum est animam quasi remote tendere in finem naturalem ultimum, proxime vero per potentias suas ; at falsum est eam illuc tendere per omnes potentias æque proxime. Ad solam voluntatem immediate pertinet finis ut objectum proprium et formale, ad ceteras potentias nonnisi mediante voluntate. Ipsæ respiciunt immediate objecta particularia, quæ possunt ad finem ultimum referri, si potentiæ informantur et diriguntur voluntate. Unde anima ipsa et potentiæ et virtutes naturales redeunt ad Deum finem naturalem, non immediate et per se ipsas, sed anima per potentias suas, et potentiæ per voluntatem, quæ sola finem ultimum attingit et proinde cetera ad eum referre sola potest. Hæc plana et manifesta videntur in ordine naturæ.

Applicemus comparationem ordini gratiæ, et solvitur argumentum. Virtutes infusæ comparantur ad gratiam, sicut potentiæ naturales ad animam. Gratia tendit in Deum finem supernaturalem, proxime per virtutes supernaturales. Sed non omnes virtutes infusæ attingunt finem supernaturalem immediate et formaliter. Sola charitas respicit illum finem qua talem ; ceteræ respiciunt vel objecta supernaturalia particularia, vel ipsum Deum sed non formaliter ut finem ultimum. Unde gratia et virtutes infusæ referuntur quidem ad Deum finem supernaturalem, sed gratia per virtutes, et virtutes ceteræ per charitatem. Sicut in ordine naturali admittenda est subordinatio potentiarum, ita in ordine gratiæ necessario habetur subordinatio virtutum.

Unde verum est omnia quæ procedunt a Deo, redire ad ipsum ut finem ultimum, saltem *mediate et vi potentiæ vel virtutis quæ finem ultimum immediate attingit.* Sicque confirmatur S. Thomæ sententia (1).

2° In minore negata dicitur *nullam aliam relationem requiri præter relationem virtutis infusæ.*

Ratio est, quia talis relatio non est admittenda, nisi probetur. Atqui non probatur, nec ex S. Scriptura, nec ex Concilio Tridentino, nec ex ratione theologica (2).

Eo vel minus est admittenda, quod ita meritum justorum indebite valde minuatur, quum hujusmodi operandi modus ex charitate sit satis rarus et valde perfectus (3).

R. Ad 1um, concedendo *majorem ;* negando *minorem.*

Seposito Concilio Tridentino, ex quo nec pro sententia negante, nec pro affirmante argumentum deducendum est, censemus necessitatem influxus charitatis apodictice probari ex complexu argumentorum S. Scripturæ, Traditionis et rationis theologicæ, supra expositorum. Si unus alterve textus, una alterave consideratio seorsim spectata rem non efficere videatur, negari non potest omnia simul sumpta sufficientem habere valorem ut certam conclusionem inferant.

---

(1) Billuart ad idem argumentum ita respondit : « Referuntur (actus virtutum infusarum) ad Deum ut finem ultimum supernaturalem, imperfecte et implicite tantum, *conc.* Perfecte et explicite, prout requiritur ad meritum, *neg.* Hi itaque actus virtutum infusarum, secluso influxu charitatis, in tantum dicuntur referri ad finem ultimum supernaturalem in quantum referuntur ad suum finem particularem, ut actus fidei ad Deum ut verum, spei ad Deum ut nobis bonum, qui fines particulares, cum sint supernaturales, continentur sub universali fine ultimo supernaturali, sicut omnia pertinentia ad unum genus, in finem illius quomodocumque tendunt. Hæc autem relatio est valde generalis et imperfecta ; convenit enim actibus fidei etiam informis, et est potius exigentia et capacitas proxima ut referatur quam actualis relatio, neque sufficit ut opus dicatur fieri propter Deum et in ejus bonum et obsequium, nec consequenter ut sit meritorium saltem præmii essentialis ». *Tractatus de Gratia,* Diss. VIII, art. IV, obj. 3.

(2) L. c , c. IX, n. 6 et 7, et c. X, n. 23.

(3) L. c., c. IX, n. 3 et c. X, n. 23.

Ad 2um, prorsus negando, et retorquendo argumentum. Suarez enim ad omne opus meritorium requirit intentionem supernaturalem, et quidem *formalem et actualem*, qui duret quamdiu durat opus meritorium (1). Experientia autem constat justos nullatenus in omnibus operibus suis agere ex *formali* intentione supernaturali fidei vel alia hujusmodi. Unde admittendum esset multa opera justorum non esse meritoria. Relatio vero charitatis non requiritur actualis et formalis : qualis necessaria sit et sufficiat, ostendetur in capite III, ubi simul patebit meritum justorum ex hac doctrina practice nullatenus minui (2).

II. Post illud argumentum generale, disserit Suarez de fide, de spe, de virtutibus moralibus quæ aliquo modo attingunt Deum, ut obedientia, religio, pœnitentia, denique de ceteris virtutibus infusis minus perfectis. Ostendere conatur illas singulas, quamvis earum actus non sint perfectissimi nec habeant summam proportionem cum præmio beatitudinis, habere tamen proportionem sufficientem, quia attingunt aliquo modo ipsum Deum sive ut objectum formale, sive ut objectum materiale, sive ut objectum *cui*, vel ad minus quia sunt ejusdem ordinis ac finis ultimus et media ac quasi viæ tendentes ad hunc finem (3).

Concedit quidem necessariam esse proportionem actus meritorii ad præmium. Sed, ita ipse, ut hujusmodi proportio adsit, non requiritur actus perfectissimus, nec æqualitas per-

(1) *L. c.*, c. X, n. 28.

(2) « La pratique de la vie chrétienne, scribit E. DUBLANCHY (*Dictionnaire de Théologie Catholique*, v° *Charité*, t. II, col. 2250), ne court aucun danger d'être troublée par le choix de la première opinion (S^ti Thomæ). Dès lors que le choix est entre une intention surnaturelle positivement persévérante ou une influence virtuelle d'un acte de charité, y a-t-il beaucoup plus de difficulté à admettre que cette positive direction d'intention s'accomplisse par l'acte de charité, acte pour ainsi dire normal dans une âme justifiée qui d'ailleurs peut seule mériter pour le ciel ? »

(3) *L. c.*, c. IX, n. 8-11 ; cf. c. VIII, n. 11, 12, 16.

fectionis : secus nec dilectio charitativa proximi, cum minus perfecta sit quam amor Dei, esset meritoria, nec ipse actus charitatis Dei, cum non habeat fortasse æqualitatem perfectionis cum visione beata. Similiter non requiritur ut actus meritorius directe et immediate attingat ipsum Deum, qui est substantiale præmium meritorum per visionem obtinendum, quia hoc spectat ad quandam æqualitatem, quæ non est necessaria : secus amor proximi, voluntas colendi Deum, et similes actus non essent meritorii. Unde sufficit quod opus bonum tendat in Deum ut finem supernaturalem : nam ita habet proportionem quasi viæ ad terminum vel medii ad finem.

R. Imprimis non *quælibet* ad finem ultimum proportio, etiam ordinis supernaturalis, sufficit. Si quævis proportio sufficeret, non esset ratio restringendi meritum ad actus virtutum infusarum, et excludendi opera virtutum moralium acquisitarum qua talium. Nam, ut ait Vazquez, « hoc ipso quod fiunt a filiis Dei habentibus adoptionis gratiam, et illa sunt secundum voluntatem Dei, idoneam habent proportionem cum præmio supernaturali, ut illo digna sint ». Unde concludit discrimen illud inter bona opera justorum, ab « aliquibus theologis recentioribus » introductum, « pro arbitratu et sine fundamento » asseri (1). Et nota bene, quasdam virtutes morales acquisitas, puta religionem, obedientiam, pœnitentiam, attingere Deum, saltem ut objectum *cui*, æque ac infusas. Hujusmodi autem proportio, ait Suarez,

(1) Vazquez, *op. cit.*, c. IV, 35 et c. VI ; - Item E. Dublanchy scribit : La seconde opinion (Suarezii) ...a peut-être aussi l'inconvénient de paraître rechercher un intermédiaire peu logique entre la nécessité de la charité virtuelle et la suffisance de la simple vertu de charité. Si celle-ci suffit, pourquoi est-il nécessaire que tout acte accompli par l'âme juste soit fait avec une intention surnaturelle ? et si l'intention surnaturelle est toujours requise, pourquoi est-elle limitée à ce qui est inférieur à la charité ?» *Dictionnaire de Théologie Catholique* v° *Charité*, T. II, col. 2250.

non sufficit, sed compleri et elevari debet, quatenus opera dirigantur intentione supernaturali.

Ab alia parte, verissimum est non requiri *summam proportionem seu æqualitatem perfectionis* inter actum meritorium et præmium visionis beatificæ, hoc sensu quod actus meritorius sit æqualis omnino perfectionis ac visio beatifica : secus nullus actus viatoris, nec ipsa maxima charitatis erga Deum flagrantia, rationem meritorii haberet, quum in comparatione ad charitatem patriæ magnas imperfectiones importet.

Proportio autem et perfectio quæ requiritur et sufficit, talis est quæ vocari possit *specifica ;* requiritur et sufficit ut actus meritorius habeat *eandem speciem*, eandem perfectionem essentialem, quam actus in quo consistit præmium. Ita, et ita tantum, intrinsece et per se actus est via ad terminum, medium connaturale ad finem. Quæ quidem proportio non pertinet ad fidem nude sumptam, nec ad spem, nec a fortiori ad virtutes morales licet supernaturales. Id facile probatur ex eo quod fides in patria evanescat, orta visione, item spes, habita possessione, et ceteræ virtutes morales proprie non existant. Sola charitas, non obstantibus magnis imperfectionibus, habet in hac via eandem perfectionem essentialem ac in patria ; imperfectiones sunt accidentales et evanescent ; essentialis autem perfectio, consistens in unione immediata et amicabili animæ cum Deo summo bono, manebit miroque modo perficietur (1). Unde sola opera charitatis, omniaque opera virtutum quæ et quatenus charitate informantur et animantur, requisitam et sufficientem habent proportionem cum præmio æterno. Ita meritum ad mercedem dicit veram condignitatem ; ita ex operibus meritoriis vere educitur vita cœlestis, sicut ex germine crescit arbor, sicut ex corpusculo perfectus vir enascitur.

(1) Cf. exposita p. 6 s.

Quando igitur dicunt non requiri actum perfectissimum seu æqualitatem perfectionis, verum dicunt, hoc sensu quod nullatenus requiritur actus simpliciter æqualis perfectionis ac vita beata ; falsum dicunt, hoc sensu quod non requiritur eadem perfectio specifica seu essentialis : actus meritorius potest habere, ut ita dicam, perfectionem inæqualem *secundum gradus perfectionis*, sed debet habere æqualem *secundum speciem* (1).

Qua distinctione posita, patet responsum ad difficultatem ab Auctore deductam ex amore charitativo erga Deum, qui amor certissime meritorius est et tamen, inquit, non habet fortasse summam vel æqualem perfectionem cum vita beata. Videlicet : actus charitatis Dei non habet eandem specificam perfectionem, *neg.* ; non habet æqualem omnino perfectionem, quantumvis sit perfectus, *conc.*

Quod spectat charitatem erga proximum, argumentum exinde deductum magni facit Suarez. Probat eam esse meritoriam de condigno præmii essentialis, quod ultro libenterque concedimus. Atqui, pergit, « amor proximi non est tam perfectus actus, sicut amor Dei, neque attingit directe, et tanquam objectum *quod*, ipsum finem ultimum, et ideo non est super omnia, sicut dilectio Dei ; ergo non est de ratione meriti præmii essentialis, quod sit perfectissimus actus, nec quod directe tendat in ipsum Deum, qui est objectum beatificum. Ac denique, licet illa dilectio proximi eliciatur a charitate, quæ est virtus theologica, nihilominus in se non est actus proprie et formaliter theologicus, sed moralis, quatenus proxime ac directe versatur circa materiam creatam ; ergo eadem ratione poterunt alii actus morales esse meritorii, cum etiam fieri possint propter

(1) S. Thomas proportionem requisitam vocat *æqualitatem in virtute* (Ia IIæ q. CXIV, a. 3, ad 3.) ; et Suarez ipse alio in loco dicit meritum de condigno « supponere operis condignitatem secundum *æqualitatem proportionis* » (*De Gratia*, L. XII, c. 36, n. 4).

Deum, et multi in individuo et fortasse etiam in specie possint esse meliores, ut actus religionis vel pœnitentiæ » (1).

Quot et quantæ æquivocationes !

Naturam formalem charitatis erga proximum infra, in Quæstione IV, ex professo considerabimus, et probabimus, ad mentem Angelici, charitatem proximi habere idem objectum *formale* ac charitas Dei, quamvis *materiale* objectum sit diversum : attingit nempe formaliter ipsam bonitatem increatam ; et quum ratio specifica actus desumatur ex objecto suo formali, et non ex materiali, charitas proximi pertinet ad eandem specifice virtutem ac charitas Dei ; unde S. Augustinus, cui sensus catholicus adhæret, merito dicit : « Una charitas, et duo præcepta... Qua charitate proximum, ipsa charitate diligimus et Deum » (2) ; et alibi : « *Ex una igitur eademque charitate* Deum proximumque diligimus : sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum » (3).

Itaque, percurrendo singula argumenti elementa, notandum est :

a) Amor proximi non est tam perfectus actus sicut amor Dei. Hoc simpliciter concedi potest, etsi specifice habet eandem rationem.

b) Non attingit directe et tanquam objectum *quod* seu materiale ipsum finem ultimum : item *conc.* ; — non attingit directe tanquam objectum *formale* ipsum finem ultimum : *neg.*, et hoc tantummodo interest, quum exinde ratio specifica actus oriatur.

c) Ergo non est de ratione meriti præmii essentialis, quod sit perfectissimus actus : *conc.* ; — nec quod directe tendat in ipsum Deum, qui est objectum beatificum : *distinguendum*

(1) *L. c.*, c. VIII, n. 11 ; col. c. IX, n. 10.
(2) *Sermo CCLXV*, n. 9 (al. c. 8).
(3) *De Trinitate*, L. VIII, c. 8.

est : nec quod directe tendat in Deum, ut objectum materiale, *conc. ;* ut objectum formale, *neg.*

d) Dilectio proximi, quamvis eliciatur a charitate, virtute theologica, nihilominus in se non est actus proprie et formaliter theologicus, sed moralis, quatenus proxime ac directe versatur circa materiam creatam : absolute *nego.* Hæc sunt fere contradictoria in terminis. Dilectio proximi propter Deum, elicita a charitate, est actus verissime theologicus, non moralis, quia habet objectum formale ipsius charitatis, i. e. bonitatem Dei increatam ; secus a charitate elici non posset. Versatur quidem circa materiam creatam, ut objectum materiale : sed omnes norunt objectum materiale ad speciem actus nihil referre.

e) Ergo eadem ratione poterunt alii actus morales esse meritorii : *neg.*, nam sunt morales, dilectio vero proximi propter Deum est theologica ; — cum fieri possint propter Deum : *dist.* propter Deum ut causam *finalem,* ad quam referri possunt, *conc. ;* propter Deum, ut causam *formalem,* ad quam immediate et ratione sua propria referuntur, sicut charitas proximi, *neg. ;* — et multi in individuo et fortasse etiam in specie possunt esse meliores, ut actus religionis vel pœnitentiæ : *dist. : in specie* i. e. in ratione sua specifica *neg.* nam nulla species melior est charitate ; *in individuo* i. e. si comparatur in concreto actus aliquis moralis magnæ perfectionis cum aliquo parvo actu charitatis proximi, *transeat.*

Uno verbo, amor proximi propter Deum intrinseca sua ratione meritorius est et condignus præmio essentiali, cum sit proprie et formaliter actus charitatis, habens proinde ad illud proportionem essentialem. Exinde nihil prorsus inferri potest quoad morales virtutes, quantumvis in ordine suo perfectas, quia specifica sua perfectione nullomodo finem ultimum directe attingunt. Quod una alterave Deum habeat ut objectum materiale *quod,* vel ut objectum *cui,* id nec

earum rationem formalem mutat nec ipsis tribuit intrinsecam ordinationem ad præmium essentiale. Et sic patet responsum ad ea quæ dicit Eximius Doctor de virtutibus moralibus.

Tandem perpendatur et hæc consideratio.

Nisi dicas proportionem actus meritorii ad præmium provenire ex ordinatione charitatis, opera peccatorum eam proportionem habere possunt : quod manifeste repugnat. Fieri enim possunt cum auxilio gratiæ et cum intentione supernaturali fidei vel spei : qua actus supernaturales, non differunt in justo et in peccatore. Utique meritoria non sunt, quia, facta ab inimico carente filiatione divina adoptiva, Deo placere non possunt. At agitur hic non de acceptatione divina, qua constituitur meritum in actu secundo, sed de proportione seu perfectione quam opus habere debet in actu primo. Atqui hæc perfectio actus eadem est in peccatore quam in justo, si relatio charitatis excluditur. Omnes enim concedent actum fidei theologicæ, v. g., fieri posse a peccatore fideli eodem modo eademque perfectione intrinseca quam a justo. Unde si in justo proportionem sufficientem habet ad præmium, et in peccatore habere debet.

Nec dicas differentiam esse, quia in peccatore deest gratia sanctificans : nam hæc nihil addit vel mutat in actu fidei, et suppleri potest per gratiam actualem. Perspicitur quidem ob illius defectum actum Deo non placere et proin simpliciter non esse meritorium, at non apparet cur non haberet *intrinsecam* proportionem *per se* sufficientem ad præmium. Econtra, si admittas actum supernaturalem non habere sufficientem proportionem nisi ex ordinatione charitatis, manifestatur discrimen inter opera supernaturalia peccatoris et justi, discrimen scilicet non tantum ex parte Dei acceptantis et remunerantis, sed ex parte ipsius operis præmiandi : hoc enim opus, eo quod refertur ad finem charitatis, quasi speci-

fica charitatis perfectione informatur et ita elevatur ad eundem specifice ordinem ad quem ipsa visio beatifica pertinet. Ex quo intelligitur opera meritoria, etiam in actu primo et ante acceptationem divinam, intrinseca sua perfectione eminere super operibus bonis, sive naturalibus, sive supernaturalibus, absque charitate factis.

Conclusio.

Supra notavimus quæstionem de charitate forma virtutum et quæstionem de charitate radice meriti esse unam eamdemque quæstionem sub alio et alio aspectu consideratam. Quod ex dictis satis liquet.

Nulla vere virtus est, nullus actus perfecte bonus, nisi ordinetur ad finem ultimum supernaturalem. Quum autem sola charitas intrinseca sua ratione formaliter attingat hunc finem, sola potest et debet ceteras virtutes earumque actus ad illum referre, atque ita eis superaddere formam suam propriam quasi speciem communem. Quatenus earum est forma et finis et mater, veram proportionem et conformitatem ad ultimum finem supernaturalem eis tribuit.

Ab alia parte, communiter hoc principium ponunt, oportere opus meritorium habeat proportionem intrinsecam ad mercedem, et, cum merces consistat in adeptione ultimi finis, proportionem ad vitam beatam seu ad unionem cum Deo finalem. Quod principium ponunt, antecedenter ad controversias utrum ad meritum requiratur acceptatio vel ordinatio divina necne, utrum præmium tribuatur merito ex stricta justitia necne. Hæ quæstiones respiciunt meritum in actu secundo et potius ex parte Dei ; illud vero principium respicit meritum in actu primo et ex parte operis. Porro, si requiritur ut opus meritorium habeat intrinsecam proportionem ad finem ultimum, redeunt principia quibus probatur hujusmodi proportionem operibus non inesse nisi ex sola charitate. Et sic

actus *meritorius* idem est ac actus *perfecte bonus*, et *vera* virtus nihil aliud est ac virtus *quæ agit meritorie* in ordine ad vitam æternam. Quæ principiorum unitas splendescit in doctrina Angelici ; an apud adversarios inveniatur, lectori judicandum relinquitur.

Præterea advertere juvat, hisce quæstionibus revelari apud doctores verum discrimen quoad modum concipiendi vitam nostram supernaturalem.

Ad mentem D. Thomæ, virtutes supernaturales subordinantur regimini et ordinationi charitatis ; quia, ut finis naturalis pertinet ad voluntatem, ita supernaturalis pertinet ad charitatem. Unde, sicut natura agit principaliter per voluntatem, ita gratia sanctificans agit principaliter per charitatem, juxta illud S. Thomæ : « gratia non habet ordinem ad actum nisi charitate mediante » (1). Ergo sequitur eam esse principium meriti principalius per charitatem quam per alias virtutes. Similiter, quum gratia semper agat mediante charitate, explicatur charitatem, quæ cum ea indivulse connectitur, æquali gradu et quidem actibus suis augeri.

Alii vero aliter illa exponere coguntur. Quamvis charitas ceteras virtutes excellentia sua superet, tamen ipsas non regere nec ordinare debet. Omnes et singulæ, sive infusæ, juxta alios, sive etiam acquisitæ, juxta alios, dummodo in homine justo existant, intrinsece dicunt ordinem ad finem gratiæ ; unde gratia immediate per singulas agit perfecte et meritorie ; et proinde ex actu cujusvis virtutis, quamvis charitas nullatenus interveniat, crescit gratia, et consequenter etiam charitas.

Ultima igitur discriminis ratio hæc est : admittendam esse veram subordinationem virtutum respectu charitatis. Quum hoc certum sit, tum ex S. Scriptura, tum ex Traditione, cujus duo lumina S. Augustinus et S. Thomas nobis suffi-

(1) *De veritate*, q. XIV, a. 5, ad 13.

ciant, tum denique ex ratione theologica, manifesto charitas est forma virtutum et meriti radix.

CAPUT II

UTRUM MERITUM INFLUXUI CHARITATIS CORRESPONDEAT AN ETIAM BONITATI CETERARUM VIRTUTUM.

SUMMARIUM. — *I. Meritum* de condigno *præmii* essentialis, *i. e. visionis ac fruitionis Dei, correspondet et commensuratur excellentiæ charitatis a qua actus meritorius procedit vel ordinatur, non autem per se valori intrinseco alius virtutis actum elicientis, ita ut, eodem manente influxu charitatis, meritum de condigno essentiale idem maneat, etiamsi bonitas moralis actuum crescat ; attamen major bonitas moralis solet esse* signum *majoris charitatis et proin majoris meriti. Insuper admitti potest valori intrinseco ceterarum virtutum respondere meritum* de congruo *præmii essentialis et meritum* de condigno *præmii* accidentalis. *Hæc est doctrina S. Thomæ.*

II. Hæc sententia, quæ ex præcedentibus ut consectarium sequitur, declaratur comparando bonitatem moralem et meritum operum externorum, et dein ab objectionibus vindicatur.

III. Theoria Salmanticensium de merito charitati superaddito licet ab ea procedente non probatur.

ARTICULUS I

Status quæstionis.

Certum est ex S. Scriptura justos obtinere præmium vitæ æternæ secundum mensuram bonorum suorum operum (1). Sed et ex præcedentibus liquet rationem meriti per se primo

(1) Cf. supra, p. 137.

pertinere ad charitatem, ad ceteras autem virtutes nonnisi quatenus earum actus a charitate ordinantur. Unde oritur quæstio an meritum de condigno, quod in operibus meritoriis, id est, in actibus a charitate ordinatis habetur, correspondeat non tantum charitati, sed etiam virtuti elicienti ; aliis verbis, an, præter meritum influxui charitatis proprium et commensuratum, habeatur distinctum meritum bono operi qua tali proprium ejusque intrinsecæ bonitati proportionatum, ita ut meritum operis absolute crescat, crescente bonitate morali actus atque supposito eodem semper influxu charitatis.

Theologi qui autumant quodvis opus moraliter bonum, vel saltem omnem actum a virtute infusa elicitum vel imperatum, esse per se, independenter a relatione charitatis, meritorium in justo, consequenter tenent meritum simpliciter correspondere bonitati morali operis in se consideratæ, vel saltem bonitati virtutis infusæ qua actus ponitur. Ita explicant sacros textus quibus dicitur coronam unicuique tribui secundum opera sua. Attamen, quum relationem operum meritoriorum ad charitatem negligant, quæ relatio tum S. Scriptura, tum Traditione, tum ratione theologica requiritur, problema non rite solvunt.

Ultro fatemur hanc quæstionem non levem facere difficultatem : quo explicari potest eam acriter controversam esse, saltem ab exeunte sæculo XVI. Dicimus : saltem ab exeunte sæculo XVI ; nam notatu dignum est, apud antiquos doctores scholasticos, teste Almaino (1), communem fuisse sententiam, qua meritum de condigno vitæ æternæ formaliter soli charitati tribuitur, et non per se ceteris virtutibus. Manifesto sibi erant constantes, quum unanimiter etiam docerent radicem meriti esse charitatem, nullumque opus bonum esse meritorium nisi dependenter a charitate.

(1) Citatur a Vazquez, *l. c.*, c. 4, n. 34.

Videamus quomodo Angelicus quæstionem solvat. De ejus mente, quam exponit in pluribus locis et in variis suis operibus, nullum dubium esse potest, quamvis nonnulli eum in diversam sententiam trahere conati sint. Distinguit duplex meritum actuum nostrorum, unum præmii essentialis, alterum præmii accidentalis ; illud tribuit charitati, hoc quantitati operis in se considerati.

« Quantitas meriti, ait, ex duobus potest pensari. Uno modo ex radice charitatis et gratiæ ; et talis quantitas meriti respondet præmio essentiali, quod consistit in Dei fruitione : qui enim ex majori charitate aliquid facit, perfectius Deo fruitur. Alio modo pensari potest quantitas meriti ex quantitate operis ; quæ quidem est duplex, scilicet absoluta, et proportionalis. Vidua enim quæ misit duo æra minuta in gazophylacium, minus opus fecit quantitate absoluta quam illi qui magna munera posuerunt ; sed quantitate proportionali vidua plus fecit secundum sententiam Domini, quia magis ejus facultatem superabat. Utraque tamen quantitas meriti (scil. absoluta et proportionalis) respondet præmio accidentali, quod est gaudium de bono creato » (1). — « Ad meritum humanum, scribit alibi, concurrit charitas quasi principale, et opus exterius quasi secundarium ; meritum autem simpliciter loquendo, scilicet respectu præmii essentialis, judicatur majus, quod ex majore charitate procedit ; magnitudo vero operis facit majus meritum secundum quod attenditur respectu alicujus præmii accidentalis, non autem simpliciter, nisi inquantum demonstrat magnitudinem charitatis, secundum id quod Gregorius dicit : Amor Dei operatur magna, si est » (2). — Et rursus : « Primo quidem secundum formam charitatis, cui respondet

(1) Ia, q. XCV, a. 4, c.

(2) *De Veritate*, q. XII, a. 13, c. ; *In III Sent.*, Dist. 30, ad Annibalum, a. 4 ; IIa IIæ, q. CLXXXII, a. 2, ad 1.

merces essentialis præmii, scilicet fruitionis et visionis divinæ... Secundo ex specie operis : sicut enim in rebus humanis ille magis præmiatur, qui in digniore opere laborat, sicut architecton quam artifex manualis... : ita etiam in rebus divinis ille, qui in nobiliori opere occupatur, majus præmium accipit quantum ad aliquam prærogativam præmii accidentalis... Unde aureola datur doctoribus, virginibus et martyribus » (1).

Quum autem minimum præmium essentiale superet quodcumque præmium accidentale, scribere potest : « Præmium respondens merito ratione charitatis, quantumcumque sit parvum, est majus quolibet præmio respondente actui ratione sui generis » (2).

Alio in loco, postquam dixit « quod vis merendi est in omnibus virtutibus ex charitate », absolute affirmat : « Et ideo diversitas in merendo tota revertitur ad diversitatem charitatis » ; « et ideo distinctio gradus in gloria accipitur penes gradus charitatis, potius quam penes gradus virtutis prædictæ » ; « et ideo secundum diversos charitatis gradus erunt diversi gradus in gloria » (3). Unde alibi docet parvum opus ex magna charitate factum esse magis meritorium, quam magnum ex parva (4).

Hinc ne inferas D. Thomam parvipendere bonitatem moralem actuum in se consideratam. Meritum enim ordinarie mensuratur secundum magnitudinem vel perfectionem moralem operis, quatenus hoc solet esse *signum* majoris charitatis : « Labor exterior, ait, operatur ad augmentum præmii accidentalis ; sed augmentum meriti respectu præmii essentialis consistit principaliter in charitate, cujus quoddam

(1) *In I Cor.* III, Lect. II.
(2) *In IV Sent.*, Dist. 49, q. 5, a. 5, ad 5.
(3) *Ibid.*, q. 1, a. 4, quæstiunc. 4, c., ad 1, ad 2.
(4) *In III Sent.*, Dist. 30, q. 1, a. 3.

signum est labor exterior toleratus propter Christum ; sed multo expressius ejus signum est quod aliquis, prætermissis omnibus quæ ad hanc vitam pertinent, soli divinæ contemplationi vacare delectetur » (1). — Et alibi : « Magnitudo laboris pertinet ad augmentum meriti ; et sic charitas non diminuit laborem, imo facit aggredi opera maxima : magna enim operatur, si est, ut Gregorius dicit in quadam homilia » (2). — Imo opus bonum est meriti quasi elementum *materiale*, formale autem est charitas : « Virtus sumpta pro conatu sive pro actu moraliter bono, est quasi materialis dispositio ad mensuram gratiæ et gloriæ per meritum percipiendæ ; sed charitas est formaliter complens meritum ad gloriam » (3).

S. Bonaventura omnino consentit Angelico. Distinguit et iste inter præmium *substantiale*, quod consistit in visione et fruitione Dei et quod soli charitati tribuitur, et præmium *accidentale*, quod consistit vel in aureola vel in gaudio de bono creato et quod conceditur bonis operibus secundum eorum intrinsecam excellentiam vel magnitudinem vel numerum. Et præterea scite distinguit inter meritum *de condigno* et meritum *de congruo*, ostendens bona opera aliquatenus mereri de congruo et dispositive, et proinde nullomodo esse inutilia ad salutem.

« Respectu præmii accidentalis, ait, opus privilegiatum (v. g. martyrium) addit supra bonam intentionem et voluntatem : quia præmium accidentale, quod est aureola, non debetur voluntati secundum se, sed voluntati in opere. Si autem loquamur de merito respectu præmii substantialis, adhuc oportet subdistinguere, quia est meritum præmii congrui, et est meritum condigni. Quantum ad meritum

(1) *IIª IIæ*, q. CLXXXII, a. 2, ad 1.
(2) *Iª IIæ*, q. CXIV, a. 4, ad 2.
(3) *In IV Sent.*, Dist. 49, q. 1, a. 4, quæstiunc. 4, ad 1.

congrui, absque dubio opus privilegiatum addit super bonitatem intentionis, pro eo quod voluntas in illo opere præparatur et disponitur ad susceptionem majoris gratiæ, per quam digna est majori retributione. Si autem loquamur de merito condigni, sic absque dubio non addit, pro eo quod quantitas meriti condigni pensatur *ex quantitate radicis* : et tantum placet Deo ille qui habet voluntatem plenam, et non potest habere opus, quantum et ille qui habet voluntatem et opus, quantum ad essentialis præmii retributionem, si sunt *in æquali charitate* » (1).

« Accipiendo igitur meritum respectu præmii substantialis contingit dicere quod aliquid valet ad profectum meriti tripliciter. Aut quia per illud *meretur homo majorem gloriam*, et hoc modo major charitas vel melior voluntas facit ad profectum meriti. Aut *quia disponit ad merendam* majorem gloriam : et talia sunt opera perfectionis, quia dicuntur facere ad meriti profectum. Aut quia *conservat illud, per quod meretur* homo gloriam ; et sic omnia opera bona proficiunt ad meritum, quia in ipsis exercetur charitas et operatur, conservatur, et radicatur, ut homo finaliter perseveret in illa. Et hoc non est parvum, quia, quidquid homo faciat, non salvatur nisi finaliter perseveret. Et sic patet quod operum multiplicatio quodam modo valet ad profectum in merito respectu præmii substantialis : et hoc dico *disponendo* et *conservando, non autem merendo majorem gloriam ex condigno*. Similiter ad profectum majoris *præmii accidentalis* potest aliquid valere tripliciter ; aut ratione adeptionis aureolæ ; et sic opera specialis excellentiæ faciunt ad profectum meriti voluntatis bonæ : aut ratione adeptionis alicujus delectationis internæ : et sic omnia opera quæ fiunt ex gratia quodam modo valent ad profectum præmii accidentalis ;... aut ratione diminutionis pœnæ : et sic opera difficilia et pœnalia faciunt ad profectum meriti, et

(1) *In II Sent.*, Dist. 40, a. 2, q. 1, concl.

addunt ad meritum bonæ voluntatis : quia remissionem alicujus pœnæ meretur homo ex voluntate cum opere, quam non meretur ex sola voluntate... Generaliter verum est quod *operum dignitas* et *dati quantitas*, et *operum numerositas* ad profectum meriti facit respectu *præmii accidentalis*, licet differenter. Verum est etiam generaliter, quod illa omnia opera *non faciunt* ad profectum meriti respectu *præmii substantialis*, *nisi solum disponendo et conservando* » (1).

Inde satis liquet quanta sit, ad mentem Doctoris Seraphici, utilitas bonorum operum in se considerata ; attamen meritum de condigno visionis beatificæ soli charitati agnoscit. Itaque, rigorose loquendo, docere potest, ut supra, duos homines, qui æquali charitate inspirantur, æqualiter mereri, si unus opus exsequitur, et alter vult exsequi sed non potest.

Etiam, juxta ipsum, « planum est quod plus valet magnitudo bonæ voluntatis (seu charitatis) cum parvo dono, quam parvitas bonæ voluntatis cum magno » (2). Docet tandem virtutes, diversas a charitate, per se consideratas *æquales* esse relate ad meritum stricte dictum : « Quoniam omnis rectitudo virtutum, inquit, secundum esse gratuitum manat a gratia tanquam ab origine et radice ; et secundum esse meritorium comparatur ad charitatem sicut ad originem, formam et finem : hinc est, quod ceteræ virtutes quoad habitus sunt connexæ et *quoad actus meritorios sunt æquales* » (3). Et alibi : « Quantum ad ordinem et efficaciam respectu præmii... *habent* (*virtutes*) *æqualitatem* in eodem, propter hoc quod *quantitas meriti cujuslibet virtutis mensuratur... secundum quantitatem charitatis*, quæ dat operi cujuslibet virtutis valorem et pondus » (4).

Cum Angelico et Seraphico doctores veteris Scholæ unanimi consensu tenent præmium vitæ æternæ respondere

(1) *Ib.*, q. 3, concl.
(2) *Ib.*, q. 2, concl. ad 1
(3) *Breviloquium*, pars V, cap. IV, n. 6.
(4) *In III Sent.*, Dist. 36, a. 1, q. 5.

et commensurari charitati, non autem ceteris virtutibus in se consideratis. Quæ sententia, ut patet, cum fundamentali illorum doctrina de charitate radice et fonte meriti, velut corollarium et necessaria consequentia, connectitur. Proinde probatur iisdem argumentis quibus, in superiori capite, ratio meritoria charitatis demonstrata est ; et proponitur adversus eosdem Theologos quos ibi impugnavimus. Qui Theologi, ut Vazquez, Suarez, Ripalda, aliique, quum audierint Concilium Tridentinum tantopere inculcasse ac commendasse bonorum operum valorem salutarem, communem sententiam reliquerunt, novamque induxerunt, docentes bona opera, dummodo a justo vel saltem cum intentione supernaturali fiant, in se habere rationem meritoriam, et quidem proportionatam excellentiæ virtutis, magnitudini laboris, numero actuum virtuosorum et sic porro.

ARTICULUS II

Sententia S. Thomæ confirmatur et vindicatur.

Sententia Doctoris Angelici, quam amplectimur ut consectarium ex præcedentibus demonstratum, aliqua declaratione ac confirmatione indiget, ut pateat eam nulli principio theoretico vel ascetico repugnare. In hunc scopum opportune adducitur quæstio prorsus analoga tum *bonitatis moralis* tum *meriti* operum *externorum*.

Opera *externa*, prout ab internis distinguuntur, hic vocantur non tantum illi actus qui per externa corporis membra exercentur, sed etiam illi qui in interiori sensu vel appetitu vel intellectu, *extra voluntatem*, licet ex motione seu imperio voluntatis, fiunt : dare eleemosynam, audire missam, jejunium servare, sunt opera externa.

Porro hujusmodi opera simpliciter dicuntur et debent dici

bona ; et tamen juxta sententiam communem eorum bonitas moralis non residet *formaliter* in actu exteriori, quantumvis magno et laudabili, sed in actu interiori voluntatis ; actus exterior se habet tantum ut materiale elementum relate ad actum voluntatis (1). Est quidem una bonitas actus interioris et actus exterioris, sed actus voluntatis se habet ut formale ad actum exteriorem (2). Imo, per se actus exterior nihil bonitatis addit actui interiori ; per accidens quidem bonitatem auget, sed ipsum augmentum bonitatis iterum oritur ex voluntate, quatenus actus voluntatis melior fit ; quod, juxta Angelicum, contingere potest tripliciter : vel secundum numerum, si occasione operis externi actus voluntatis multiplicantur ; vel secundum extensionem, si magis perseveranter continuatur motus voluntatis ob aliquod impedimentum ; vel secundum intensionem, si actus externi nati sunt magis intendere voluntatem. Item circumstantiæ objecti externi possunt valorem actus augere vel mutare, sed eatenus tantum, quatenus voluntas ad eas terminatur (3).

In omni igitur opere externo moraliter bono radix et mensura bonitatis moralis tota in *voluntate* sita est. Quis diceret hoc repugnare valori morali operum externorum ? Omnes admittunt utilitatem, imo necessitatem actuum externorum, etsi tenent eorum bonitatem in solo actu interiori voluntatis reponi. Simili prorsus modo loquimur de merito bonorum operum, licet radix et mensura meriti in sola charitate consistat. *Per se* quidem opera ceterarum virtutum non augent meritum ; *per accidens* vero meritum augere possunt, *quatenus* occasione operum illorum *ipsa charitas perseverantius* vel *intensius* vel *sæpius* agit.

Præterea opera *externa* non tantum dicuntur et sunt bona,

(1) *Ia IIæ*, q. XVIII, a. 6.
(2) *Ib.*, q. XX, a. 3, *sed contra.*
(3) *Ib.*, a. 4.

sed etiam *meritoria* : quæ est altera analogia cum quæstione præsente.

Certum est, et omnes Theologi consentiunt, opus externum libere factum, simpliciter loquendo, esse meritorium. Scriptura enim non solis bonis volitionibus, sed etiam bonis operibus et laboribus, etiam corporalibus, præmium promittit (1). Et ratio est, quia actus externus, voluntarie factus, est simpliciter bonus et cedit in obsequium et gloriam Dei ; ergo, ceteris positis conditionibus, capax est meriti etiam apud Deum, quemadmodum actus malus externus est vere peccatum et supplicio dignus.

Quo supposito, quæri potest an actus externus habeat proprium meritum distinctum a merito voluntatis, ita ut utrique actui simul sumpto majus præmium respondeat, quam nudo actui voluntatis.

Id docet Scotus. Et ratio affirmandi videtur quod, licet actu externo non augeatur libertas, crescit tamen bonitas, saltem extensive, et difficultas operis, atque etiam utilitas in ordine ad obsequium et gloriam Dei : ergo habetur meritum superadditum merito actus interioris voluntatis. Eo vel magis quod majus auxilium gratiæ requiritur ad volendum et exsequendum opus pietatis quam ad volendum tantum. Insuper, si illud negatur, sequuntur multa inconvenientia : martyrium reipsa toleratum non esset majoris meriti quam voluntate desideratum ; qui toto conatu, quantum potest, cupit infinite amare Deum, tantumdem mereretur ac si reipsa infinite amaret ; similiter qui vult innumeros homines a peccatis convertere vel immensas divitias pauperibus erogare, idem meritum haberet ac si reapse et exterius illa opera fecisset ; et sic porro.

Nihilominus contraria sententia, ait Suarez (2), « communis » est theologorum cum S. Thoma, et est « sine dubio

(1) Cf. *I Cor. XV,* 58 ; *II Cor.* IV, 17 ; V, 10 ; *Matth.* X, 32, 38-42 ; etc.

(2) Cf. *De Gratia,* L. XII, c. VI, ubi optime totam hanc quæstionem tractat.

vera sententia ». « Quæ imprimis intelligenda est, pergit Doctor Eximius, supposita æqualitate in actibus voluntatis. Nam, si conjunctione ad actum exteriorem actus ipse interior crescat vel in fervore et intensione vel in majori continuatione aut similibus circumstantiis, tunc quidem majus meritum erit in exsequente opus quam in volente tantum ; tunc autem augmentum meriti non est propter externum actum, sed propter id quod additur interno. Comparatio igitur facienda est, ceteris existentibus paribus, in interno actu voluntatis, et sic dicimus solum actum externum non addere aliquod meritum. Atqui hinc infertur regula, quotiescumque opus externum bonum est in hominis potestate, non posse esse æquale meritum in sola voluntate non exsequente opus, et in exsequente illud. Ratio est, quia tunc non est æqualis voluntas in utroque, nam in uno est efficax, et non in alio. Quia de ratione voluntatis est, ut id exsequatur quod vult, si ipsa est efficax et exsecutio est in ejus potestate ; unde, e contrario, si actus est in potestate volentis, et nihilominus non facit, signum evidens est non efficaciter velle, quod simplex affectus dicitur, vel conditionata voluntas, vel potius velleitas... Sic ergo comparando duos habentes potestatem exterius benefaciendi, et voluntatem, quorum unus exterius operetur, et non alter, sine dubio, per se loquendo, et ex parte actus, magis meretur exterius operans quam interius tantum desiderans ; excessus autem non est in solo externo actu, sed in meliori interno ». Itaque ab interiori actu externus meritorius denominatur : sicut ex actu externo et interno unus actus moralis componitur, cujus tota forma in esse moris est actus internus, ita ex utroque actu componitur unus actus meritorius, cujus tota forma in esse meriti est interna. « Hic ergo, concludit, est legitimus sensus secundæ sententiæ D. Thomæ et communis, quam verissimam judicavimus ».

Non opus est hic afferre argumenta, tum ex S. Scriptura, tum ex SS. Patribus, tum ex ratione theologica, quibus illa doctrina nititur et quæ Suarez clare proponit. Nostri tantum refert ostendere omnimodam analogiam inter illam quæstionem et sententiam S. Thomæ de qua impræsentiarum agitur.

Videlicet, sicut actus externi libere facti dicuntur et sunt simpliciter meritorii, ita opera virtutum aliarum a charitate sunt et dicuntur simpliciter meritoria. Et sicut priorum illorum meritum residet penes solam voluntatem et tantum secundum eam mensuratur, similiter meritum aliarum virtutum radicem in sola charitate habet et secundum eam mensuratur. In opere nempe meritorio cujusvis virtutis requiritur, uti probatum est, præter actum virtutis elicientis, aliqua motio seu ordinatio charitatis, in qua quidem radix meriti ponenda est.

Unde Angelicus infert præmium essentiale, quod est proprie objectum meriti, charitati respondere, et diversitatem in merendo totam reverti ad diversitatem charitatis. Eodem modo bonitas moralis et meritum operis externi tota respondet voluntati, et mensuratur secundum bonitatem voluntatis. Attamen sicut opera externa, nedum inutilia sint, valde conferunt ad vitam moralem et ad meritum, imo actuum internorum bonitatem et meritum multiplicant et extendunt ; ita opera bona aliarum præter charitatem virtutum per accidens multum afferunt meritum, non tantum ad præmium accidentale quod tribuitur operibus illis in se consideratis, sed etiam ad præmium essentiale. Solent enim in justis esse signum et argumentum charitatis ex qua oriuntur ; et quo vivacior est charitas, ad opera eo majora et perfectiora virtutum se extendit.

An ita aliquid derogatur valori horum operum ? Nullatenus. Opus meritorium, ab aliqua virtute sub influxu charitatis effectum, qua meritorium *unus actus* est, sicut Angelicus

docet generatim de quovis actu alicujus potentiæ imperato ab alia (1) : charitas ordinans est meritorii causa formalis, virtus vero eliciens quasi elementum materiale, eodem modo ac in actu externo libero voluntas est forma et opus externum quasi materia.

Ad eandem doctrinam explanandam, præterea conferre juvat sententiam Suarezii de actibus virtutum *acquisitarum*. Doctori Eximio enim occurrit, mutatis mutandis, ipsa difficultas quæ opponitur S. Thomæ.

Sicut hic tenet nullum opus *cujusvis* virtutis esse meritorium nisi quatenus refertur ad *charitatem*, ita Suarez autumat nullum actum alicujus virtutis *acquisitæ* meritorium esse nisi quatenus refertur ad *virtutem infusam*. Unde, posito actu meritorio alicujus virtutis acquisitæ, quæstio oritur cuinam virtuti meritum respondeat, utrum virtuti infusæ tantum, an etiam bonitati virtutis acquisitæ. En, servatis servandis, quæstio nostra. Quomodo eam solvit Doctor Eximius ? (2).

Censet « posse non improbabiliter sustineri illam bonitatem (virtutis acquisitæ) non augere meritum essentialis beatitudinis, sed ad summum propter illam tribui aliquod præmium accidentale. » Affert autem sequentia argumenta :

1° Actus virtutis acquisitæ non habet bonitatem intrinsece proportionatam ad meritum ; per imperium autem vel ordinationem ad supernaturalem finem illa bonitas in se non fit melior, sed solum illi additur alia bonitas ex fine supernaturali, proportionata ad meritum ; ergo ratione tantum hujus bonitatis poterit prædictus actus meritorius esse, non vero habebit proprium meritum ratione intrinsecæ bonitatis.

2° Actus virtutis acquisitæ moraliter bonus, in se consideratus, indifferens est respectu meriti ; nam si fit absque intentione supernaturali, non est meritorius. Ergo quando fit

(1) *Iª IIæ*, q. XVII, a. 4.
(2) *De Gratia*, L. XII, c. XI, n. 20-22.

meritorius ratione intentionis supernaturalis, totum meritum est ab hac intentione superaddita, et non a propria actus bonitate. Eodem modo, si actus secundum speciem indifferens ad bonum, fit bonus in individuo ex fine operantis, tota bonitas actus oritur ex fine, non ex objecto vel specie.

3° Si actui virtutis acquisitæ, cum intentione supernaturali posito, responderet aliquod meritum ratione propriæ suæ bonitatis, sequeretur eum sine illa intentione aliquid meriti in se retinere, ita ut posset esse meritorius absque ulla supernaturali relatione : quod sustineri non potest.

Quæ argumenta, mutatis mutandis, valent in favorem sententiæ Angelici. Loco actus virtutis acquisitæ ponas actum virtutis etiam infusæ, loco relationis ad quemvis finem supernaturalem dicas relationem ad charitatem, et habebis rationes confirmativas doctrinæ S. Thomæ.

Nihilominus Suarezio videtur « probabilius » bonitatem actus virtutis acquisitæ aliquid conferre ad meritum beatitudinis essentialis, « non tantum per modum objecti, sed etiam per modum actus constituentis aliqua ex parte illud meritum » ; quia illa bonitas, quamvis nude spectata non placeat Deo in ordine supernaturali, tamen « aptitudinem habet quasi obedientialem, ut conjuncta moraliter relationi supernaturali, componat unum actum moralem consentaneum fini supernaturali. »

Respondetur objectionibus.

1° Ratio formalis augendi meriti essentialis non est sola charitas, sed bonitas moralis cujuscumque virtutis.

Etenim id formaliter auget meritum nostrorum actuum quod auget eorum valorem. Atqui valorem auget non tantum major charitas, sed etiam quælibet major bonitas moralis. Ergo non tantum major charitas, sed quæcumque major bonitas moralis actus est ratio formalis augendi meriti.

R. Id *formaliter* auget meritum actuum, quod auget eorum valorem : *dist. majorem :* quod auget valorem qui sit ejusdem ordinis et ejusdem rationis cum præmio, *conc. ;* quod auget valorem inferioris ordinis et rationis, *neg.* Et *contradistinguenda est minor :* intellecta de valore ad præmium essentiale, neganda est ; intellecta de valore inferioris ordinis proportionato ad præmium accidentale, concedi potest. — Sola enim charitas, per quam operatur gratia sanctificans, actibus tribuere potest valorem *condignum* præmio *essentialis* beatitudinis, uti supra probatum est : unde sola est ratio formalis meriti et augmenti meriti respectu præmii essentialis.

2° At si hoc verum esset, frustra adhiberentur actus ceterarum virtutum, cum sufficeret curare de minimo actu charitatis, potius quam de egregiis aliarum virtutibus operibus exercendis.

R. negando assertum.

Vidimus quomodo, ad mentem S. Thomæ, opera aliarum virtutum imperata a charitate sese habeant ad meritum. Ostendimus illa non esse parvipendenda etiam respectu præmii *essentialis,* quum charitas soleat eo perfectior esse quo perfectiora sunt opera quæ inspirat et producit. Præterea merentur præmium *accidentale ;* imo cum S. Bonaventura dici potest, ea mereri *de congruo et dispositive* majorem charitatem et gloriam.

« Fatemur tamen, cum Salmanticensibus, quod si actus aliarum virtutum præcise sumantur secundum propriam bonitatem moralem, quam habent ex genere aut ex aliis circumstantiis, præscindendo ab informatione et modo charitatis, non conducunt proxime et formaliter ad meritum beatitudinis ; plurisque esset faciendus minimus actus charitatis, quam prædicti actus sic sumpti » (1). Et hæc est doctrina expressa

(1) *Cursus Theologicus.* Tract. XVI *De merito,* Disp. IV, dub. III, n. 54.

S. Francisci Salesii et optimorum auctorum asceticorum (1).

Objectio autem nititur falso supposito, quasi ratio unica exercendi virtutes esset acquirere meritum. Atvero exerceri debent præcipue ut ordo moralis servetur. Qui ordo essentialiter continet varias obligationes per varias virtutes implendas : Deus colendus est religione ; pietate parentibus reddenda sunt debita ; fortitudine sunt superanda tentationes et impedimenta salutis, etc. Profecto meritum colligi potest exercendis illis virtutibus, sed ratio ultima eas exercendi est, quia id requirit ipsa constitutio ordinis moralis. Unde absurde quis diceret : cum meriti radix sit charitas, cetera negligere possum, dummodo charitatem colam. Spectato ordine morali, charitas, quæ est hujus ordinis vita et finis, natura sua impellit et movet ut omnes virtutes exerceantur, non tantum implendo præcepta, sed modo perfectissimo. Ergo charitatem non colit et proinde non meretur, qui ceteras virtutes, quando potest, non exercet. Et qui egregia opera virtutum non facit, cum potest, eo ipso minorem charitatem prodit quam qui illa adimplet. De ratione enim charitatis est ut sit efficax, omniaque exsequatur quæ ad obsequium et gloriam Dei conferre pos-

(1) « On peut souffrir la mort et le feu pour Dieu sans avoir la charité... a plus forte raison, on la peut souffrir avec une petite charité : or je dis, Théotime, qu'il se peut bien faire qu'une fort petite vertu ait plus de valeur en une ame ou l'amour sacré regne ardemment, que le martyre mesme en une ame ou l'amour est alangouri, faible et lent. » Ita S. Franciscus Salesius (*Traitté de l'amour de Dieu*, L. XI, ch. V.) — « Quidquid ex charitate agitur, ait Thomas a Kempis, quantumcumque etiam parvum sit et despectum, totum efficitur fructuosum. Magis siquidem Deus pensat ex quanto quis agit, quam opus quod facit » (*De imitatione Christi* L. I, c. XV, de operibus ex charitate factis). — « La moindre action, ita Scupoli, quelque basse qu'elle soit, étant faite simplement pour Dieu, vaut mieux de beaucoup que plusieurs autres, quoique fort bonnes et d'un grand mérite, qui se font dans une autre vue. C'est par ce principe qu'une aumône peu considérable donnée à un pauvre pour la seule gloire de sa majesté divine, lui est, sans comparaison, plus agréable que si pour quelque autre fin on abandonnait de grands biens, quand même on serait porté à s'en défaire par l'espérance des biens de ciel, quoique, après tout, ce motif soit louable et mérite qu'on le propose » (*Le combat spirituel*, ch. X).

sint (1). Ne igitur separentur quæ nativa vi conjuncta sunt, et ne dicatur in hac sententia minimum charitatis actum sufficere, cetera autem esse superflua.

3° Attamen ex sententia Angelici sequuntur alia inconvenientia. Nam si diversitas merendi mensuratur secundum mensuram charitatis, sequitur hominem qui opus in se valde bonum facit ex eadem charitate, qua alter facit minus bonum, idem meritum habere ; — sequitur parvum opus ex magna charitate factum plus meriti obtinere quam magnum opus ex parva charitate ; — sequitur, ut D^r Ernst (2) præsertim objicit, omnia bona opera, quæ inter duos actus charitatis ponuntur, habere valorem meritorium prorsus æqualem, quum ex eadem charitate procedant.

R. Ultro concedimus has sequelas flui ex principiis ; sed quomodo sint inconvenientes, equidem non videmus.

S. Thomas, S. Bonaventura, S. Franciscus Salesius et optimi scriptores ascetici explicite docent parvum opus ex magna charitate factum magis meritorium esse quam magnum ex parva. S. Thomas, S. Bonaventura multique alii tenent virtutes ceteras per se habere æqualitatem respectu præmii essentialis, earumque opera recipere a charitate valorem et pondus quoad quantitatem meriti.

Hæc autem intelligantur de merito stricto ; nam quoad meritum *de congruo*, et quoad mercedem *accidentalem*, illa consectaria non applicantur. Ceterum, rursus advertatur rem

(1) De charitate dicendum est quod S. Bonaventura dicit de bona voluntate : « Quod bona voluntas non pendet ex opere, dicendum quod verum est : attamen cum adest facultas plena, voluntas necessario ponit bonum opus ; ita quod si bonum opus non ponitur, aut numquam voluntas fuit plena, aut desinit esse plenâ. Quod ergo sine operibus non sufficiat, hoc non est, quia plenitudo bonæ voluntatis ex operibus pendeat, sed quia bona voluntas, si plena est, necessario in bona opera redundat, offerente se facultate et opportunitate. » (*In II Sent.* Dist. 40, a. 1, q. 3, concl., ad 5).

(2) *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, p. 216 ss. Hæc est, juxta ipsum, maxima difficultas contra doctrinam D. Thomæ, quem ideo non sequitur.

considerandam esse non theoretico, sed practico modo. Porro qui magna flagrat charitate, majora et plura et perfectiora opera bona faciet, si potest, quam qui parvam habet : nam, ut ait S. Gregorius, « probatio charitatis, exhibitio operis », et « magna operatur, si est ».

4° Sed tandem, quomodo in hac sententia explicatur doctrina S. Scripturæ, SS. Patrum et Concilii Tridentini, secundum quam opera cujuslibet virtutis commendantur ut meritoria vitæ æternæ, quæ justis retribuetur *secundum mensuram bonorum operum ?*

R. Hæc doctrina nullatenus repugnat sententiæ propositæ. Etenim, uti probatum est, intelligenda sunt opera bona posita sub certis conditionibus, puta cum auxilio gratiæ et cum dependentia a charitate : talibus operibus promittitur retributio æterna secundum mensuram bonitatis eorum. Nullibi autem docetur præmiandam operis bonitatem esse bonitatem moralem distinctam a bonitate quam opus recipit ab informante charitate. Quæstio cuinam virtuti, utrum elicienti, an ordinanti et moventi, meritum formaliter respondeat, theologica est, quæ non est directe solvenda ex S. Scriptura vel Traditione. *Non directe*, inquam : nam si varia elementa ex illis fontibus hausta componuntur, sententia scholasticorum logice inde deducitur, nedum ipsis contradicat.

Scolion. — Quodsi charitas sit causa formalis, radix et mensura meriti in omnibus operibus virtuosis, videtur dicendum meritum majus vel minus esse, non tantum pro majore vel minore charitate ex qua opus bonum oritur, sed etiam *pro majore vel minore necessitudine* quam *cum charitate* habet. « Observandum, inquit Billuart (1), quod cum meritum admittat latitudinem, sit majus vel minus meritum, secundum quod charitas plus vel minus, proximius vel remotius influit in opus. »

(1) *Tract. de gratia*, Diss. VIII, art. IV.

Re quidem vera, actus meritorii sub hoc respectu dividi possunt in tres classes : alii sunt actus proprii ipsius virtutis charitatis, quia ab ea eliciuntur ; alii sunt actus eliciti a ceteris virtutibus sub imperio vel influxu charitatis ; hoc autem, ut in sequenti articulo probabitur, dupliciter cõntingere potest : vel quatenus charitas stricte loquendo movet aliam virtutem ad actum determinatum, ita ut sine hac motione actus virtuosus non produceretur, qui actus erit stricte *imperatus* a charitate ; vel quatenus charitas generali quadam ordinatione refert omnes actus virtuosos ad finem ultimum, quin eorum existentiam causet, qui actus erunt actus *ordinati* a charitate. Patet tertiam hanc classem minus pertinere ad charitatem quam secundam, et secundam minus quam primam. Unde possumus concludere, ceteris paribus, actus elicitos charitatis magis meritorios esse quam imperatos, et stricte imperatos magis meritorios quam tantum ordinatos.

Hæc conclusio omnino concordat cum doctrina expressa S. Francisci Salesii. « Non seulement les fruitz de la charité, ita scribit, et les fleurs des œuvres, qu'elle ordonne, mais les feuilles mesmes des vertus morales et naturelles tirent une speciale prosperité de l'amour du cœur qui les produit » (1). Et iterum : « Theotime, il n'y a que les *enfans*, c'est a dire les actes, de la tressainte charité qui soient *heritiers de Dieu, coheritiers de Jesus Christ*, et les enfans ou actes que les autres vertus conçoivent ou enfantent sur ses genoux, par son commandement, ou au moins sous les aisles et la faveur de sa presence » (2). Eadem triplex actuum distinctio cum respectivo eorum valore adhuc melius exprimitur in sequenti loco : « Ainsy donques, Theotime, les actions vertueuses des enfans de Dieu appartiennent toutes a la sacree dilection, les unes, parce qu'elle mesme les produit de sa propre nature ; les

(1) *Traitté de l'amour de Dieu*, L. XI, ch. II. *Œuvres*, t. V, p. 240.
(2) *Ib.*, ch. XI, p. 276.

autres, d'autant qu'elle les sanctifie par sa vitale presence ; et les autres en fin, par l'autorité et le commandement dont elle use sur les autres vertus, desquelles elle les fait naistre : et celles-ci, comme elles ne sont pas, a la verité, si eminentes en dignité que les actions proprement et immediatement issues de la dilection, aussi excellent-elles incomparablement au dessus des actions qui ont toute leur sainteté de la seule presence et societé de la charité » (1).

ARTICULUS III

Examinatur doctrina Salmanticentium.

Memoranda hic venit doctrina singularis quam Salmanticenses Doctores proponunt (2). Cum S. Thoma docent rationem formalem meriti essentialis sitam esse, non in ceteris virtutibus præcisive sumptis, sed in charitate ; meritum ex sola charitate provenire et secundum ipsam mensurari. At simul tenent in actibus aliarum virtutum esse meritum a merito charitatis imperantis distinctum ipsique superadditum, imo meritum augeri secundum bonitatem intrinsecam illorum actuum, etiamsi bonitas charitatis imperantis non augeatur. Quomodo hæc, quæ videntur incompossibilia, explicant ?

Recolatur eorum theoria, supra exposita (3), de modo quo virtutes informentur charitate. Virtutes et earum actus, aiunt, formantur per aliquid intrinsecum ex charitate derivatum. Hoc intrinsecum, quod *charitatem virtualem* appellant, virtutes

(1) *Ib.*, ch. IV, p. 246 s. — Pro tertia classe S. Doctor supponit generalem aliquam ordinationem charitatis, ut infra dicemus ; quod patet in ipso contextu præsentis loci ubi scribit : « que si en fin quelques vertus font leurs operations sans son commandement, *pourveu qu'elles servent a son intention, qui est l'honneur de Dieu*, il ne laisse pas de les advoüer siennes. »

(2) *Cursus theologicus.* Tract. XVI *De merito*, Disp. IV. dub. II et III, n. 22-57.

(3) Cf. p. 46 ss.

habitualiter et permanenter afficit, per modum qualitatis incompletæ de linea charitatis imperantis. Unde virtus quævis a charitate formata, actum suum eliciendo, non solum attingit objectum sub formalitate sibi propria, sed, vi intrinseca a charitate participata, attingit illud sub formalitate ipsi charitati propria.

Quam theoriam ad præsentem quæstionem de merito solvendam adhibent. Sit, v. g., actus charitatis juxta valorem proprium *ut duo ;* ex hoc actu imperatur actus humilitatis, cujus intrinsecus valor sit etiam *ut duo.* An meritum actus humilitatis charitate imperatus erit tantum *ut duo,* vel majus aliquod, non insistendo in computatione arithmetica ? Salmanticenses tenent esse majus quam *duo.* Ratio est, quia actus charitatis habet suum meritum, et actus humilitatis etiam suum a priore distinctum : hæc enim agit non tantum qua humilitas, sed etiam in virtute qualitatis intrinsecæ a charitate participata et bonitati suæ proportionata ; unde et ipsa meritum acquirit, quamvis non vi propria.

Eadem ratione deducunt meritum crescere secundum bonitatem virtutis elicientis, etiamsi charitas eadem maneat. Sit charitas *ut duo ;* ex hac eadem ponatur actus humilitatis primo *ut duo,* deinde *ut quatuor.* An hoc altero perfectiore humilitatis actu habebitur majus meritum quam priore ? S. Thomas, data hypothesi prout sonat, id negat ; Salmanticenses affirmant. Nam, dicunt, « etsi in illo casu actus charitatis non varietur, variatur tamen modus et participatio ejus, quæ est in actu humilitatis ; nam sicut actus iste prius erat intensus *ut duo,* et postea intenditur usque *ad quatuor,* sic etiam prædictus modus, etiamsi prius remissus esset seu intensus solum *ut duo,* augetur postea intensive, non utcumque, sed physice et formaliter, usque *ad quatuor :* datur enim hujusmodi modus accommodate ad actum, pro quo exhibetur et in quo est ; et ita pro actu minus intenso datur minus

intensus modus, et pro intensiori intensior. Et si petas, a quonam effective proveniat intensio istius modi, respondetur proxime et elicitive provenire ab eodem habitu seu principio, a quo elicitur actus humilitatis, quatenus prædictus habitus agit intensius in virtute charitatis, et per alium modum charitatis habitualem, qui in ipso est ; atque adeo provenire ab ipso habitu et actu charitatis mediate et imperative. Quod si aliquando actus humilitatis et modus charitatis, qui in ipso est, intensiores sint quam habitus, sicut auxilium supplet defectum humilitatis in ordine ad intensionem actus ita etiam datur auxilium supplens defectum charitatis in ordine ad modum » (1).

Hæc sane ingeniose sunt excogitata ad declarandum valorem meritorium omnium bonorum operum ; simul salvatur principium juxta quod ratio formalis meriti penes solam charitatem residet : nam quod ceteræ virtutes mereantur, et proportionate ad propriam bonitatem mereantur, hoc habent a charitate.

Quorum tamen doctrinam admittere non possumus. Appellant quidem ad auctoritatem Angelici, sed immerito, ut ex superioribus sufficienter liquet.

Examinantes quomodo charitas sit forma virtutum bonorumque operum, ex professo principia quibus sententia illorum innititur consideravimus atque ostendimus quare rejicienda videantur. Cum fundamentum firmum non sit, eo ipso hæc eorum theoria de merito corruit.

Præterea notandum est, diversitatem illam in modis a charitate participatis, ipsa charitate eadem manente, gratis omnino asseri. Nec tantummodo gratis asseritur, sed repugnare videtur. Etenim incrementum modi charitativi esset effectus sine causa ; certe explicari non potest incremento humilitatis, cum sit modus a charitate participatus ; ex hypo-

(1) *Ib.*, n. 41.

thesi autem charitas non crescit nec de novo operatur, sed manet quod est. Ideoque coguntur auctores recurrere ad aliquod speciale auxilium quod suppleat defectum charitatis in ordine ad modum augendum. Sed quid hoc sit et quomodo cum eorum principiis componatur, revera non perspicimus.

Adducunt quidem analogiam animæ humanæ, formæ substantialis corporis, quæ, licet a principio suæ creationis sufficientem habeat virtutem ad informandum corpus virile et omnes illius partes vivificandas, non tamen a principio totum hunc effectum parvo corpusculo tribuit, quia augmentum corporis est ad hoc conditio necessaria ; ita, dicunt, etsi modus charitatis habeat a principio et in actu humilitatis minus perfecto totam illam dignitatem quam tribuet perfectiori, tamen eam totaliter non communicat, quia augmentum bonitatis moralis et perfectionis actus requiritur ut necessaria conditio (1).

Verum comparatio non valet. Nam anima a principio essentialiter est tam perfecta ac in fine, quamvis in effectibus crescat ; sed habitus charitatis continuo cum actibus suis augetur in sua essentia. Non autem intelligitur modum participatum qui provenit ex charitate esse perfectiorem ipsa charitate.

Et si replicatur modum participatum posse esse perfectiorem, non quidem habitu, sed actu charitatis, respondetur nec actu posse esse perfectiorem, quia ille modus, data ejus possibilitate, in virtutem aliam influi nequit nisi actu charitatis, quem proin excedere non valet.

Itaque, prætermissis aliis considerationibus, dicendum est theoriam a Salmanticensibus inductam sustineri non posse. Nihil igitur impedit quin doctrinæ Principis Scholæ simpliciter subscribamus ; eo vel magis quod principiis probatis auctorum asceticorum confirmata inveniatur.

(1) *Ib.*, n. 46.

CAPUT III

QUALIS RELATIO OPERUM MERITORIORUM IN DEUM REQUIRATUR.

SUMMARIUM. — I. *Status quæstionis exponitur : relatio intelligi potest vel* actualis *vel* virtualis *vel* habitualis *seu virtualis lato sensu.*

II. Actualis *intentio optima est et maxime meritoria ; de consilio est, sed non de præcepto ; imo omnia opera singillatim et distributive sumpta in Deum actu referre non est possibile in hac vita, sed pertinet ad perfectionem patriæ.*

III. *Inter eos qui tenent relationem* virtualem in sensu strictiore *necessariam esse ad meritum, alii statuunt eam non esse de præcepto, et tunc multa bona opera justorum habentur sine merito de condigno ; alii dicunt eam esse de præcepto, et tunc fidelibus in communi onus imponitur importabile : quod utrumque inconveniens vitari debet.*

IV. *Ad meritum sufficit relatio* virtualis *operum in Deum* in sensu latiore *intellecta, id est, talis quæ procedit a charitate, non quidem ut principio causante actum simpliciter, sed ut ejusdem principio saltem ordinante. Quod quidem verificatur, si justus actum charitatis exercet saltem quoties præceptis virtutis charitatis obligatur. Unde emendanda est sententia extrema plurium doctorum, quatenus adstruunt unicum actum charitatis sufficere ad ordinanda omnia opera bona sequentia, quamdiu positive non retractetur. — De mente Doctoris Angelici.*

V. *Difficultates quædam solvuntur.*

ARTICULUS I

Status quæstionis.

Bona opera, ut sint meritoria vitæ æternæ, in Deum finem ultimum ordinanda esse *per virtutem charitatis*, in superioribus articulis demonstratum censemus. Unde quæ hic ponitur quæstio, multum restringitur. Duas enim sen-

tentias supra expositas et accurate discussas jam relinquimus, utpote sine solido fundamento exstructas.

Prior tenet opera quæcumque bona, etiam sola naturali honestate, dummodo fiant a justo, esse meritoria de condigno, *absque aliqua relatione sive charitatis sive virtutis infusæ*. Nullus influxus charitatis, nulla intentio supernaturalis requiritur ; dummodo homo sit in statu gratiæ Deoque gratus, omnes actus sui boni valent ad vitam æternam ; non oportet charitatis actus, imo alius actus virtutis supernaturalis comitetur vel præcesserit, quo opus ad Deum finem supernaturalem referatur.

Juxta alteram sententiam, requiritur supernaturalis aliqua intentio, supernaturale motivum, supernaturalis finis in agendo, sed non requiritur ut hæc intentio, hoc motivum, hic finis inspiretur virtute charitatis ; hauriri etiam potest per fidem ex quibusvis considerationibus ad virtutes infusas pertinentibus. Necesse est ad meritum ut opera moraliter bona supernaturaliter, et actu quidem, ordinentur, at non ut hæc relatio fiat per virtutem charitatis.

Quam utramque opinionem, posterioribus sæculis in Theologia introductam, rejiciendam esse supra probavimus. Non diffitemur graves Theologos illis sententiis, alteri præsertim, nomen suum dedisse, easque sua auctoritate probabilitate aliqua extrinseca communivisse ; quo quidem explicatur favor earum apud plures moderni temporis auctores, at ideo non constituitur scientificum fundamentum nec intrinseca probabilitas efficitur.

Cum Doctore Angelico atque vetere Schola universa, ut certum habendum est ordinationem bonarum actionum in Deum necessariam esse ut sint meritoriæ vitæ æternæ, et ad solam charitatem, qua Deo ultimo fini supernaturali adhæremus, hujusmodi ordinationem spectare. Quo sensu charitas dicitur « forma virtutum » et « radix meriti ».

Quo principio posito, explicandum jam est *quali modo* illa operum nostrorum ordinatio per charitatem intelligenda sit.

Quæstionem hanc difficultate non carere, vel ex eo patet quod magni etiam nominis Theologi in ea solvenda multum inter se dissentiant. Discrepant re ipsa, discrepant et modo loquendi : terminologia nempe ab auctoribus adhibita non satis definita et fixa est, ut eadem verba unum et certum sensum apud omnes contineant ; quando loquuntur, v. g., de relatione *virtuali* vel de relatione *habituali*, alii eadem voce aliud quandoque exprimere intendunt, vel vicissim idem sub diversa denominatione intelligunt. Ita, S. Thomas, uti videbimus, indifferenter dicit relationem *virtualem* et *habitualem*, ad unam eamdemque ideam significandam. S. Bonaventura loquitur tantum de relatione *habituali*, sed in sensu ordinario relationis *virtualis*. « Habitualem autem relationem voco, dicit, non quia habeat charitatem, per quam sit habilis ad referendum, sed quia in primordio operationis illius, vel alterius, ad quam illa consequenter se habet, intentionem habet ad Deum directam » (1). Postea tamen terminologia minus fluens apparet, sed multum abest quin accurate sit determinata.

Generatim distinguitur relatio *actualis*, relatio *virtualis* et relatio *habitualis*.

Actualis dicitur, cum charitas *explicite et actualiter* bonum opus ordinat ad finem suum, seu cum intentio operandi propter Deum hic et nunc bono operi conjungitur.

Virtualis, quando bonum opus ad finem charitatis ordinatur, non quidem actu et formaliter, — quum homo nullatenus de Deo vel de charitate supponatur hic et nunc cogitare, — sed *virtute ordinationis prius factæ*, quæ virtus in actibus sequentibus permanet ; ut si quis aggreditur iter cum intentione eundi Romam, longam viam percurret multaque aget in vir-

(1) *In II Sent.*, Dist. XLI, a. 1, q. 3.

tute prioris illius intentionis, etiamsi illam actu præ mente non habeat.

Habitualis proprie dicta consistit in sola existentia *habitus* charitatis in justo bonum actum operante, absque ullo influxu sive actuali sive virtuali in actum ; ut si justus in somno preces recitaret, vel sui compos venialiter peccaret (1), ista dici possent habitualiter in Deum referri, propter concomitantiam habitus charitatis. De habituali relatione, hoc sensu intellecta, quæstio jam non movenda est. Satis superque constat ex argumentis contra Vazquez supra allatis, hujusmodi relationem non sufficere ut opera in Deum referantur et sint meritoria.

Quidam autem doctores de relatione habituali loquuntur in sensu prorsus diverso, quatenus dicunt sufficere et requiri quod antea elicitus fuerit actus charitatis quo homo se suaque omnia in Deum finem suum retulerit, quin illius memoria postea actu permaneat vel vis ex illo relicta ad operandum moveat. Dummodo præcedens actus ille retractatus non sit, censent ordinationem hujusmodi universalem moraliter semper perdurare.

Re vera hæc sententia ponenda est sub virtuali relatione : nam admittunt relationem generalem bonorum operum fieri virtute prioris actus charitatis, quamvis discrepantia sit in virtute illa explicanda et intelligenda. Et de facto plures Thomistæ, ut Cajetanus, Capreolus, Salmanticenses, Gonet, qui illam relationem universalem sufficere defendunt, eam considerant ut veram relationem *virtualem*. Suarez eam vocat relationem *objectivam*, ad æquivocationem vitandam, quia major est, ait, quam relatio habitualis et minor quam actualis et virtualis (2). Juxta usum communiorem eam denominare possumus *virtualem* lato quidem sensu.

(1) Cf. S. THOMAS. *In II Sent.*, Dist. 38, q. 1, a. 1, ad 4.
(2) *De gratia*, L. XII, c. IX, n. 1.

Itaque inter auctores qui *virtualem* relationem propugnant, duplex primo aspectu manifestatur tendentia diversa.

Alii, strictiore sensu rem intelligentes, volunt non esse relationem virtualem, nisi actus charitatis veram motionem exerceat in actum bonum, non quidem per se — tunc esset relatio actualis — sed mediante alio actu vel serie actuum in quo virtus ejus aliquomodo permaneat ; aliis verbis, nisi ipsa operis boni *existentia* a præcedente charitatis actu dependeat et profluat. Qui strictior sensus occurrit apud Scotum, S. Bonaventuram, B. Bellarminum, Sporer ; dein apud plures Theologos sæculi XVIII, inter quos nominare sufficit Daelman et Collet, qui practicas applicationes inde deduxerunt severiores.

Alii vero, autumantes vim ordinationis universalis semel factæ moraliter perseverare quamdiu non retractetur, tenent omnia opera bona justi, post actum hujusmodi patrata, virtualiter in finem ultimum referri. Inter eos autem, alii sine ulla restrictione hoc applicant bonis omnibus actibus totius vitæ, dum alii limitant ad certum temporis spatium vel ad certam actuum seriem.

Facile perspicitur præcipue nobis inquirendum esse de virtuali relatione, quum ab una parte habitualis proprie dicta non sit sufficiens, et ab altera actualis non sit necessaria.

ARTICULUS II

De relatione actuali.

Actualis intentio optima est et maxime meritoria ; de consilio est, at non de præcepto ; imo, omnia opera nostra singillatim et distributive sumpta in Deum actu referre, non est possibile in hac vita, sed pertinet ad perfectionem patriæ.

De qua propositione inter auctores vera dissensio non est.

Nullus affirmare audet actualem ordinationem charitatis requiri ad meritum, et non sufficere saltem virtualem. Re vera fuerunt inter veteres scholasticos qui minus asseveranter vel obscurius quandoque locuti sunt.

S. Bonaventura (1), agens de opinione quorumdam, qui dicunt ad satisfactionem sufficere intentionem « habitualem », ad meritum autem vitæ æternæ « necesse esse concurrere actualem intentionem, quia nullum opus est meritorium, nisi fiat a charitate actualiter movente », exprimit quoddam dubium : « *Probabilius* tamen, ait, est dicere, sicut dictum est, quod ad utrumque sufficiat relatio habitualis », i. e. virtualis, ut patet ex explicatione quam subjungit. Sed supra absque dubitatione scripsit : « Ad hoc quod aliqua actio sit meritoria non oportet quod semper quis eam referat actualiter in Deum, sed sufficit (relatio) habitualis » ; et tota sua quæstionis expositio hanc certitudinem confirmat.

Scotus (2) tenet relationem habitualem, in sensu stricto et proprio vocis, prorsus non sufficere ad meritum, virtualem autem *satis probabiliter sufficere :* « Certum est, inquit, quod primus actus (scil. actualiter relatus) est meritorius, et satis probabile est de secundo (scil. virtualiter relato). » Atvero commentatores notant hanc *certo* esse mentem Doctoris Subtilis, ut deduci potest ex iis quæ alibi habet (3).

Tandem, opinio de necessitate intentionis actualis quandoque adscribitur *Durando* et *Gabrieli*, sed non cum majore fundamento, ut bene ostendit Suarez (4). « Hæc sententia, ait, solet tribui Durando, in 2, d. 40, quæst. 2, quia dicit ad meritum non sufficere quod actus possit ordinari in finem charitatis, sed quod de facto ordinetur. Sed hoc sufficienter

(1) *In II Sent.*, Dist. 41, a. 1, q. 3, concl.
(2) *In II Sent.*, Dist. 41, q. un.
(3) Cf. *In I Sent.*, Dist. 17 ; *In III Sent.*, Dist. 18.
(4) *De Gratia*, L. XII, c. X, n. 10 s.

potest intelligi de ordinatione virtuali, nam multi ex aliis auctoribus eodem modo loquuntur, et idem Durandus, in 3, d. 23, quæst. 8, similiter dixit actus esse meritorios, quia imperantur a charitate, quod non oportet intelligi de imperio immediato per actum formalem charitatis, qui tunc existat ; nam sufficienter intelligitur de actu præterito, si tunc virtute imperet. Tribuitur etiam hæc opinio Gabrieli, in 2, d. 41, art. 3, dub. 2. Sed oppositum expresse docet, distinguens relationem virtualem ab actuali, et dicens, licet sit certius actualem conferre ad hoc meritum, tamen esse valde probabile virtualem sufficere. Unde, ita concludit Eximius Doctor, nullum invenio Theologum, qui hanc sententiam de necessitate actualis relationis in Deum docuerit, et ideo non solum minus probabilem, ut indicat Gabriel, sed etiam improbabilem illam judico, quia nec probabili auctoritate nititur, ut dixi, nec etiam video probabile illius fundamentum. »

De mente *Doctoris Angelici* nulla ambiguitas habetur : clare docet actualem relationem optimam quidem esse, sed non necessariam ad meritum ; de consilio esse, at non de præcepto. *In II Sententiarum* (1) scribit : « Hoc quod dicitur : omnia in gloriam Dei facite, potest intelligi dupliciter, vel *affirmative* vel *negative*... Si autem intelligitur *affirmative*, hoc potest esse dupliciter... Vel ita quod ordinatio actualis in Deum sit actu conjuncta cuilibet actioni nostræ et sic potest intelligi dupliciter, vel *distributive* vel *collective*. Si *distributive*, sic sensus est : quamcumque actionem facitis, melius est, si eam actu in Deum ordinetis, et sic est consilium. Si autem sumatur *collective*, sic sensus est : omnia opera vestra ita faciatis, quod nullum eorum sit, quin actu in Deum ordinetis, et hoc nec præceptum nec consilium est, sed finis præcepti, ad quod per impletionem præcepti pervenitur ; sic enim sancti in patria actus suos in Deum referunt. » Et

(1) *In II Sent.*, Dist. 40, q. 1, a. 5, ad 7.

ibidem, ad 6 : « Dicendum quod non sufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum, quia ex hoc quod est in habitu nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur ; nec tamen oportet, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum, sit semper conjuncta cuilibet actioni quæ dicitur in aliquem finem proximum. » Item in opusculo *De charitate* : « Dicendum quod omnia actu referre in Deum, non est possibile in hac vita, sicut non est possibile quod semper de Deo cogitetur : hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ » (1). Et ita in multis locis (2).

Hæc doctrina, hodiedum communis, omnino certa est.

Etenim, quum practice difficillimum, imo moraliter impossibile sit, in singulis actibus intentionem charitatis renovare, admittendum esset pleraque bona opera justorum merito carere ; quod repugnat sensui fidei, qui fundatur in S. Scriptura et Concilio Tridentino.

Præterea, necessitas actualis relationis adstrui non potest, nisi virtualis probetur vel impossibilis vel insufficiens. Atqui neutrum probatur : quod optime exponit Suarez (3). « Solum excogitari potest alterum ex duobus. Unum est, quod hæc relatio virtualis *impossibilis sit*, aut insufficiens ad moralem modum operandi. Et hoc est omnino improbabile. Omnes enim Theologi et philosophi morales hanc virtualem relationem admittunt ; item experientia satis illam ostendit. Unde dixit Gabriel supra, facile posse unumquemque de se cognoscere an ex formali vel virtuali intentione alicujus finis operetur, item quia alias oporteret in conficiendis sacramentis, in contractibus, et aliis similibus actionibus, habere semper intentionem formalem et actualem, quod dicere absurdissimum

(1) *De Charitate*, a. 11, ad 2.

(2) Cf. *In II Sent.*, Dist. 38, q. I, a. 1, ad 4 ; — *De malo*, q. II, a. 5, obj. 11 ; q. VII, a. 1, ad 9 ; — *Ad Col.* III, lect. 3, in fine ; — *Summa Theologica*, IIª IIæ, q. XLIV, a. 4, ad 2.

(3) *De Gratia*, l. c.

est, quia cum illud sit moraliter impossibile, plures effectus sacramentales, vel morales, qui ex intentione hominis pendent, in dubium revocarentur. Denique quia in aliis causis non repugnat aliquid fieri in virtute alicujus causæ quæ præcessit, cur ergo id repugnabit in humano imperio seu intentione ? Aliud fundamentum illius sententiæ esse posset, quod virtualis relatio charitatis, licet sit possibilis, *non sufficiat ad meritum*. Et hoc etiam improbabile est, quia conditiones necessariæ ad meritum ex doctrina Ecclesiæ juxta Scripturas sacras accipiendæ sunt ; sed omnia quæ Scripturæ ac Patres docent de necessitate charitatis ad meritum, satis superque verificantur, si relatio virtualis intercedat. »

Quod nunc ostendendum est.

ARTICULUS III

De relatione virtuali sensu strictiore accepta.

Diximus Theologos qui virtualem relationem probant, in duas classes distinguendas esse, quum alii strictiore sensu, latiore alii eam intelligant. Priores censent intentionem nec esse nec dici posse virtualem, nisi actus, qui dicitur virtualiter relatus, *vere procedat ex* virtute seu influxu præcedentis intentionis, quamvis hic et nunc de ea non cogitetur ; v. g., qui iter suscipit, omnia quæ agit ordinat virtualiter in finem itineris ; medicus qui remedia colligit, potionem parat, quin de sanitate cogitet, virtualiter ea refert in finem sanitatis.

Nota distinctiva relationis virtualis, juxta hanc acceptionem, in hoc consistit quod intentio præterita sit *vera causa actus*, ita ut sine illa intentione actus simpliciter non produceretur nec existeret. Quam conditionem præcipui hujus sententiæ patroni explicite requirunt. « Tunc dicuntur opera virtute in

Deum relata, scribit B. Bellarminus (1), cum intentio præcedens est vera causa operis, ut si quis apud se certo constituat aliquam nummorum summam propter Deum pauperibus erogare, et postea summam illam oblata occasione eroget, is diceretur virtute referre in Deum, etiamsi, dum pecunias illas distribuit, nihil de Deo cogitet. » Item Laymann (2) : « Necesse est, inquit, ut propositum hoc efficax sit, id est, vere causa operum subsequentium existat... Signum autem erit, tales actiones non provenire ex motivo et proposito charitatis antecedente, si, facta hypothesi quod tale propositum non actecesserit, nihilominus actiones illæ eodem modo exercitæ fuissent, quia aliud sufficiens agendi motivum habuerunt. Sin vero propositum operandi propter Deum, quamvis aliquo modo generali, vere causa existat subsequentium operum, adeo quidem ut absque præcedente charitatis intentione exercita non fuissent : tum recte dicitur, ea ex prævia motione et imperio charitatis, virtualiter adhuc manente, provenire ; ideoque in homine justo meritoria esse vitæ æternæ. »

Quomodo de hac sententia judicandum sit, nunc videamus.

Plures eximii doctores necessitatem relationis virtualis in sensu strictiore tenuerunt, hoc argumento ducti, quod facile et optime ita explicatur charitatem esse formam virtutum et radicem meriti : et revera, si actus bonus proprie *causatur* prævia motione charitatis, clare video bonum opus a charitate imperari, informari, ad Deum finem ultimum ordinari. Ideoque fatendum est hoc argumentum magnam vim habere ; imo prævalentem vim haberet, si relatio virtualis, latiore sensu accepta, insufficiens probaretur ad illa explicanda.

Attamen, ab altera parte, illi Theologi implicantur non spernendis difficultatibus. Logice enim deducuntur ad unam

(1) *De Justificatione*, L. V, c. 15.

(2) *Theologia moralis*, Lib. II, Tract. III, c. I, n. 5. — Cf. etiam SPORER, *Theologia moralis decalogalis et sacramentalis*. Tract. II, c. V, n. 154. Ed. BIERBAUM, Paderbornæ, 1901.

alteramve consequentiam quæ prorsus evitanda est. Obvium habent dilemma sequens : aut dicent relationem operum in Deum, quam affirmant ad meritum requisitam, *esse solum de consilio*, adeoque multa opera justorum etiam moraliter bona non esse meritoria de condigno, utpote carentia debita ordinatione : quod sensui fidei contrarium videtur, et meritum valde restringit ; — aut dicent *eam esse de præcepto*, et proin justos sub pœna peccati teneri ad eam sæpissime renovandam : quod practice plurimis christianis onus est importabile.

Et de facto, unum vel alterum assertum admittitur a Theologis qui virtualem intentionem in sensu strictiore accipiunt : prius præsertim a quibusdam veteribus scholasticis, alterum potius a nonnullis auctoribus sæculo XVI posterioribus.

Prior opinio :
Relatio operum in Deum non est de præcepto.

Scotus (1) dicit actum virtualiter ex charitate referri, quando « sicut ex cognitione, et dilectione finis deventum est ad volitionem hujus entis (i. e. actus) ad finem, puta ex cognitione, et dilectione Dei pertinente ad portionem superiorem, portio inferior considerat talem actum, puta pœnitentiæ, esse assumendum, et postea illum exsequitur volendo, non tamen tunc referendo in finem, quia nec tunc actualiter cognoscitur, nec diligitur. » Atqui, observat ipse, homo existens in gratia « multos tales actus elicit continue, qui nec referuntur actualiter, nec virtualiter, secundum dictum modum. » Hi actus erunt vel peccaminosi, vel meritorii, vel indifferentes. Non admitti potest eos esse peccata : « non enim tenetur homo, nec tentione necessitatis, contra quam fit peccatum mortale, nec tentione

(1) *In II Sent.*, Dist. 41, q. un.

minori, contra quam fit peccatum veniale, referre semper actum suum in Deum actualiter, vel virtualiter, quia Deus non obligavit nos ad hoc. Neque videtur esse in istis actibus sufficiens ratio bonitatis, ut sint meritorii : quia non videtur minor relatio sufficere ad meritum, quam relatio virtualis, qualis non sit hic. Sunt ergo, concludit Subtilis Doctor, multi actus indifferentes, non tantum secundum *esse*, quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum *esse*, quod habent in *esse* morali : et sunt etiam indifferentes ad bonum meritorium, et malum demeritorium, quia unum individuum potest esse tale, et aliud tale. Multi etiam singulares actus eliciti sunt indifferentes, qui nec sunt tales, neque tales, et non solum actus non humani, de quibus non est sermo, sicut movere barbam, levare festucam, et hujusmodi, quæ procedunt ex sola imaginatione, non ex libero arbitrio impellente : sed etiam de actibus libere elicitis. »

S. Bonaventura (1) relationem requirit « non qua quis in generali refert ad Deum omnia opera diei, vel anni : sed qua quis refert *aliquod* opus ad Deum : ita quod opus sequens directam habet ad opus primum ordinationem, et consequentiam » ; v. g. « si aliquis intendit dare pro Deo centum marcas, et incipit dare, et cogitat de Deo in prima marca, et in aliis non cogitat, nihilominus omnes dationes illæ sunt ei meritoriæ et fructuosæ : si autem opus *alterius generis* inciperet, oportet quod intentio renovaretur ad hoc, ut opus esset meritorium. » Quo principio posito, consequenter etiam statuit varia opera justorum nec meritoria esse nec demeritoria, sed indifferentia ad salutem : « Talis autem actio est, ait, quando quis facit aliquam operationem, ita quod circa creaturam non afficitur inordinate : nec tamen illam operationem comparat ad Deum, sed facit propter aliquem finem qui respicit indigentiam naturæ... Indulgetur

(1) *In II Sent.*, Dist. 41, a. 1, q. 3.

enim naturæ fragili, et infirmæ, ut multa possit talia facere : nec Deus requirit ab homine in tali statu distractionis et miseriæ quod omnia quæ facit referat ad se : requirit tamen aliquando, quando est locus, et tempus : et tunc si homo non referat, omittendo peccat. »

Ut manifestum est, meritoria opera hac solutione non parum imminuuntur : illi enim doctores, quos quidam alii sequuntur, ponunt imprimis certa opera esse moraliter indifferentia, i. e. nec bona nec mala, et insuper inter moraliter bona distinguunt opera indifferentia ad salutem, i. e. nec meritoria nec demeritoria.

Quæ opinio a gravibus Theologis, præsertim post Concilium Tridentinum, severe judicata est et acriter impugnata, eo quod nec S. Scripturæ nec doctrinæ Tridentinæ consentanea videatur. Præcise ad illam consequentiam devitandam, quidam, duce Vasquez, viam traditionalem derelinquentes, simpliciter negarunt bona opera a charitate ordinanda esse. Si enim hujusmodi ordinatio requireretur, inquit Vasquez, innumera essent bona opera justorum sine merito vitæ æternæ. Licet hic cum exaggeratione loquatur, fatendum tamen est, quod ipse Scotus concedit, *multos* actus indifferentes fieri ad vitam æternam, si ordinatio illa intelligatur in sensu strictiore.

Atqui tanta restrictio meriti bonorum operum ægre compossibilis videtur cum doctrina S. Scripturæ, S. Patrum et Tridentinæ Synodi, a quibus bona opera tantopere commendantur et præmio æterno digna tam sæpe exhibentur. Hæc quidem testimonia debito modo intelligenda sunt. Erraret sane qui vellet Tridentinum definivisse *omnia* opera bona justorum, sine exceptione et absque conditione, meritoria esse. Reformatorum placita convellere intendit, non Theologorum catholicorum sententias ; valorem bonorum operum statuere contra valorem fidei lutheranæ, non indifferen-

tiam meritoriam quorumdam operum ad mentem Scoti excludere. Item SS. Litteræ et Patres, cum generaliter loquantur, non dicendi sunt condemnare eos qui censent certas actiones bonas, deficiente aliqua conditione requisita, carere merito vitæ æternæ. Proinde non dicimus quæstionem an bona justorum opera *omnia* sine exceptione meritoria sint, theologice loquendo liberam non esse ; etiam post Tridentinum, non desunt graves Theologi qui autumant illam regulam non esse absolutam. Ita Laymann (1), moralista magnæ auctoritatis, quamvis neget actus humanos in individuo posse indifferentes esse sub respectu boni et mali, tenet tamen « esse in homine, tum peccatore, tum etiam justo, actiones indifferentes secundum meritum ac demeritum vitæ æternæ. Si videlicet homo opera bona virtutum exerceat, sine ulla seu actualiter præsente, seu præterita et virtualiter manente charitatis relatione in Deum. » Et P. Lehmkuhl (2) loquens de indifferentia actuum humanorum : « Relinquo autem, ait, quæstionem de indifferentia quoad *supernaturalem bonitatem* et *supernaturale meritum :* imo in ea sententia prorsus sum, esse posse actus, qui neque mali neque ullo modo supernaturaliter boni vel meritorii sint. »

Attamen aliud est dicere aliquem bonum actum justi *per accidens et in casu exceptionali* esse indifferentem ad salutem, et aliud dicere *multos* actus bonos *continuo per vitam christianam* merito carere. Quod secundum vix componetur cum doctrina fidei tam expresse proposita in S. Scriptura et tam fortiter inculcata a SS. Patribus et a Concilio Tridentino ; ideoque, ut diximus, a pluribus Theologis severe judicatur. Quare, cum ex illa sententia logice deveniatur ad hanc consequentiam practicam, multa bona opera justorum non esse meritoria, sententia illa non est amplectenda, nisi

(1) *Theologia moralis*, L. II, Tr. III, c. I, n. 4.
(2) *Theologia moralis*. T. I, Tr. I, n. 38.

alia solutio probetur insufficiens. Hoc enim grave inconveniens est, quod vitari debet, si possit.

Altera opinio :
Relatio operum in Deum est de præcepto.

Prædictum inconveniens vitari potest, sed occurrendo alteri offendiculo non minori. Ad prius incommodum vitandum, nonnulli auctores, rigidioris quidem tendentiæ, aliam viam inierunt : ita plures Theologi sæculi XVIII, v. g. Daelman (1), Collet (2), Concina, Lacroix, Voit (3), ut certum tenent principium, omnia opera bona justorum esse meritoria. Et æque certum habent, nullum bonum opus meritorium esse, quod non producatur sub motione saltem mediata charitatis. Consequentia obvia est : sæpissime, imo pluries in die vel saltem mane, renovanda est intentio charitatis.

Quæ consequentia patet ; nam si singulæ actiones debent causari motione charitatis, profecto non sufficiet quod aliquando, certis temporibus, efformetur intentio quædam generalis omnia in Deum referendi. Ita B. Bellarminus (4) : « Prudentur monet S. Bonaventura non sufficere, ut opus virtute referri dicatur ad Deum, si quis ad initium anni, vel mensis, *vel etiam diei, generali* quadam intentione referat omnia sua futura opera in Deum : sed necesse est ut illud ipsum opus particulare referatur in Deum, quod postea faciendum est. »

Laymann (5) rationem addit : « Tametsi enim homo principio diei omnia agere proponat ob amorem Dei, fieri tamen

(1) *Theologia seu Observationes theologicæ. In primam secundæ*, q. I. obs. 3. Antverpiæ, 1735.

(2) *Institutiones theologiæ moralis. Tractatus de actibus humanis*, c. III, a. I, sect. II ; a. III, sect. II. Lugdini, 1758.

(3) Citantur in opere *Vindiciæ Alphonsianæ*, T. I, p. 155. Bruxellis, 1874.

(4) *De justificatione*, L. V, c. 15.

(5) *Theologia moralis*, L. II, Tract. III, c. I, n. 5.

solet, ut postea multa agat non vi ejus propositi, sed ex motivo mere humano, aut etiam moralis solum honestatis : ut si parentibus obtemperet, ne ab illis verberetur, vel quia id secundum morum honestatem decens est. » Similiter Sporer (1) : « Quodsi ergo quis mane v. g. proponat, hac die hæc, illa ac omnia opera sua facere ex charitate et propter Deum, ad ejus gloriam, is quidem ipso facto exercet actum præstantissimum charitatis et religionis, eoque præstantiorem, quo magis extensum objectum habet ; atvero postea temporibus suis prorsus immemor matutini propositi sui et absque ulla omnino relatione vel dependentia ad illud propositum, ut nec interrogatus quidem, cur modo operetur, scribat, comedat, etc. illius meminisset, sed mere ob alias causas v. g. ex metu servili pœnæ, ex mera consuetudine, ex humano respectu operetur, tunc illæ actiones, sicut revera non sunt amplius actus charitatis imperati neque vi illius propositi facti, ita neque vi illius meritoriæ esse poterunt. Ita communiter DD. cum D. Bonav. (2 d. 41. a. 1. q. 3), Bellarm. (l. 5 de justif. c. 19), Laymann. »

Equidem Theologi hic citati — quorum sententia ceteroquin nullatenus « communis » est — immerito dicerentur favere opinioni rigidiori de qua nunc loquimur ; econtra aliqui explicite docent bona opera justorum posse esse indifferentia ad salutem. Sed eorum auctoritatem patroni hujus opinionis allegant, atque notionem virtualis relationis ab ipsis propositam assumunt ut fundamentum suarum severiorum conclusionum practicarum. Quod illi autem proponunt ut valde laudabile, hi imponunt ut obligatorium ; illi hortantur, hi præcipiunt.

Inde, scribit P. Ant. Ballerini (2), qui contra hanc sententiam ejusque practicas sequelas acriter invehit, inde « 1° habuimus obligationem principales actiones offerendi Deo. 2° Inde

(1) *Theologia moralis decalogalis et sacramentalis*, Tr. II, n. 154.
(2) *Opus theologicum morale*, T. I. n. 119, p. 112. Ed. 3, Prati, 1899.

orta obligatio renovandi hanc intentionem pluries in die aut saltem mane. 3° Inde et obligatio, quam Collet addit, de renovanda intentione; quia, inquit, ob longam moram interrumpitur præmissa relatio. 4° Inde et obligatio agendi ex motivo supernaturali in singulis operibus (1). 5° Inde obligatio operandi semper aut ex perfecta aut saltem ex initiali charitate. »

Quibus omnibus, ut nimis evidens est, vitæ christianæ magnum imponitur onus atque multis peccatis omissionis occasio præbetur ; ita ut quod ad merita augenda proponitur, id practice in eorum diminutionem vergat.

« Si hæc omnia, ita pergit P. Ant. Ballerini, proponerentur per modum consilii ad majorem Dei gloriam atque ad majorem actionum nostrarum perfectionem meritique uberiorem copiam assequendam, optime quidem proponerentur et inculcarentur. At quod proponantur ceu obligationes ex præcepto aut charitatis aut alterius virtutis, id arbitrarium est, vanum, falsum, ad errores perducens nec aliunde profluit nisi ex non intellectis SS. Doctorum documentis. Atque utinam saltem cum S. Bonaventura ad indifferentes actus revocassent quidquid ad Dei gloriam aliquis non ita refert prout ipsi exigunt : sed hoc crudelius addiderunt, sic peccari contra præceptum charitatis et opera, utut in se bona et honesta, fieri peccata. » Quæ verba notissimi moralistæ romani recitantur, abstractione quidem facta ab excessivo quodam loquendi modo, ut ostendatur quid illi doctrinæ reprobetur, et jure merito reprobetur.

Itaque qui volunt unum incommodum vitare, in aliud impingunt : dum statuunt nulla bona opera justi esse indifferentia ad salutem, inducunt obligationes practicas quæ plerisque christianis gravi impedimento forent.

(1) Hoc non proponitur a præsenti sententia, sed potius est sequela, practica theoriæ Suarezii.

ARTICULUS IV

De relatione virtuali sensu latiore accepta.

Patet, in quavis sententia quæ relationem virtualem strictiore sensu accipit, veras difficultates haberi, quæ theologo spernendæ non sunt. Sponte igitur quæstio oritur, an opera meritoria ita ad Deum referri debeant, ut charitas *vere causa* sit singulorum. Id negant graves auctores, qui censent virtualem relationem in sensu latiore intelligi posse, eamque non necessario requirere quod actus proveniat ex influxu et virtute præviæ intentionis, sed sufficere quod *hac intentione ordinetur, i. e., habeat ordinem ad finem ultimum.*

Sententia extrema.

Juxta quosdam imo sufficit semel, in primo nempe instante justificationis, actum charitatis elicere, quo homo explicite vel implicite se suaque omnia Deo offerat, ut eo ipso omnia bona opera per totum vitæ decursum facienda virtualiter in finem ultimum referantur et meritoria fiant.

Ut patroni hujus opinionis extremæ, inter alios, allegari solent Salmanticenses (1), quorum sentiendi modum supra exposuimus et critico examini submisimus. Tenent omnia opera meritoria saltem virtualiter ad finem charitatis referri; sed hanc virtualem relationem tam late intelligunt, ut pro tota vita valeat, imo ne unicum quidem actum charitatis præsupponat, sed ex ipso *habitu* charitatis profluat. Nullus actus, quo sequentia opera ad Deum ordinentur, præcedere debet; et nihilominus hæc ordinatio realissima est. Secundum illos enim, eo momento quo charitas in animam infunditur, modalis quædam formalitas, quæ est vera charitatis participatio, ab ipsa derivat ad ceteras virtutes, ratione cujus

(1) *Cursus theologicus.* Tract. XVI *De Merito,* Disp. IV.

intrinsece sublevantur et perficiuntur, in ultimum finem ordinantur, atque formatæ et beatitudinis meritoriæ reddunturtur, ita ut omnes quos eliciant actus necessario in virtute et sub influxu realissimo charitatis fiant.

Si hæc thesis admittatur, profecto inconvenientia contra virtualem relationem modo proposita eo ipso evanescunt. Sed prorsus vacat fundamento, uti probavimus, et ad absurda ducit, quamvis ingeniose excogitata sit et subtiliter propugnata. Non potest igitur illa doctrina adduci ad virtualem intentionem rite declarandam.

Alii defensores extremæ sententiæ sequenti modo arguere consueverunt.

Quilibet charitatis actus efficaciter, quantum est de se, ordinat totum hominem, cum omnibus ejus facultatibus, virtutibus et actibus moraliter bonis, in Deum ultimum ejus finem. Efficaciter ordinat : nam actu charitatis amatur finis ultimus supernaturalis absolute super omnia, qui amor natura sua huic fini omnia subdit et subordinat, omnia ad ipsum, secundum quod unumquodque referibile est, efficaciter refert. Ergo omnia bona opera, quæ post hujusmodi actum fient, virtualiter in illum finem referentur, juxta hoc principium S. Thomæ : « Virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscumque rei, etiamsi de ultimo fine actu non cogitetur » (1). Si justus semel omnia sua bona opera efficaciter in Deum ordinavit, efficacia ordinationis, nisi hæc postea retractetur, durare debet et pertingere usque ad illorum operum executionem, etiamsi nulla ejus memoria vel alius physicus effectus perseveret : moraliter enim potius quam physice pensanda est.

Quod argumentum speciatim confirmatur, si consideretur hominem per actum charitatis Deo offerre liberum suum arbitrium ipsamque potentiam voluntatis, per quam habet

(1) *Iª IIæ* q. I, a. 6, ad 3.

dominium actuum suorum humanorum : Deum enim ex toto corde et in tota anima et in tota mente diligere, hoc est ipsummet cor, ipsamque voluntatem ei totaliter submittere. Proin, donec hæc consecratio retractetur, omnes actus qui ex hac voluntate procedent, fient in obsequium Dei atque in ipsum virtualiter referentur. Ad quod explicandum classicum est exemplum : sicut ille qui frugiferam arborem donat amico, quasi in radice et virtute omnes fructus postea ex arbore producendos simul donat, ita qui arborem suæ voluntatis efficaciter Deo donavit, pariter ei obtulit omnes bonos fructus seu actus virtuosos ; vi cujus donationis, quidquid deinceps voluntas bene faciet, Deo fructificabit (1).

(1) Hoc argumento proponitur a S. Francisco Salesio, in suo opere *Traitté de l'amour de Dieu*, L. XI, ch. II. *Œuvres*, t. V, p. 240. « Mais les vertus qui se treuvent es amis de Dieu, quoy qu'elles ne soyent que morales et naturelles selon leur propre condition, sont neanmoins anoblies et relevees a la dignité d'œuvres saintes, a cause de l'excellence du cœur qui les produit... Toutes les œuvres vertueuses d'un cœur ami de Dieu sont dediees a Dieu : car, le cœur qui s'est donné soy mesme, comme n'a-il pas donné tout ce qui depend de luy mesme ? qui donne l'arbre sans reserve, ne donne-il pas aussi les feuilles, les fleurs et les fruitz ? *Le juste fleurira comme la palme, il croistra comme le cedre du Liban. Plantés en la mayson du Seigneur, ilz fleuriront es parvis de la mayson de nostre Dieu.* Puisque *le juste* est planté *en la mayson de Dieu*, ses feuilles, ses fleurs et ses fruitz y croissent et sont dediés au service de sa Majesté... Non seulement les fruitz de la charité et les fleurs des œuvres qu'elle ordonne, mais les feuilles mesmes des vertus morales et naturelles tirent une spéciale prosperité de l'amour du cœur qui les produit... »

Ex quo patet Salesium ut radicem meriti habere, non *habitum* charitatis, sed *donationem sui ipsius* quæ *actu* charitatis continetur. Ita explicandi sunt alii textus ubi prima fronte de solo habitu charitatis sermo videtur, v. g. L. XI, ch. III et ch. IV (p. 242 ss.), præsertim L. XII, ch. VIII (p. 332) : in hoc ultimo loco dicit non requiri expressam et actualem relationem, sed tantum « habitualem » in sensu S. Thomæ, i. e. virtualem lato sensu, quæ continetur nempe in dispositione unionis et communionis cum Deo : « Il suffit aussi que nous soyons enfans de Dieu *par dilection*, pour rendre tout ce que nous faisons entierement destiné a sa gloire ». Notandum est S. Franciscum non agere partes theologi moralis, qui scientifice determinat obligationem actus charitatis, sed ascetici et mystici qui, postquam dixit donationem totalem Deo per amorem charitativum factam ad meritum sufficere, non inquirit quoties hæc stricte loquendo sit renovanda, sed multum hortatur et enixe commendat ut sæpissime et perfectissime renovetur. Ceterum in L. XII, ch. VII, expresse dicit ad meritum requiri intentionem charitativam : « Nostre Seigneur, au rapport des Anciens, souloit

Adde moralem hujusmodi ordinationis efficaciam indefinite perseverare posse. Supposito formalem actum charitatis cessasse atque virtutem physicam ab ipso relictam extinctam esse, quidnam moralem illam efficaciam abolescet vel limitem ipsi imponet ? Quæ est ratio cur duret per unam horam, et non per duas ? Et si per duas, cur non per diem ? Et si per diem, cur non per hebdomadam ? cur non per mensem, per annum, per totam vitam ?

En argumenta quæ a plerisque patronis hujus sententiæ proponi solent.

Econtra adversarii (1) opponunt generalem illam ordinationem vel prorsus insufficientem esse, vel superfluam. Si vera relatio virtualis operum in Deum requiratur, illa insufficiens est ; vel si sufficiat, quare mere habitualis non sufficeret ? Etenim, dicunt, quando ordinatio universalis ita transiit ut nec memoria nec ulla virtus ejus relicta sit, nihil prorsus influit in actum particularem qui nunc fit ; unde nulla nova species ipsi superadditur ex prævia illa intentione, nec proin ex ipsa meritoria fieri potest. Justus qui olim actum generalem charitatis exercuit, perinde se habet hic et nunc in ordine ad præsentem operationem, ac si præcedens actus non præcessisset et tantum esset charitas in habitu : ille præteritus actus solum manet in habitu, qui fortasse exinde crevit. Ergo si solus

dire aux siens : « Soyes bons monnoyeurs ». Si l'escu n'est de bon or, s'il n'a son poids, s'il n'est battu au coin legitime, on le rejette comme non recevable ; si une œuvre n'est de bonne espece, si elle n'est ornee de charité, *si l'intention n'est pieuse*, elle ne sera point reçeüe entre les bonnes œuvres. Si je jeusne, mais pour espargner, mon jeusne n'est pas de bonne espece ; si c'est par temperance, mais que j'aye quelque peché mortel en mon ame, le poids manque a cette œuvre, car c'est la charité qui donne le poids a tout ce que nous faysons ; si c'est seulement par conversation et pour m'accommoder a mes compaignons, cette œuvre *n'est pas marquee au coin d'une intention appreuvee :* mais si je jeusne par temperance, et que je sois en la grace de Dieu, *et que j'aye l'intention de plaire a sa divine Majesté par cette temperance*, l'œuvre sera une bonne monnoye, propre pour accroistre en moi le thresor de la charité ». (p. 330 s.).

(1) Cf. v. g. SUAREZ, *op. cit.*, L. XII, c. 10, n. 5.

habitus charitatis quantumvis intensus non sufficiat, si requiratur verus influxus actus præteriti in actum præsentem, plus requiritur quam universalis illa relatio præterita.

Adducunt comparationem cum gentili qui se suaque omnia semel idolo suo consecravit : si ordinatio generalis, semel facta et non retractata, opera omnia subsequentia per se dirigeret, dicendum esset omnes actus gentilis illius, etiam aliunde bonos, vitio idololatriæ infici et peccata esse ; sed hoc repugnat doctrinæ fidei, quæ negat omnia opera bona gentilium esse peccata. Nec refert quod justus, qui olim actum charitatis emisit nec retractavit, ita sit dispositus ut, si Deus memoriæ occurreret, vel si interrogaretur ad quem finem tandem operetur, ad Deum opus explicite ordinaret. Nam hæc dispositio est conditionalis et hypothetica ; de facto nihil actui præsenti addit, nec supplet defectui relationis quæ necessaria supponitur. Unde relatio hujusmodi universalis non est dicenda relatio virtualis : nominalis est, fictitia, non realis.

Sententia vera.

Quid ergo dicemus ?

1° Notemus imprimis quæstionem quæ hic vertitur accurate ponendam esse. Nullatenus oportet inquirere, uti solet, utrum unicus actus charitatis, seu generalis ordinatio semel facta, pro tota vita sufficiat necne. Si tali modo ponatur, quæstio mere theoretica est ; quidquid enim sit de speculativa ejusdem solutione, certo is non satisfacit præcepto charitatis, qui semel tantum, in momento nempe suæ justificationis, actum charitatis elicit. Etenim, omnibus hodiernis Theologis consentientibus, præceptum charitatis, sive per se, sive per accidens, obligat pluries in vita. Quoties obliget, dictu est difficile, quum in rebus moralibus non mathematice, sed moraliter procedendum sit. At certum est illud præceptum obligare

sæpius. S. Alphonsus (1) sententias Theologorum et suam sequentibus verbis contrahit : « Tenemur autem tam circa charitatem erga Deum, quam circa fidem et spem, actus elicere, uti constat ex propositionibus proscriptis 1 et 7 ex illis Alexandri VII, et 6, 16 et 17 Innoc. XI : nam sublatis actibus, illas virtutes exercere non possumus. Igitur hi actus aliquando obligant ex se, aliquando per accidens. Obligant *per accidens*, cum urget necessitas eos eliciendi ad superandam aliquam tentationem, aut ad alicujus præcepti adimpletionem, v. g. confessionis, communionis, etc. Obligant *per se* (uti docent DD.) in pluribus vitæ temporibus : nimirum cum pervenitur ad rationis usum ; in exitu vitæ ; et pluries in vita, saltem semel quolibet anno, ut dicunt AA. ; sed circa actum charitatis magis mihi arridet sententia eorum, qui eum requirunt semel in mense, dum difficiliter observare poterit legem divinam, qui frequenter suum erga Deum amorem actibus positivis non exercet. Attamen opus non est, ut hi actus reflexe et explicite fiant cum intentione præcepto satisfaciendi : sed satis est, si exercite fiant, nempe ut actu fiant, licet ex alio fine, nempe ad abjiciendam tentationem, ad eliciendam contritionem, si confiteri velit. Ita etiam actus charitatis sunt omnes uniformitatis actus divinæ voluntati, et omnes virtutes exercitæ ad Dei complacentiam. » Hucusque S. Alphonsus.

Etiamsi quis hujusmodi determinationem temporis probare nolit (2), communis tamen et vera sententia ad minus docet præceptum charitatis *frequenter* obligare. De facto, ut experientia satis constat, impossibile est aliquem per longum tempus quemvis actum charitatis prorsus omittere et simul in gratia sanctificante vivere omniaque vitæ christianæ præ-

(1) *Homo Apostolicus*, Tr. IV, n. 13. Cf. *Theologia moralis*, L. III, Tr. I, n. 8.

(2) BALLERINI, *Opus theol. morale*, II, n. 148, vehementer talem determinationem temporis rejicit.

cepta adimplere : loquimur nimirum de illo qui versatur in statu merendi, de justo qui supponitur manere in charitate et amicitia Dei.

Quæ cum ita sint, quæstio non est an actus charitatis, semel factus et non retractatus, sufficiat ut omnia opera bona per totam vitam subsequentia ordinentur in finem ultimum. Hanc quæstionem discutere, aliis affirmantibus, aliisque negantibus, revera ad rem non pertinet. Qui affirmant, nimium probant et in excessum abeunt. Qui in contrarium arguunt, etiamsi argumenta decisiva producerent, veram quæstionem non dirimunt. Vera quæstio est, an actus charitatis, identidem exerciti, quoties nempe præceptum charitatis, sive per se, sive per accidens, obligat, non sufficiant ut omnia bona justi opera virtualiter in Deum referantur ; aliis verbis, an opera bona, inter duos charitatis actus plus minusve tempore distantes, a justo posita, in Deum ordinata non habeantur vi prioris actus charitatis.

2° Animadvertendum est, actiones nostras in finem ultimum ordinari posse vel *reflexe et explicite* vel *exercite et implicite*. Priore modo ordinantur, cum explicita intentio habetur eas faciendi propter Deum super omnia dilectum ; altero modo, quando elicitur actus dilectionis Dei super omnia, quamvis de operibus bonis propter Deum agendis intentio reflexa non habeatur. Hæc intentio exercite in actu charitatis continetur : nam charitas diligit Deum simpliciter super omnia, ut finem ultimum nostrum, cui nosmetipsos et omnia submittimus, subordinamus, ultimatim referimus ; unde si actus charitatis efficitur, eo ipso bona opera sicuti omnia nostra implicite ad Deum ordinantur. Quod principium negari non posse videtur. Non inquirimus nunc quousque illud in re præsenti extendi queat. Tantum advertere hic volumus intentionem, qua actus nostros in Deum referimus, fieri posse sive explicite, sive implicite in actu charitatis.

Angelicus non aliter rem intelligit. Docet ordinationem actionum nostrarum in finem ultimum sufficienter fieri per actum charitatis, et præterea totam quæstionem reducit ad quæstionem de præcepto charitatis. « Nec oportet (ad meritum), inquit, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni, quæ dicitur in aliquem finem proximum ; sed sufficit, quod *aliquando* actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere ; tunc enim quidquid ad se ipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et si quæratur *quando* oporteat actum referre in finem ultimum, *hoc nihil aliud est quam quærere quando oporteat habitum charitatis exire in actum ;* quia quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum et per consequens omnium eorum, quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi » (1). Et alibi : « Sub præcepto charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde ; ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum ; et ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum » (2). « Deus autem est diligendus sicut finis ultimus, ad quem omnia sunt referenda. Et ideo totalitas quædam fuit designanda circa præceptum de dilectione Dei » (scil. ex toto corde) (3).

Quibus ad difficultates præcavendas præmissis, jam videamus qualis operum in Deum relatio sit stricte sufficiens ut sint meritoria.

Relatio actualis optima est, at non necessaria.

Virtualis relatio stricto sensu accepta, omnibus fatentibus, certo sufficit ; sed quæritur nunc an sit necessaria. Loquimur de relatione orta ex intentione prævia quæ, virtute sua i. e.

(1) *In II Sent.*, Dist. 40, q. 1, a. 5, ad 6.
(2) Ia IIæ, q. C, a. 10, ad 2.
(3) IIa IIæ, q, XLIV, a. 4, corp.

influxu suo positivo permanente, *vere causa est actus*, ita quidem ut sine hoc influxu actus simpliciter non fiat. Tunc opus meritorium est actus a charitate *imperatus*, in stricto sensu hujus vocis. An hoc requiratur, ut actus sit vere a charitate formatus ac ordinatus, et proin meritorius ? Aut potius an charitas possit ordinare et formare actum bonum qui tamen non ex ejus virtute et influxu in esse procedat ? En, ni fallor, cardo rei.

Atqui censemus actum bonum a charitate *in finem ultimum ordinari* posse, quamvis ex ipsius influxu non proveniat. Qui actus merito dicetur a charitate *imperatus*, sed in sensu minus stricto quam actus cujus charitas est simpliciter causa ; dicetur etiam *virtualiter* relatus, sed pariter in sensu minus stricto. Uti liceat hac distinctione : non requiritur ut charitas sit actus meritorii principium *causans*, sufficit quod sit ejusdem principium *ordinans* (1).

Quæ distinctio non est commentitia, sed omnino fundata in re.

I. Si res practice et in concreto consideretur, hujusmodi distinctio non solum non repugnat, sed statuenda omnino videtur. Exempli gratia : efformo intentionem propter Deum dandi pauperi eleemosynam viginti francorum. Quando postea hæc eleemosyna datur, revera actus misericordiæ dicendus est provenire ex præcedente intentione, ex ea causari. Mane, amoroso cum affectu, Deo offero omnes meas intentiones et cogitationes, omnes meos affectus et desideria, omnia mea opera et verba, nihil tamen prævidens vel determinans, nisi quod omnia et singula velim facere propter amorem Domini mei. Quæ intentio dein e mente evanescet. Bona quæ per decursum diei cogitabo, loquar, agam, varii generis, diversis

(1) Ita Scheeben : « der Gerechte könne auch in solchen Werken, in welchen die Liebe *nicht das treibende*, sondern *bloss das ordnende Princip* ist, das Gebot der vollkommenen Relation (auf Gott) erfüllen ». Cf. Ernst, *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*. p. 104.

in adjunctis, ob alia et alia motiva particularia, possuntne dici *orta et causata* ex primordiali illa intentione ? non ; nam supponi possunt effici, etiamsi hæc intentio non formata fuerit. Vere tamen habentur *Deo oblata, consecrata, in Deum ordinata,* vi illius intentionis præteritæ : secus enim hujusmodi oblatio vana prorsus esset et nihil significaret.

Aliud exemplum accipiatur a S. Bonaventura (1). Doctor Seraphicus, qui relationem virtualem stricto sensu intelligit, istam dicit applicari « viris religiosis, qui in principio ex charitate devoverunt portare religionis pondus : quidquid enim faciunt quod ad religionis suæ observantiam spectat, ex prima intentione est eis meritorium ad salutem, nisi forte (quod absit) contraria intentio superveniat. In aliis autem, quæ ad religionem non spectant, secus est, quia illa intentio non se extendit ad alia habitualiter (i. e. virtualiter) : et ideo non est parvæ securitatis et utilitatis religionem intrare. » Hoc idem exemplum apud Laymann (2), alium patronum relationis virtualis strictæ, invenitur. Porro, quod religiosus omnibus actibus vitæ religiosæ mereatur vi initialis suæ, non renovatæ, intentionis charitatis, id profecto explicandum non est, quasi singuli illi actus ex hac intentione ut effectus ex causa provenirent, ita ut absque illius influxu non exercerentur, — hoc enim non videtur verum ; sed potius hoc modo explicandum est, quod religiosus præterita illa intentione, i. e. votis religionis ex charitate factis, se suaque omnia Deo devoverit atque consecraverit : « quemadmodum etiam in humanis, addit bene ipse Laymann, si quis opus aggrediatur in principis viri obsequium ac honorem : quæcumque in illo opere perficiendo veluti necessaria agit, princeps remunerare debet, tanquam quæ sui gratia facta sunt. » Opera illa, quamvis nequeant dici prævia intentione causata, vere tamen dicuntur

(1) *In II Sent.*, Dist. XLI, a. 1, q. 3, in finem.
(2) *Op. cit.*, L. II, Tr. III, C. I, n 5.

Deo consecrata, in ipsum ordinata. Ecce distinctio quam posuimus.

Simile quid notari potest, licet casus non sit idem, quoad applicationem specialis fructus S. Sacrificii Missæ a sacerdote faciendam. Theologi fere communiter docent sufficere applicationem semel habitam et non revocatam, si certus numerus Missarum, v. g. 100, ad eamdem intentionem successive celebrantur (1). Ipsa Missarum celebratio non causatur ut suppono, intentione illa quæ exoneranda est ; applicatio semel initio facta postea nequidem menti occurrit, et sola devotio sacerdotem ad Sacrificium offerendum movet. Attamen fructus 100 Missarum subsequentium dirigitur vi intentionis præviæ. Ratio est, observant auctores, quia applicatio hæc fit per modum donationis, qua semel facta et non revocata fructus oriundi ex Missis quæ celebrantur alicui obvenient. Nonne in hoc casu analogia existit cum præsenti quæstione ?

II. Quodsi petas quomodo concipiatur illa *ordinatio virtualis* operum, quæ non sit virtualis causalitas, respondemus eam esse determinationem quamdam relictam ex prima intentione, aliquod dictamen ortum ex primo dictamine, vi cujus opera exerceantur in amorosum obsequium Dei, determinentur ac specificentur ut oblationes amicabiles Deo factæ. Quæ determinatio, quod dictamen percipiendum est ut aliquid vere in voluntate perseverans, licet hic et nunc cogitationi non occurrat : cujus realis persistentiæ signum, indicium et argumentum est, si quis, sui compos et moraliter agens, in ea animi dispositione versetur, ut serio reflectens supra se vel interrogatus quare hoc vel illud opus agat, tandem et ultimo, post data forsan alia motiva particularia, respondeat se agere propter Deum, ad complacendum Deo, vel simile quid includens explicite vel implicite motivum charitatis.

(1) Cf. S. Alphonsus. *Theologia moralis*, L. VI, Tr. III, n. 335. — Hujusmodi applicationem solent appellare *habitualem*, quidam dicunt *virtualem*.

Si res ita intelligitur, negari non potest ordinationem operum virtualem esse : videlicet præcedens intentio, quando e mente evanescit ut *explicita* intentio, relinquit aliquam virtutem, aliquam determinationem, aliquam dispositionem, quæ sufficit ut opera, si fiant, in Deum dirigantur.

Hæc dispositio non est hypothetica et conditionalis, ut objicit Suarez (1), sed est realis et absoluta : quod vel ipsa experientia constat. Est implicita, ultro concedimus ; quod tantum fiat explicita per reflexionem vel interrogationem, non probat eam esse fictitiam. Talis arguendi modus in Theologia morali duceret ad multas conclusiones reprobandas : ita enim negari potest quæcumque sive intentio sive attentio virtualis (2).

Nec verum est quod idem doctor opponit, perinde esse hic et nunc in ordine ad præsentem operationem, ac si præcedens actus non præcessisset et tantum existeret habitus charitatis, quia præteritus actus solum manet in habitu, quem fortasse auxit. Nam, etiamsi dicatur, cum sententia extrema, intentionem universalem præviam prorsus æquiparari actui juridico donationis vel consecrationis, negari tamen non potest opera subsequentia alium prorsus aspectum moralem acquirere ac si intentio illa non præcessisset : Deo enim consecrata et oblata sunt. Sed præterea affirmandum est, in sententia nostra, ordinationem illam præcedentem relinquere veram aliquam determinationem seu dispositionem, utut implicitam et quasi dormientem, quæ certis in adjunctis reviviscet ac manifesta fiet, quæque eo vivacior erit quo ex intensiore actu charitatis dimanaverit.

(1) *De Gratia*, L. XII, c. 10, n. 5.

(2) Simile docet S. Thomas de pœnitentia virtuali circa peccata venialia : « Unde sequitur, dicit, quod requiratur quædam virtualis displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, *ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret* » (III^a, q. LXXXVII, a. 1, c. — Idem est de intentione ministri in conferendis sacramentis, de attentione in oratione, et sic porro.

Proinde non omnino accurata est comparatio quam patroni extremæ sententiæ desumunt ab arbore fructifera quæ donatur vel venditur amico, quæque exinde amico fructificabit. Charitas virtualiter ordinans actus bonos quos non causat, plus facit quam semel pro semper actus bonos donare Deo ; relinquit aliquam animi dispositionem qua justus, implicite saltem, vult Deo ut ultimo fini inhærere, pro Deo tandem aliquando operari.

In hoc igitur extrema sententia modum excedit, quod ordinatio charitatis nihil aliud videatur quam *actus quasi juridicus*, scil. quædam totalis bonorum operum donatio seu consecratio, semel Deo facta, valens donec actu contrario retractetur, sed nihil prorsus post se relinquens nisi nexum quemdam juridicum actionum nostrarum cum Deo.

Insuper modum excedit, uti supra jam observavimus, eo quod hujusmodi actui donationis *effectum indefinitum*, puta pro toto decursu vitæ, attribuat : et sane, si notio ordinationis actu juridico donationis absolvitur, nihil obligat ut quandoque renovetur ; effectus ejus durabit donec positive retractabitur. Atvero, si reipsa determinatio aliqua relinquitur ex prima intentione, si aliqua dispositio animi manet, uno verbo, si admittitur vera ordinatio virtualis, practice loquendo effectus ordinationis præviæ non erit indefinitus.

Abstracte quidem consideratus, hic effectus per se cessare vel destrui *numquam* debet. — Non cessabit, cessante ipsa prima intentione ; non enim pendet ab ejus continuatione ; alias, cessante actuali cogitatione aut recordatione ipsius primæ intentionis, cessaret statim virtualis intentio, quod nemo admittit, et cujus contrarium patet experientia : sic ille qui intendit ire Romam, non oportet ut per totam viam de Roma cogitet, et tamen vi intentionis perveniendi Romam iter prosequitur. — Non cessabit ipso temporis longo decursu :

quum enim sit quid spirituale, non pendet a tempore (1).

Si autem *practice*, juxta realitatem vitæ humanæ, consideratur, illa dispositio post primam intentionem virtualiter perseverans corrumpetur et evanescet, nisi identidem prima ordinatio renovetur : quod constat ipsa psychologia humana. Spectata enim instabilitate mentis et infirmitate voluntatis, homo in tam varias intentiones variis vitæ adjunctis trahitur, ut vix fieri possit quin, post tempus plus minusve longum, primæ intentionis penitus obliviscatur eique valedicat. Sic S. Thomas docet de habitibus generatim, quod « diminuuntur vel etiam tolluntur totaliter per diuturnam cessationem ab actu, ut patet etiam in scientia et virtute » (2).

Diximus signum et indicium perseverantis ordinationis virtualis haberi, si quis, post reflexionem vel interrogationem, ut ultimum operandi motivum tradat motivum ad charitatem pertinens. Sane tale responsum dabit omnis christianus, in gratia sanctificante vivens, obligationes vitæ christianæ adimplens, qui saltem identidem, quando præcipitur, actum charitatis exercet. Sed supponas, per impossibile, — quod supponit sententia extrema, — illum per 20, 50 vel 70 annos, post primam bonam intentionem, numquam de Deo vel de charitate cogitare ; putasne tale responsum post tam diuturnum tempus ab ipso datum iri ? Practice non videtur probabile. Unde quasi experimentaliter demonstratur necessitas aliquando renovandi intentionem actualem, ut persistat ordinatio virtualis.

III. Nostra sententia inde etiam commendatur, quia devitat difficultates quibus vidimus alias opiniones offendere.

Non imponit onus importabile vitæ christianæ. Agnoscit quidem atque confirmat præceptum, quod speciatim eos, qui sunt in amicitia Dei, obligat ad sæpius explicite vel implicite

(1) Cf. BILLUART. *Cursus theologiæ universalis. Tract. de ultimo fine,* Diss. I, art. V.

(2) Iª IIæ, q. LIII, a. 3.

actum charitatis eliciendum. Sed nullum novum præceptum inducit ; nam obligatio identidem actu ordinandi opera bona in Deum, vel coincidit cum illo præcepto charitatis, vel saltem abunde adimpletur eidem satisfaciendo.

Deinde admittit et facile declarat omnia bona opera justi esse meritoria, et nulla esse ad salutem indifferentia. Etenim qui charitatem habet et præcepta charitatis adimplet, eo ipso opera sua in finem ultimum ordinat et meritoria facit.

Unde qui christiane vivunt, sufficienter opera sua in Deum referunt ut sint meritoria ; qui vero essentialia vitæ christianæ præcepta non adimplent, a gratia decidunt et proin non jam mereri valent.

De duobus casibus specialibus, in quibus explicatio hujus regulæ difficilior est, infra sermo erit.

IV. Sed quæri potest, an hac sententia salvetur et sufficienter declaretur doctrina, quam certo tenendam probavimus, circa charitatem qua formam virtutum et actuum virtuosorum. Respondemus affirmative.

Quid enim velit hæc doctrina ? Idipsum quod hic statuimus, nempe charitatem esse principium *ordinans ad finem ultimum*. Audiamus rursus S. Thomam, ad quæstionem « utrum charitas sit forma virtutum » : « Respondeo dicendum quod in moralibus forma actus attenditur principaliter ex parte finis. Cujus ratio est quia principium moralium actuum est voluntas ; cujus objectum et quasi forma est finis. Semper autem forma actus consequitur formam agentis. Unde oportet quod in moralibus id, *quod dat actui ordinem ad finem, det ei et formam*. Manifestum est autem... *quod per charitatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem ;* et *secundum hoc* ipsa dat *formam actibus omnium aliarum virtutum : et pro tanto dicitur esse forma virtutum ;* nam et ipsæ virtutes dicuntur in ordine ad actus

formatos » (1). Qua doctrina, ut patet, plene verificatur sententia proposita.

Et si objicitur, actum a charitate virtualiter tantum ordinatum non posse ab ea novam formam accipere, quia talis ordinatio est et manet extrinseca actui eumque constitutive non ingreditur, respondemus : hæc objectio, si quid valeat, pariter opponenda est sententiæ quæ relationem virtualem restringit ad *causalitatem* virtualem ; nam etiam cum actus ex imperio charitatis producitur, non intrinsece modificatur informatione charitatis ; sive accipiatur causalitas virtualis, sive mera ordinatio virtualis, in utroque casu dicendum est formam quam charitas imponit, esse actui extrinsecam. Charitas nullatenus imponere potest actibus virtuosis formam intrinsecam seu constitutivam : quia tunc charitas non jam specifice distingueretur ab aliis virtutibus. Eis tantum imponere potest formam extrinsecam, quatenus eos ordinat ad finem suum. En doctrina manifesta Angelici (2), quæ in Quæstione II vindicata est.

Dr Ernst, ubi critice discutit argumenta a P. Müllendorff in favorem sententiæ extremæ posita (3), præcipuas difficultates inde movet, quod hæc theoria nullatenus explicat quomodo bona opera ex ordinatione charitativa acquirant relationem *intrinsecam* et immediatam ad finem ultimum ; nec quomodo acquirant *in se* valorem meritorium proprium *juxtapositum valori charitatis ;* nec quomodo tandem, quamvis sub eodem actu charitatis posita, varia bona opera habeant *diversum valorem meritorium juxta diversam perfectionem suam propriam.*

Profecto, hæc non explicantur, nec explicari debent : quia simpliciter negari possunt. Non est verum, bona opera per actum charitatis habere ad finem ultimum relationem in-

(1) IIa IIæ, q. XXIII, a. 8. c.
(2) *Ib.*, ad 1 ; *De veritate*, q. 14, a. 5, ad 1.
(3) *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, p. 99-112.

trinsecam et formalem ; sic oporteret ut sint veri actus charitatis ; relatio vero est extrinseca et mediante charitate. Non est verum, bona opera continere valorem meritorium in se, independenter a valore charitatis, sed meritum quod eis debetur a charitate habent et dependenter ab ea. Denique verum non est, varia bona opera, si sub eodem actu charitatis ponantur, meritum essentiale habere diversum juxta perfectionem suam intrinsecam : ea erunt æqualiter meritoria relate ad visionem beatificam, quæ eodem actu æqualiter ad eam ordinantur. Quæ omnia videsis supra demonstrata.

De mente Doctoris Angelici.

Videamus quænam sit hac in re mens Angelici.

Jam docentem audivimus non oportere ut intentio actualis sit semper conjuncta cuilibet actioni, sed sufficere ut aliquando actualiter omnes fines particulares in Deum referantur per actum charitatis, nempe quando obligat præceptum charitatis (1). Inde patet S. Thomam non stare cum sententia extrema, quæ tenet unicam ordinationem actuum universalem sufficere (2), nec cum sententia rigidiore quæ vult intentionem sæpius per diem esse iterandam.

Ab altera parte, secus ac S. Bonaventura et Scotus, statuit justum omnibus suis bonis operibus mereri. « Cum aliquis se ipsum, ait, ordinat in Deum, sicut in finem, in omnibus quæ propter seipsum facit manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est; unde *in omnibus mereri potest, si charitatem habeat* » (3). Et alibi : « Constat quod ille qui habet charitatem, se et omnia sua ordinavit in Deum, cui inhæret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se vel ad quodcumque aliud sui, meritorie agit, etiamsi actu de Deo non cogitet ; nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis in Deum. Sed hoc non potest esse quin sit peccatum saltem veniale. Ergo omnis actus habentis charitatem vel est meritorius, vel est peccatum, et nullus indifferens » (4). Et iterum : « Habentibus chari-

(1) *In II Sent.*, Dist. 40, q. I, a. 5, ad 6.

(2) Unde non est ad rem difficultas, quam S. Thomæ opponit ERNST (*op. c.*, p. 211-216), nempe psychologice fieri non posse quod ordinatio voluntatis in Deum ex prima intentione orta duret independenter a tempore, usque imo ad finem vitæ.

(3) *De charitate*, q. un. a. 11, ad 2.

(4) *De malo*, q. II, a. 5, obj. 11 quam concedit.

tatem, omnis actus est meritorius vel demeritorius » (1). — Inde deducere possumus ipsum non concipere ordinationem virtualem in sensu strictæ causalitatis, ut Bonaventura, Scotus, aliique illam intelligunt, quatenus actus meritorii a charitate causari seu produci deberent : nam si omnia bona opera sunt meritoria, et aliunde si ordinatio non est renovanda nisi quando obligat actus charitatis, non potest hujusmodi ordinatio fieri per strictam causalitatem, ut per se patet.

Quomodo igitur illam concipit ?

Plurimis in locis ordinationem actuum meritoriorum reducit ad *imperium* vel *motionem* charitatis : juxta ipsum, charitas *imperat* ceteris virtutibus, *movet* ceteras virtutes. Hæ locutiones evidenter significant aliquem influxum charitatis in actus virtutum. Sed non significant talem influxum quo actus virtuosi vere producantur et suscitentur, ita ut sine imperio seu motione charitatis simpliciter non existant. Profecto talem influxum charitas exercere potest et sæpe exercet ; at imperium seu motio charitatis, ad mentem D. Thomæ, in sensu latiore percipiendum est. Indicat influxum non solum respectu productionis actus virtuosi, sed etiam præcisive respectu ordinationis ipsius in Deum ultimum finem supernaturalem.

Charitas enim imponit actibus aliarum virtutum *formam*, quatenus eis dat ordinem ad finem ultimum (2). Charitas dicitur *finis* aliarum virtutum, quia eas ordinat ad finem suum (3) ; dicitur *mater* et *radix* earum, in eodem sensu ac forma, « inquantum est omnium virtutum forma » (4) ; dicitur *motor* earum, quia omnes alias virtutes ordinat ad finem suum : et in hoc sensu, addit Angelicus, dicitur *imperare* actus omnium virtutum et *movere* eas (5). Hæc verba alibi in eodem sensu explicat : « secundum hoc dicitur *imperare* actus inferiorum virtutum, secundum quod facit eas *operari propter finem suum... ;* unde charitas etiam omnes alias virtutes *ad suum finem movet*, et secundum hoc dicitur actus earum imperare » (6). Et adhuc : « Cum charitas *imperet* omnibus virtutibus, sicut voluntas omnibus potentiis, oportet quod quidquid ordinatur in finem alicujus virtutis, ordinetur in finem charitatis ; et cum omnis actus bonus ordinetur in finem alicujus virtutis, *in finem charitatis ordinatus* remanebit, et ita meritorius erit » (7). In alio loco, ubi *forma* charitatis in actu bono, scil. ordo ejus ad ultimum finem exhibetur ut *perfectio quæ superadditur actui*, manifeste exhibetur existentia operis virtuosi ut logice prior ordinatione ejus in finem charitatis : « In moralibus contingit in actu considerare aliquam perfectionem alii superadditam, ex quarum unaquaque dicitur actus bonus ; et si aliqua illarum perfectionum desit, deerit

(1) *Ib.*, ad 7.
(2) IIa IIæ, q. XXIII, a. 8, corp., ad 1. Cf. supra p. 35 s.
(3) *Ib.*, ad 3.
(4) Ia IIæ, q. LXII, a. 4, c.
(5) *De charitate*, a. 3, c.
(6) *In III Sent.*, Dist. 27, q. 2, a. 4, sol. 3.
(7) *In II Sent.*, Dist. 40, q. 1, a. 5.

bonitas, quæ est secundum perfectionem illam. Verbi gratia : omnis actus, in quantum est actus, habet quandam essentialem bonitatem, secundum quod omne ens bonum est ; sed in aliquibus actibus superadditur quædam bonitas ex proportione actus ad debitum objectum, et secundum hoc dicitur actus bonus ex genere ; et ulterius ex debita commensuratione circumstantiarum dicitur bonus ex circumstantia ; et sic deinceps, quousque perveniatur ad ultimam bonitatem, cujus humanus actus est susceptivus, quæ est ex ordine in finem ultimum per habitum gratiæ et charitatis... et hæc est bonitas, secundum quam actus meritorius dicitur » (1). Ex his omnibus patet *imperium* seu *motionem* charitatis, ad mentem Angelici, non restringi ad strictam causalitatem efficiendi, sed importare latiorem sensum *mere ordinandi ad finem ultimum.*

Porro, influxus quo charitas dicitur ordinare actus virtuosos, concipitur a S. Thoma ut influxus realis. Hoc indicant vel ipsa verba quibus utitur : *imperare, movere, dirigere.* Postquam actus charitatis ut explicitus actus ordinationis cessavit et de eo jam non cogitatur, manet virtualis intentio seu ordinatio. « Cum aliquis se ipsum ordinat in Deum, sicut in finem ; in omnibus quæ propter se ipsum facit manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est ». Hæc virtualis intentio ita realiter perseverat, sicut virtus primæ causæ efficientis perseverat in causis sequentibus : « Sicut in causis efficientibus virtus primæ causæ manet in omnibus causis sequentibus, ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis ; unde quicumque actu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem ; sicut medicus, dum colligit herbas actu, intendit conficere potionem, nihil fortassis de sanitate cogitans ; virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat » (2). Ideo actus ordinationis dici potest *conjungi singulis operibus*, non quidem actu, sed *virtute* : « Aut ita intelligitur) quod *actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuilibet*, non quidem in actu, sed *in virtute*, secundum quod virtus primæ ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut et virtus finis ultimi manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis ; et sic adhuc præceptum est, et contingit omissionem ejus esse venialem vel mortalem » (3). Et alio in loco : « Oportet quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est charitas vel Deus, et quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit, ita quod *rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur* ; ut patet in exemplo quod Avicenna ponit de artifice, qui, si, dum opus suum exercet, semper de regula artis cogitaret, multum in opere impediretur ; sed sicut prius excogitavit per regulas artis, ita postmodum operatur, et sic in opere rectitudo artis salvatur » (4).

(1) *In II Sent.*, Dist. 41, q. 1, a. 2.
(2) *De charitate*, q. un., a. 11, ad 2.
(3) *In II Sent.*, Dist. 40, q. 1, a. 5, ad 7.
(4) *In II Sent.*, Dist. 38, q. 1, a. 1, ad 4.

Hi et similes textus explicari non possunt, nisi admittatur hominem per actum charitatis vere constitui, juxta S. Thomam, in perseverante determinatione voluntatis, in habituali dispositione animi, vi cujus vult omnia sua opera propter Deum facere, etsi hujus intentionis hic et nunc non est conscius. Omnis actus qui in illa animi dispositione efficitur, participat perfectionem voluntatis a charitate ordinatæ, ordinatur ipse ad Deum (1). Charitas tribuit voluntati, et proinde actibus bonis voluntate factis, tendentiam in Deum (2). Inde etiam declaratur vox *habitualis* qua nonnumquam illam dispositionem permanentem Angelicus significat. « Opera nostra, ait,... propter ipsum (Deum) facienda ; non quod quamlibet operationem oporteat semper actualiter referre in Deum, sed sufficit, ut *habitualiter in Deo constituant finem suæ voluntatis* » (3). — « Dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere : uno quidem modo in actu, id est, ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur, et ista est perfectio patriæ ; alio modo, ut *habitualiter totum cor hominis in Deum feratur*, ita scilicet quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat, et hæc est perfectio viæ » (4). — « Cum illud præceptum Apostoli (I Cor. X, 31) sit affirmativum, non obligat ad hoc quod semper observetur in actu. Observatur autem semper *in habitu, quamdiu homo habitualiter habet Deum sicut ultimum finem* » (5).

Qui hæc loca allegant ad probandum relationem stricte habitualem seu habitum charitatis sufficere ut opera sint meritoria, manifeste mentem Angelici non percipiunt, imo ipsi insigniter contradicunt (6). Luculenter enim ex dictis constat, ab ipso requiri virtualem saltem relationem, quæ fit sub influxu prævii actu

(1) *In III Sent.*, Dist. 27, q. 2, a. 4, sol. 3.

(2) *De potentia*, q. VI, a. 9, ad 3.

(3) *In I Sent.*, Dist. 1, q. 3.

(4) IIa IIæ, q. XLIV, a. 4, ad 2.

(5) *De malo*, q. VII, a. 1, ad 9. Cf. Ia IIæ, q. LXXXVIII, a. 1, ad 2.

(6) Vocem *habitualis* S. Thomas non semper in eodem sensu adhibet :

a) Sæpius ea utitur *in sensu proprio et stricto ad designandum merum habitum* ; et hunc sensum aperte excludit ut *insufficientem*. Audiatis : « aliud est habitualiter referre in Deum, et aliud virtualiter. Habitualiter enim refert in Deum et qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens ; sed virtualiter aliquid referre in Deum, est agentis propter finem ordinantis (*al.* ordinatum) in Deum. Unde habitualiter referre in Deum, non cadit sub præcepto ; sed virtualiter referre omnia in Deum, cadit sub præcepto charitatis, cum hoc nihil aliud sit quam habere Deum ultimum finem » (*De charitate*, q. un., a. 11, ad 3 ; coll. ad 2, ubi relatio virtualis clare explicatur). — « Non sufficit *omnino habitualis* ordinatio actus in Deum, quia ex hoc quod est in habitu, nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur » (*In II Sent.*, Dist. 40, q. 1, a. 5, ad 6). — « Ad hoc quod alicujus actionis finis sit Deus vel charitas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo vel charitate cogitet : nec iterum sufficit quod aliquis *in habitu tantum* Deum et charitatem habeat ; quia sic etiam actum peccati venialis aliquis in Deum ordinaret, quod falsum

charitatis virtualiter perseverante, non quidem ut actus bonus simpliciter producatur, sed ut omnis actus bonus qui producitur ordinetur in finem ultimum. Et hæc est sententia quam proposuimus.

---

est. Sed oportet quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est charitas vel Deus, et quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit, ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur ». (*In II Sent.*, Dist. 38, q. 1, a. 1. ad 4). Similiter quoad remissionem peccatorum venialium : « Sed hoc (ut homo actualiter peccatum detestetur) non requiritur ad remissionem venialium peccatorum ; non tamen sufficit *habitualis* displicentia, quæ habetur per habitum charitatis vel pœnitentiæ virtutis, quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Unde sequitur quod requiratur quædam virtualis displicentia... » (III^a, q. LXXXVII, a. 1, c.). Ceterum S. Thomam optime distinguere inter esse *actu*, *virtute*, et *habitu*, patet etiam textu desumpto ex suo commentario in Librum Sententiarum : « Actus... quandoque transit *actu* et manet virtute, sicut in exemplo de projectione lapidis patuit : et sic manere actum *in virtute* est quidam medius modus inter ipsum esse in habitu et in actu, quia quod *in habitu est, neque virtute neque per essentiam actus est* » (*In IV Sent.*, Dist. 15, q. 4, a. 2, sol. 4).

b) In aliis vero locis, ubi habitualis relatio ut sufficiens proponitur, vox *habitualis* manifeste significat vel includit ipsam *intentionem virtualem*. Quod juxta omnes commentatores evidens est quando loquitur de intentione requisita in ministro sacramentorum : « Licet ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen *intentionem habitualem*, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, puta cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia ; unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, *ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum* » (III^a, q. LXIV, a. 8, ad 3). Idem patet ex loco opusculi *De malo* (q. II, a. 5, obj. 11) : « Ad hoc quod aliquis sit actus meritorius in habente charitatem, non requiritur quod actu referatur in Deum, sed sufficit quod actu referatur in aliquem finem convenientem, qui *habitu* refertur in Deum. » Qualis sit hæc relatio quam vocat habitualem, vide in contextu : « Sicut, pergit, si aliquis volens peregrinari propter Deum, emat equum, nihil actu de Deo cogitans, sed solum de via quam jam in Deum ordinaverat : hoc est enim meritorium. Sed constat quod ille qui habet charitatem, se et omnia sua ordinavit in Deum, cui inhæret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se vel ad quodcumque aliud sui, meritorie agit, etiamsi actu de Deo non cogitet ». Hæc relatio *habitualis*, ut liquet ex comparatione adhibita et ex eo quod præsupponitur actus ordinationis formalis, revera est relatio *virtualis*. Et idem dicendum de locis in textu nostro citatis, ubi habitualis relatio generali modo contradistinguitur ab actuali, et ubi ceteroquin innuitur aliquid activum ex parte hominis : « Habitualiter in Deo *constituat* finem suæ voluntatis » ; « habitualiter totum cor hominis in Deum *feretur* ».

Unde sicut in uno loco scribit : « Quod omnia *virtute* referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur ». (*De charitate*, a. 11, ad 2) ; ita in alio loco dicit : « Non est necessarium, quod omnia in Deum referantur actu, sed *habitu* » (*In Col.* III, lect. 3).

ARTICULUS V

Difficultates quædam solvuntur.

Sententia quam propugnamus indirecte confirmatur examinando quasdam difficultates quæ ipsi opponuntur, et quæ in præcedentibus paginis nondum præoccupatæ fuerunt.

I. Nonnulli theologi, post Vasquez, Suarez (1), Ripalda (2), magni faciunt argumentum desumptum ex comparatione justi qui actum charitatis elicit, cum homine gentili qui actu idololatriæ se suaque omnia idolo dicavit. Si justus, aiunt, eo ipso quod semel actum charitatis exercuit, omnia sua opera futura habeat ad Deum ordinata et meritoria, a pari sed e contrario omnia opera gentilis etiam naturaliter bona, v. g. eleemosyna ex misericordia data, erunt relata ad idolum et proin demeritoria. Atvero damnatum est opera bona infidelium esse peccata.

R. Huic argumento, quod speciatim extremæ sententiæ objicitur, plerumque respondetur ipsam comparationem non valere : quod responsum diverso modo explicatur.

Alii dicunt infidelem retractare prædictam idololatriæ ordinationem, *eo ipso* quod postea bene operetur ; atque ita actus sequentes non amplius referri in obsequium idoli, nisi eadem ordinatio repetatur.

Alii replicant illam ordinationem, quamvis actualem vel virtualem, non obstare quin opus per se bonum moralem suam bonitatem intrinsecam conservet, quia finis operis boni per se non subordinatur fini idololatriæ sicut subordinatur fini ultimo charitatis.

Neutrum responsum plene satisfacit. Non putamus comparationem sine distinctione recusari posse.

(1) *De gratia*, L. XII, c. 10, n. 5.
(2) *De ente supernaturali*, Disp. 90, n. 42.

Gentilis qui se idolo consecravit, si et quamdiu ita dispositus maneat ut opera sua virtualiter ad idolum referat, certissime videtur illis operibus quantumvis aliunde bonis peccare : actus enim ejus vitiantur ordinatione virtuali ad finem malum. Nec verum est bonitatem moralem actuum in se permanere, non obstante illa ordinatione : nam bonum est ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu ; unde si finis malus est, actus jam dici non potest in se bonus, quamvis ex objecto et circumstantiis malitiam non habeat. In hoc sensu comparatio verum continet.

Neque id repugnat doctrinæ fidei, nam hæc debet intelligi de operibus quæ sunt bona secundum omnia principia bonitatis naturalis, scil. secundum objectum, circumstantiis et finem. Ad rem faciunt hæc D. Thomæ verba : « Actus alicujus charitate carentis potest esse duplex : unus quidem secundum hoc quod charitate caret, utpote cum facit aliquid in ordine ad id per quod charitate caret ; et talis actus semper est malus : sicut Augustinus dicit, quod actus infidelis, *in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat*, vel quidquid aliud hujusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis » (1).

At de facto illa conditio ordinarie non verificabitur.

Quando paganus opus misericordiæ, v. g. nudum operire, exercet, non est præsumendus illud ad idolum referre, nisi explicite velit. Etenim opus naturaliter bonum per se refertur ad finem bonum, et non refertur ad finem malum nisi positiva intentione contraria. Opus misericordiæ se habet relate ad præcedentem actum idololatriæ modo contrario, sicut bonum se habet ad malum. Ergo qui bonum operatur, dicendus est implicite *renuntiare* intentioni malæ, et non dicendus est implicite eam adimplere. Econtra, justi eleemosyna se habet ad præcedentem actum charitatis, non modo

(1) IIa IIæ, q. XXIII, a. 7, ad 1.

contrario, sed ut bonum per se referibile ad ultimum bonum : proinde justus qui tribuit eleemosynam, agit sub ordinatione virtuali primæ suæ intentionis, nisi dispositio relicta paulatim evanuerit vel positive retractata fuerit. In hoc igitur sensu, practice ordinario, comparatio falsa est.

Notatu dignum est principium a Billuart positum : « Non est necesse quod (intentio virtualis) influat in omnia opera deliberata, vel quia forte non sunt in suum finem referibilia, ut patet in justo peccante venialiter, vel quia fiunt ex motivo contrario huic intentioni, ut in infideli faciente eleemosynam ex motivo honestatis misericordiæ, non cogitando de idolo, sicut v. g., quamvis intentio eundi Romam virtualiter permaneat in eo qui in hunc finem aggressus est viam, si tamen aliquando curiositatis causa deflectat a via, non est ex influxu hujus intentionis virtualiter permanentis, sed præter eam » (1).

II. Si ordinatio virtualis, qualis explicata est, sufficiat ad meritum, sequitur quod dari non possit in justo *actus otiosus*, i. e. venialiter malus utpote inutilis et carens bono fine, quum omnes ejus actus referantur in finem charitatis : quod nullus asserere audebit.

R. At hoc non sequitur. Nam actus otiosus attenditur ex fine proximo qui non sit bonus. Atqui hoc ipso quod non habet finem proximum bonum, non est referibilis in Deum, finem ultimum, nec attingi potest ordinatione virtuali charitatis ; et sic remanet venialiter malus. Si autem actui assignatur finis proximus bonus, v. g. si actui egrediendi in agrum proponitur finis sanitatis, vel studii, vel contemplationis Dei, hujusmodi actus non jam otiosus erit, sed omnino bonus ; unde referibilis in finem charitatis (2).

(1) *De ultimo fine*, Diss. I, art. V.

(2) Cf. SALMANTICENSES, Tr. XVI *De Merito*, Disp. IV, n. 106 ; — BILLUART, *Tract. de gratia*, Diss. VIII, art. 4, obj. 2.

III. Tandem examinanda est difficultas quam J. Ernst valde urget contra Angelicum (1).

Hujus sententia, inquit, reipsa non salvat fidei principium quod docet omnia bona opera justorum esse meritoria vitæ æternæ. Etenim, posita hac sententia, in duplici casu, nullatenus metaphysico sed multum practico, homo qui versatur in gratia sanctificante non meretur bene agendo. Nimirum a) puer baptizatus, qui usum rationis adeptus est ita ut moraliter bene operari possit, nulla merita ad vitam æternam colliget, donec actum charitatis elicuerit seu opera sua in Deum ordinaverit. — b) Similiter adultus qui, post mortale peccatum, per solam attritionem suscepto sacramento justificatur, non habebit merita antequam formalem actum charitatis vel ordinationis in Deum exercuerit.

R. Adverte imprimis, ut supra ostendimus (2), hic oppositum principium non probari ita absolutum ut ne ullam quidem exceptionem patiatur. Profecto admittenda est saltem ut *norma communis* doctrina quam S. Scriptura atque Traditio de merito bonorum operum passim inculcat. Exceptiones utique adstruendæ non sunt, nisi aliunde demonstrentur necessariæ ; quodsi quædam sententia, validis omnino rationibus confirmata, secum ferat conclusionem practicam qua regula illa in quibusdam adjunctis accidentalibus infringatur, propter hanc solam considerationem rejici non potest. Aliud prorsus est, si continuo, et quidem pro justis passim, regula labefactaretur, ut in aliis opinionibus manifestum est : tunc enim principium ipsum evellitur, et fidei doctrinæ contradicitur. Unde, rigorose loquendo, objectio absque detrimento sententiæ propositæ simpliciter concedi posset : ambo enim illi casus rite intellecti manebunt semper casus exceptionales.

Et si objectio simpliciter concederetur, sententia nostra

(1) *Op. cit.*, p. 201-211.
(2) Cf. p. 217 s.

aliis longe prævaleret, quatenus regulam multo melius quam aliæ observat et salvat. Aliæ enim, uti vidimus, vel occasionem peccatorum venialium multiplicant, fingendo præceptum quasi continuo renovandi intentionem charitativam, cujus omissione multa opera ceteroquin bona vitiarentur ; vel, cum admittant intentionem virtualem in stricto sensu, multos prorsus actus bonos, per totam vitam christianam, et pro justis universim, indifferentes reddunt ad vitam æternam. Quo vitio inficitur ipsa theoria a Suarez inventa et hodiedum multum vulgata : enimvero si ad meritum requiratur intentio supernaturalis fidei hic et nunc actui conjuncta, sane practice loquendo multa bona opera justorum merito carebunt ; quidquid dicatur de facilitate talem intentionem eliciendi, experientia uniuscujusque constat sæpe sæpius hujusmodi cogitationem supernaturalem actibus nostris non adhærere nec eos inspirare. Sub hoc igitur respectu, ceteræ theoriæ cedunt nostræ, cui duo tantum casus per modum exceptionis objici possent. Soli Vasquez, Salmanticenses, recenter J. Ernst, et qui eis consentiunt, utpote nullum actum prærequirentes, præsentem difficultatem eliminant ; sed eorum placita tam gravibus impugnantur rationibus ut probabilia non videantur.

At insuper, si utrumque casum melius inspicimus, videmus revera inde nullam desumi posse difficultatem.

Prior casus. — 1° S. Thomas, quem multi graves doctores sequuntur, docet hominem *a primo usu rationis* graviter obligari ad se convertendum ad Deum finem suum. « Ab aliis peccatis mortalibus, ait, potest puer incipiens habere usum rationis per aliquod tempus abstinere ; sed a peccato omissionis prædictæ (ordinandi seipsum ad Deum) non liberabitur, nisi, quam cito potest, se convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti,

est quod de ipso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem. Finis enim est prior in intentione. Et ideo hoc est tempus pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit : Convertimini ad me, et ego convertar ad vos » (1).

Admisso hoc principio, quod certe probabile est, objectio prorsus caret fundamento. Puer enim, si hanc obligationem a primo momento discretionis adimplet, opera bona faciet meritoria ; si non adimplet, ipsam charitatem perdet. Itaque S. Thomas perseveranter eandem sententiam tenet et applicat, scilicet : opera bona esse tantum meritoria ex ordinatione charitatis ; omnia opera bona justorum meritoria esse ; tandem hominem ab initio usus rationis obligari ad se suaque omnia in finem ultimum ordinandum. Elucet pulchra unitas et cohæsio doctrinæ. An hanc obligationem forsan excogitavit ex necessitate salvandi meritum *omnium* bonorum operum ? Non videtur ; nam argumentum stat in se, independenter a quavis alia consideratione.

Adde, hanc solutionem sub practico respectu nullatenus repugnare. Etenim puer supponi potest conscius prædictæ obligationis vel non. Si est conscius, evidenter eam implere tenetur ; si non est conscius, nonne signum est ipsum ratione nondum plene uti ? An conscientia de Deo agnoscendo et super omnia diligendo tam difficilis adeptu est ? Nonne econtra naturæ humanæ ita indita, ut ipso rationis lumine exoriente homini manifestetur, eo vel magis quod puer baptizatus capacitatem credendi et amandi, habitus nempe

(1) Ia IIæ, q. LXXXIX, a. 6, ad 3 ; cf. *De veritate*, q. 28, a. 3, ad 4 ; *De malo*, q. 5, a. 2, ad 8. — S. Thomas directe quidem loquitur de puero non baptizato et quærit num veniale peccatum possit consistere cum originali, sine mortali peccato ; sed principium quod ponit et argumentum valent pro omnibus ; omnes commentatores ita eum intelligunt. Cf. BILLUART *Tract. de peccatis*, Diss. VIII, a. 7, qui sententiam S. Thomæ declarat et vindicat ; it. BALLERINI, *Opus theologicum morale*, Tract. V, sect. II, n. 119-122, qui critice rem examinat.

fidei et charitatis, in anima gerat ? Agitur enim de puero christiano, qui obligationes christianas, sive decalogi sive alias, pro sua ætate et judicio cognoscit et adimplet, quum ex hypothesi moraliter bene agat. Nonne obligatio sese ad Deum ordinandi æque aperta et obvia est quam quævis alia ?

Ceterum, de facto, innumeri omnino pueri baptizati obligationem illam adimplent : nimirum omnes qui, in familia vel schola christiana educati, benedictum nomen Dei atque dulcissimum nomen Jesu jam ab orta loquela in corde et in labiis habent. Hi sane, quando primum ratione utentur, cum plena conscientia agnoscent et diligent quem jampridem inconscie amaverint. Unde pro illis certum est bona eorum opera esse meritoria ; et sic, etiamsi obligatio illa per se non omnibus usum rationem adipiscentibus immediate obvia esset, de facto tamen ab innumeris adimpletur.

2° Hodiedum moralistæ communiter ut certum habent, actum charitatis graviter obligare initio usus rationis (1) ; attamen plerique hoc accipiunt *cum aliquo temperamento* seu morali rerum æstimatione, ita scilicet quod puer, quum primum hanc obligationem percipiat, *non diu* differat eam implere ; gravitas autem hujus dilationis non est æstimanda præcise

(1) « Scio, observat Sporer (*op. cit.*, tract. II, n. 171), huic piissimæ sententiæ contradicere quosdam Scotistas et RR. communiter, nominatim Azor, Valentia, Suarez, Sanchez, Coninck, Castrop. eosque citans Tambur. cit. 1. 2. decal. C. 3 § 2, sed credo non contradicturos fuisse, si propositionem illam damnandam scivissent ». Alludit ad propositionem 1am damnatam ab Alexandro VIII (cf. Denzinger-Bannwart, n. 1289). Ceterum e propositionibus 1a ab Alexandro VII (*ib.* n. 1101), 5a, 6a et 7a ab Innocentio XI damnatis (*ib.* n. 1155, 1156, 1157), certum est præceptum charitatis valde sæpe per vitam obligare. Inde auctores concludunt, id obligare ab initio vitæ moralis : quia præceptum hujusmodi affirmativum diligendi Deum super omnia, quum indeterminatum sit quoad tempus et diem, intelligendum est obligare præsenti tempore quo homo, perfectum usum rationis assecutus, hujus obligationis primum capax fit. Cf. Billuart, *Tract. de peccatis*, Diss. 8, a. 7, § 1, prob. 2°. Revera, theologi a Sporer citati, quibus addi possunt Sylvius et inter veteres S. Bonaventura et Durandus, illis Pontificibus anteriores sunt. Post hoc tempus, principium positum a S. Thoma videtur communiter admissum, a pluribus tamen in sensu magis lato.

ex determinata aliqua differentia temporis, hora vel die, sed potius ex notabili negligentia, in qua plura sunt consideranda, nempe perfectio judicii, iterata propositio objecti, scil. Dei summe boni, summe amabilis, internæ notiones et inspirationes, et alia hujusmodi (1). Juxta hunc modum res concipiendi, fieri potest quod homo perveniens ad usum rationis per breve tempus quosdam bonos actus faciat qui non sint ad Deum ordinati. Hi actus proinde non sunt meritorii de condigno, saltem juxta principia generalia de merito ; nisi dicas Deum, ex pura liberalitate, velle eos acceptare in mercedem. Quod per se non repugnat : nam sunt meritorii *de congruo*, ut omnes actus cum gratia facti. Et præterea, si non valent ad præmium essentiale, valent saltem ad præmium accidentale, ut in Cap. II declaratum est.

Uno verbo, ad primum casum respondetur : certum est hominem, quamprimum ad usum rationis pervenit, teneri ad præceptum charitatis ; si hoc cum S. Thoma intelligitur stricto sensu, difficultas nulla remanet in objectione ; si accipitur morali sensu, considerandum est innumeros pueros de facto illud præceptum implere a primo momento discretionis, atque ceteros operibus bonis intra breve tempus factis colligere saltem merita de congruo relate ad salutem et de condigno relate ad mercedem accidentalem (2).

Alter casus : respicit adultum qui justificatur aliquo sacramento, puta pœnitentiæ, cum mera attritione suscepto. Sicut ad primum, ita hic duplex responsio dari potest.

1° Allegari potest sententia eorum qui volunt primo instanti justificationis actum contritionis perfectæ sive chari-

(1) Cf. Sporer, *l. c.*

(2) In hoc casu, si puer baptizatus moreretur postquam usum rationis adeptus est sed antequam inculpabiliter præceptum charitatis implevit, licet non haberet merita de condigno, certo salutem obtineret, ad minus per modum hereditatis ut omnes pueri baptizati, vel etiam per modum præmii ex mera liberalitate divina.

tatis eliciendum esse. Si id admittitur, profecto nulla relinquitur difficultas, quum actus ille sufficiat ad bona opera sequentia in Deum referenda.

Sed alio et alio modo id declarant. Quidam graves doctores censuerunt *actum attritionis* in sacramento pœnitentiæ *vi ipsius sacramenti* fieri *actum contritionis perfectæ*, eo ipso quod actus fiat gratia formatus et perfectus, quin mutetur intrinsece vel principium actus vel ejus motivum formale. In hoc sensu explicant notissimum axioma : ex attrito fit contritus (1).

Quæ opinio nondum omnino antiquata est. Nec stricte repugnat Concilio Tridentino, quod indicat attritionem sufficere ad obtinendam Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ (2) : hoc enim in aliquo sensu ipsi admittunt, sed addunt per infusionem habitus charitatis attritionem informari et perfici ita ut fiat actus charitatis, quemadmodum actus fidei informis per infusionem eandem fit actus fidei formatæ.

Atvero hæc interpretatio sustineri non potest, ut S. Thomas probat : « Dicendum, ait, quod super hoc est duplex opinio : quidam enim dicunt quod attritio fit contritio, sicut fides informis fit formata. Sed hoc, ut videtur, esse non potest ; quia quamvis habitus fidei informis fiat formatus, tamen numquam *actus* fidei informis fit *actus* fidei formatæ, quia actus ille informis transit et non manet, veniente charitate. Attritio autem et contritio non dicunt habitum, sed *actum* tantum ; habitus autem virtutum infusarum, qui voluntatem respiciunt, non possunt esse informes cum charitatem consequantur... Unde antequam gratia infundatur, non est habitus, a quo actus

(1) Cf. A. Beugnet, *Attrition* in *Dictionnaire de Théologie Catholique*, t. I, col. 2244 s., 2256 s.

(2) Sess. XIV, c. IV et can. 5. — De doctrina Concilii Tridentini cf. J. Périnelle O. P. *L'attrition d'après le Concile de Trente et d'après Saint Thomas d'Aquin*. Le Saulchoir, Kain, 1927. p. 40-69 ; et in alio sensu P. Galtier. *Amour de Dieu et attrition* (*Gregorianum*, IX, 1928, p. 399 ss.).

contritionis postea elicitur; et sic nullo modo attritio potest fieri contritio; et hoc alia opinio dicit » (1).

Alii volunt peccatorem in instanti justificationis non solum recipere gratiam et charitatem habitualem, sed etiam *elicere actum charitatis* : « quia gratia sanctificans cum charitate habituali non ipsi infunditur modo quasi mortuo, sed eam actu voluntario et libero recipit, et in amicitiam Dei voluntarie consentit ; hæc autem actualis et libera acceptatio gratiæ et in amicitiam Dei consensio, quid est aliud quam actus charitatis ex ipsa gratia sanctificante et habituali charitate in genere causæ efficientis consequens licet possit dici illam natura præcedere in genere causæ materialis et dispositivæ. » Ita Billuart (2).

Hoc, ut liquet, prorsus aliud dicit ac præcedens opinio : ipse actus attritionis non fit actus contritionis ; sed hic actus illi succedit, ut novus actus numerice et specifice ab illo distinctus. Billuart ad auctoritatem S. Thomæ provocat, et quidem, ut videtur, jure merito (3). « Motus liberi arbitrii, ait Angelicus, requiritur ad justificationem impii, secundum quod mens hominis movetur a Deo. Deus autem movet animam hominis convertendo eam ad seipsum... Et ideo

(1) Suppl. IIIæ partis q. I, a. 3, c. — Si falsum quidem est *attritionem fieri contritionem*, tamen vero sensu dici potest *attritum fieri contritum*. « Facile intelligitur, ita Rmus P. Billot, commune axioma ponens quod homo attritus, vi sacramenti, *ex attrito fit contritus*. Non quod *actus attritionis* possit postea fieri *actus contritionis ;* nam actus semel tantum procedit in esse, et ideo si semel processit ab eo qui nondum erat in statu gratiæ constitutus, numquam poterit fieri pœnitentiæ formatæ actus. Sed *ipse homo* qui ex actu attritionis præcedente *denominabatur* habitualiter attritus, nunc vi sacramenti justificatus *denominari debet* habitualiter *contritus*, utpote jam habens habitualem gratiam et charitatem per quam omnis informitas tollitur. » *De Ecclesiæ sacramentis*. T. II, p. 150. Ed. 6a Romæ, 1922. Cf. A. Beugnet *l. c.*, col. 2258.

(2) *Tract. de Sacramento Pœnitentiæ*, Diss. IV, art. 7, § II.

(3) Ita Angelicum intelligunt M. Buchberger, *Die Wirkungen des Bussakramentes nach der Lehre des hl. Thomas v. Aquino*, p. 181 ss. Freiburg i. B., 1901 ; J. Périnelle, *op. cit.*, p. 142 s. ; P. De Vooght, *La Justification dans le sacrement de pénitence d'après saint Thomas d'Aquin* (*Ephemerides Theologicæ Lovanienses*, V, 1928, p. 231 s., 253).

ad justificationem impii requiritur motus mentis quo convertitur in Deum. Prima autem conversio in Deum fit per fidem... Et ideo motus fidei requiritur ad justificationem impii... Motus fidei non est perfectus nisi sit charitate informatus ; unde simul in justificatione impii *cum motu fidei est etiam motus charitatis*. Movetur autem liberum arbitrium in Deum ad hoc quod ei se subjiciat ; unde etiam concurrit *actus timoris filialis* (qui est actus seu effectus charitatis) (1), et actus humilitatis » (2). Et rursus : « *Actus* et habitus *charitatis* simul sunt tempore cum actu et habitu pœnitentiæ, et cum habitibus aliarum virtutum. Nam, sicut in secunda parte habitum est (loc. cit.), in justificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei *per charitatem formatus*, et motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiæ » (3).

Hæc tamen sententia non potest cum certitudine probari. Etenim, dato quod in ipsa justificatione homo libero actu sese convertat ad Deum, se ipsi subjiciat, ejusque gratiam accipiat, nondum inde certo liquet hunc actum esse actum charitatis, seu amoris Dei super omnia ob bonitatem ipsius in se. Insuper dubium videtur, talem actum, si intelligitur distinctus ab attritione et motibus pœnitentiæ, vel jure requiri, vel de facto a multis pœnitentibus effici.

2° Ideo plerique moderni theologi jam non tenent, cum ipso instanti justificationis necessario conjungi actum charitatis seu ordinationis charitativæ in Deum. Sed admittunt hujusmodi actum *non diu* differri posse, quum præceptum charitatis, ut vidimus, sive ratione sui, sive ratione aliorum præceptorum implendorum, quemcumque justum frequenter obliget, eoque frequentius quo magis exponatur

(1) Cf. IIa IIæ, q. XIX, a. 9 et 10 ; q. XXII, a. 2, ad 2.
(2) Ia IIæ, q. CXIII, a. 4, corp. et ad 1.
(3) IIIa, q. LXXXV, a. 6, corp.

periculo peccandi, quod sane in pœnitente e peccatis renato verificatur. Præterea negare non possunt plurimos pœnitentes in ipso moraliter momento justificationis sese vero motu charitativo convertere ad Deum ad quem ut filii prodigi ex animo redeunt ; amicabilis enim et filialis affectus, gaudium de reditu quod pertinet ad charitatem, in corde eorum excitatur, sive in confessione, sive in actibus post confessionem, sive saltem occasione sacræ communionis quæ solet subsequi. Quorum igitur opera bona omnia erunt meritoria de condigno. Ceterorum bona opera inter breve tempus a justificatione ad primum actum charitatis posita, erunt ad minus meritoria de congruo et præterea valebunt ad præmium accidentale.

Ita redit solutio data ad primum casum : juxta unam sententiam, omnia prorsus bona opera sunt meritoria de condigno : juxta alteram, parvula quæ manet exceptio revera æstimabilis non est, et proinde etiam subsistit regula omnia opera bona justorum esse meritoria.

Conclusio. — Omnibus igitur tam argumentis quam difficultatibus consideratis, constat tenendam esse sententiam supra expositam, cui manifeste favet auctoritas Doctoris Angelici, et quæ sola doctrinam S. Scripturæ, SS. Patrum effata et cuncta principia theologica rite componit et perfecte declarat : nimirum, requiri ad meritum et sufficere, ut justus virtualiter opera sua bona in Deum ultimum finem supernaturalem ordinet, eliciendo identidem actum charitatis sive explicitum sive implicitum, saltem quoties præceptum charitatis obligat.

CAPUT IV

DE BONA INTENTIONE.

SUMMARIUM. — I. *Bona intentio, quam in omnibus nostris operibus habendam esse inculcat Apostolus, intelligenda est intentio charitativa, quæ est obligatoria in quantum virtualiter saltem omnes actus nostros ordinare debet. Præter hanc bonam intentionem, quæ adest eo quod impletur charitatis præceptum, aliud bonum propositum non probatur necessarium.*

II. *Summopere autem commendatur tum ut intentio charitativa quacum operamur, ab omni nævo amoris proprii purificata, simpliciter in solum Deum figatur, tum ut fervide quamque frequentissime renovetur, quo fiat habitualis ac permanens dispositio intimæ cum Deo unionis : talis est via perfectorum.*

ARTICULUS I

De bona intentione obligatoria.

S. Paulus scribit : « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite » (I Cor. X, 31) ; et rursus : « Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum » (Col. III, 17). Quæ monita Apostoli præbent Theologis moralibus et asceticis causam inquirendi an et qualis intentio actionibus nostris præesse debeat. Spectatis principiis positis, jam possumus accurate huic quæstioni respondere. Quæstionem autem consideramus tantum relate ad justos, non relate ad peccatores et infideles.

Imprimis dicimus *sine intentione supernaturali* opera nostra non esse plene et perfecte bona prout oportet, i. e. condigna vitæ æternæ : hoc probatum est contra eos qui solum habitum charitatis sufficientem ducunt.

Insuper, opera nostra non sunt præmio cœlesti condigna, nisi fiant cum intentione *ad charitatem pertinente.*

Per se non sufficit intentio sive ad fidem sive ad aliam virtutem infusam charitate inferiorem spectans, ut pariter demonstratum est in Capite I hujus Quæstionis. Verum non est quodcumque motivum supernaturale per se solum sufficere ad meritum essentiale, « sive motivum pertineat ad obedientiam fidei, sive ad fiduciam spei, sive ad cultum christianæ religionis, sive ad placandum Deum,... etiamsi ex altiori motivo, vel actu charitatis, neque actu neque virtute procedat » (1). Dico : *per se solum*, quod præcise vult ista opinio ; nam practice loquendo, verosimile est justum qui actu talem intentionem bonam sibi præfigit, sæpe agere virtualiter ex intentione charitativa, quatenus, ut notat ipse Suarez, facile « omnis supernaturalis affectus bonus virtute includit affectum et relationem charitatis » (2). Unde utiliter tales intentiones excitantur, quia practice conducunt facillime ad affectum charitativum.

Præterea non est verum hanc opinionem præferendam esse, quia modus operandi ex charitate nimis perfectus est nimisque difficilis pro christianis in communi spectatis : hoc non est, dico, quum intentio charitatis in justis, qui habitu charitatis informati et perfecti sunt, non sit magis laboriosa quam quævis alia intentio supernaturalis, præsertim si consideretur qualis intentio charitativa sufficiat. Econtra, procul dubio practice multo facilior est ac intentio alia inferior actualis et formalis quæ pro singulis bonis actibus requireretur.

Utrum autem hæc intentio charitatis de præcepto sit, an de consilio, utrum Apostolus præscribat, an exhortetur, multum quidem disputatur. Sane nihil prohibet quin verba

(1) SUAREZ, *De Gratia*, L. X, c. 10, n. 23.
(2) *Ib.*, n. 26.

sacra, in se spectata, in utrovis sensu intelligantur, saltem si affirmative accipiantur ; nam negative, quasi dicat : nihil faciatis contra gloriam Dei vel nomen D. N. J. C., manifesto per modum præcepti sumi debent.

Juxta alios auctores enuntiatur præceptum, juxta alios consilium ; si autem ratio utriusque interpretationis inquiritur, statim patet eam pendere a modo quo relationem operum in Deum concipiant. Quod liquet, v. g. conferendo explicationem traditam hinc a S. Thoma, illinc a S. Bonaventura : ideo juvat textus utriusque juxtaponere.

S. THOMAS (1)

« Hoc quod dicitur : Omnia in gloriam Dei facite, potest intelligi dupliciter, vel affirmative vel negative.

Si *negative*, sic est sensus : Nihil contra Deum faciatis, et hoc modo præceptum est ; et sic præceptum hoc præteritur vel per peccatum mortale, quod contra Deum fit, vel per peccatum veniale, quod præter præceptum et præter Deum fit.

Si autem intelligatur *affirmative*, hoc potest esse dupliciter : aut ita quod actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non quidem in actu, sed *in virtute*, secundum quod virtus primæ ordinationis manet in

S. BONAVENTURA (2)

« Ad illud ergo quod primo objicitur de illo verbo Apostoli : Omnia in gloriam Dei facite. Respondent aliqui quod est consilium, aliqui quod est præceptum, aliqui quod est finis præcepti, sicut illud : Diliges Dominum Deum tuum, etc. Omnibus autem prædictis modis, prædictus sermo potest intelligi. Potest enim accipi affirmative, vel negative. Et affirmative dupliciter : quia hoc signum, *omnia*, potest ibi teneri collective, vel distributive.

Si accipiatur *negative*, sic est præceptum, et tunc est sensus : Ita faciatis opera vestra, ut nihil faciatis contra gloriam Dei.

Si autem intelligatur *affirmative* :

(1) *In II Sent.*, Dist. 40, q. 1, a. 5, ad 7.
(2) *In II Sent.*, Dist. 41, a. 1, q. 3, concl., ad 1.

omnibus actionibus sequentibus, sicut et virtus finis ultimi manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis ; et sic adhuc *præceptum* est, et contingit omissionem esse venialem vel mortalem, sicut dictum est. Vel ita quod ordinatio actualis in Deum sit *actu* conjuncta cuilibet actioni nostræ et sic potest intelligi dupliciter, vel distributive, vel collective.

Si *distributive*, sic sensus est : quamcumque actionem facitis, melius est, si eam actu in Deum ordinetis ; et sic est consilium.

et hoc signum *omnia* teneatur *distributive* et divisim, tunc est consilium et admonitio. Admonet enim Apostolus secundum hunc sensum, quodcumque opus nostrum referamus in Deum, et de quolibet divisim possumus facere ; et utile est nobis, et expediens si faciamus. Nullum enim est opus deliberativum quod a nobis fiat, quod quidem non possumus facere propter Deum : et si hoc faceremus, melius faceremus, quam quando non referimus.

Si autem sumatur *collective*, sic est sensus : omnia opera vestra ita faciatis, quod nullum eorum sit, quin actu in Deum ordinetis ; et hoc nec præceptum nec consilium est, sed finis præcepti, ad quod per impletionem præcepti pervenitur ; sic enim Sancti in patria actus suos in Deum referunt Sciendum tamen, quod qualitercumque affirmative exponatur, non intelligitur nisi de operibus deliberatæ voluntatis ; quia illa tantum opera proprie nostra dici possunt. »

Si autem prædictus sermo teneatur affirmative : et hoc signum *omnia* teneatur *collective* : tunc nec est præceptum, nec consilium, sed finis præcepti et consilii. Ad hoc enim debemus tendere, et hoc desiderare quod omnes cogitationes nostras et affectus in Deum referamus : hoc autem tunc obtinebimus, quando Deum ex toto corde diligimus. Et sic patet, quod ex auctoritate illa non concluditur, quod aliquis peccet cum non refert opus suum in Deum actualiter. »

Itaque Angelicus in verbis Apostoli sensu affirmativo acceptis videt verum præceptum, quatenus relatio *saltem in virtute fieri debet*, Seraphicus autem nonnisi consilium. Undenam oritur hoc discrimen ? Ex eo nempe quod ille rela-

tionem virtualem omnium actionum possibilem et sufficientem æstimat ; hic vero, ut lectori patet, eam nequidem commemorat, quia relatio, qualem ad meritum necessariam fingit (1), præceptum practice importabile redderet. Quum autem relatio virtualis in sensu Angelici admittenda sit, obvium est verba Apostoli ut præceptiva interpretari.

Porro hoc præceptum non est nisi aspectus præcepti charitatis, a quo realiter non differt. « Sufficit, ita S. Thomas in eodem loco (2), quod aliquando actualiter omnes illi fines (proximi) in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere ; tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et si quæratur *quando oporteat actum referre in finem ultimum*, hoc nihil aliud est quam quærere *quando oporteat habitum charitatis exire in actum* ; quia quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum et per consequens omnium eorum, quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi. »

Unde præceptum referendi actu opera nostra in Deum obligat quatenus et quando obligat præceptum exercendi virtutem charitatis : ambo præcepta convertuntur. Mandatum Apostoli : « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite », adæquate coincidit et fundatur in Domini mandato magno : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. » Quatenus hoc impletur, eatenus et illud impletur (3). Probari enim non potest mandatum Apostoli sæpius vel ex alio motivo urgere quam mandatum Domini : procul dubio probari nequit, nisi argumentum desumatur ex præconcepta notione relationis virtualis, juxta quam actus vir-

(1) Cf. supra, p. 216, 219.
(2) *In II Sent.*, l. c., ad 6.
(3) Cf. GURY. *Compendium Theologiæ moralis*, T. I, n. 31.

tualiter relati in virtute primæ intentionis causaliter effici debeant ; quum autem relatio virtualis, ut supra demonstratum est, aliter concipi possit, hoc argumentum non valet. Proinde alterum præceptum ab altero realiter non distinguitur : præcepta enim non sunt multiplicanda, nisi probentur diversa.

Quod ut melius pateat, in examinando S. Alphonsi de hac re doctrinam paulisper immorari juvat, eo vel magis quod ante aliquot annos de ejus mente valde disputatum fuerit.

Quod ad præceptum charitatis pertinet, præfert sententiam quæ tenet id pluries in anno, puta semel in mense, per se obligare (1).

Quoad præceptum vero actus omnes ad Deum referendi, scribit in *Tractatu de actibus humanis*, ubi cum S. Thoma sententiam propugnat non dari actus indifferentes in individuo (2) : « Ad hæc homo tenetur omnes actus suos ad Deum referre, quando agit cum deliberatione, et propter aliquem finem. Inquit enim Apostolus 1 ad Cor. c. 10, v. 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Si ergo ad Deum refert saltem per intentionem virtualem, actus erit bonus, si non refert, erit malus : nullus igitur indifferens. Scio adversarios dicere, in verbis Apostoli contineri consilium non præceptum. Sed falso. Patres enim agnoverunt præceptum non consilium. Ita Augustinus, Cœlestinus I, Maximus, S. Thomas, lect. 3, c. 3 Ep. ad Coloss., quos legere est apud Continuatorem Tournelii, cap. 6, art. 1, sect. 2 de actibus humanis, ad quem mitto qui fusius hanc quæstionem pertractatam cum adversariorum objectionibus, et responsis studiose quærit.

« Hinc pro praxi colligimus : Oportet sæpius in die, saltem

(1) Cf. supra, p. 227.

(2) *Theologia moralis*, L. II, art. 5, n. XLIV.

mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adimpleatur præceptum Apostoli, saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei. Hoc modo omnis actus etiam indifferens in specie fit bonus et virtuosus in individuo. Non requiritur quippe actualis relatio omnium sive verborum sive operum *in bonum honestum* ; quod esset importabile pondus, et res sexcentis implexa scrupulis, sed *sufficit virtualis*, ut diximus : unde quamvis aliquis accedens ad mensam, non cogitat de conservatione vitæ, sed solum de cibi delectatione, ut ait Gonet, non propterea peccat, quia talem delectationem, saltem virtualiter, vult propter conservationem vitæ, sicque non inordinate illam appetit ». Ita S. Doctor.

Exinde P. Ballerini illum inter alia inconsequentiæ arguit, propterea quod, dum hoc loco obligationem inducat quotidie sæpius aut saltem mane eliciendi actum charitatis ut impleatur præceptum Apostoli, alibi nonnisi semel in mense actum charitatis exercendum esse dicat (1).

Responderunt auctores operis *Vindiciæ Alphonsianæ* (2), nullam esse contradictionem in doctrina S. Alphonsi ; quia juxta ipsum non requiritur ut propositum, quo opera nostra quotidie ad Dei gloriam referimus, sit actus *charitatis*, sed sufficit propositum bene operandi seu opera nostra *ad finem honestum* referendi.

Quam quidem interpretationem mentis Alphonsianæ veram esse putamus. Etenim, prætermisso motivo vix possibilem esse tam apertam contradictionem, S. Doctor hoc loco fideliter sequitur theologum Collet (continuatorem Tournelii), cujus sententiam paucis contrahit et ad quem expresse lectorem pro fusiore tractatione quæstionis remittit ; nec solummodo propositionem generalem, verbis Apostoli contineri præceptum et non consilium, ab eo recipit, ut volunt *Vindiciæ*,

(1) In notis ad *Theologiam moralem* P. Gury, t. I, n. 32 ; ed. 2ª 1869.

(2) *Vindiciæ Alphonsianæ*. Pars II, Quæst. I, Tom. I, p. 149-157. Ed. 2. Bruxellis, 1874.

sed etiam quæ de praxi habet, imo quæ ex Goneto allegat apud eundem auctorem invenit.

Atqui Collet (1) explicite docet præceptum de diligendo Deo aliud esse ac præceptum de referendis operibus in Deum ; censet « hominem christianum teneri omnes actus suos in Deum referre, nec teneri tamen semper ad eos ex charitatis motivo referendos. Præceptum enim de diligendo Deo, non debet confundi cum præcepto de referendis ad Deum omnibus actionibus, quia præceptum istud, *Diliges Dominum Deum tuum,* non continet universalitatem quam continet istud, *Omnia in gloriam Dei facite* ; et propterea præceptum dilectionis, cum sit affirmativum et sine universalitate, non pro semper obligat ; præceptum vero de referèndis omnibus ad Deum, licet sit affirmativum, quia tamen continet universalitatem actionum, obligat pro omni tempore quo aliquis deliberate operatur ; alioqui non omnia in gloriam Dei essent referenda, cum ad eum non referentur quæ fierent eo tempore quo præceptum non obligaret » (2). Non tamen requiritur « relatio *actualis* qua homo in actibus singulis de ultimo fine cogitet ; sed sufficit relatio *virtualis,* quæ nimirum etiam cum desiit esse præsens actu, manet virtute actualis præhabitæ ; quæ nec revocata est per actum contrarium, puta peccatum, nec interrupta per longiorem temporis moram : atqui talis relatio ad quam satis est ut homo aliquoties in die [aut saltem mane, ut alibi dicit] suum *bene operandi propositum* renovet, viro christiano onerosior videri non debet » (3). Unde de textu S. Pauli dicit : in sensu negativo, obligat pro semper ; in sensu affirmativo, si accipiatur de exercitio charitatis strictæ, melius est si quis actiones suas in Deum ordinet, sed hoc non est de præcepto nisi quando quis tenetur

(1) *Institutiones theologiæ moralis. Tract. de actibus humanis,* cap. III, art. I, sect. II ; et art. III, sect. II. Ed. Lugduni, 1768.

(2) Cf. *op. cit.*, p. 98.

(3) Cf. *op. cit.*, p. 90.

actum suum in finem ultimum referre ; si vero accipiatur eo sensu quod omnia opera *in finem honestum* ordinari debeant, ita est præceptum semper obligans (1).

Collet itaque docet quotidie semel vel pluries renovandum esse « propositum bene operandi », ut impleatur præceptum Apostoli omnia opera in Deum referendi ; hoc tamen bonum propositum non debet esse actus charitatis seu relatio in finem ultimum, nisi urgeat præceptum ipsum charitatis ; sed sufficit intentio omnia opera ad finem honestum referendi.

Quæ eadem doctrina adscribenda videtur S. Alphonso, qui proinde ab inconsequentia et contradictione vindicatur. Sed, salva reverentia S. Doctoris, nescimus an probari possit, præter intentionem charitativam, eliciendam quando urget præceptum charitatis, requiri bonum propositum sive intentionem bene operandi, multo sæpius, puta singulis saltem diebus, renovandam (2).

Unicum probationis fundamentum quod allegat S. Alphonsus — et nullum aliud invenitur apud Collet — sunt verba Apostoli qui vult ut omnia etiam minima opera in gloriam Dei fiant. Quæ verba, aiunt, continent præceptum ; quod Collet quidem probare conatur testimonio trium SS. Patrum (3). Quo fundamento posito, ratiocinatur idem Collet sequenti modo : quum homo non possit singula opera referre in Deum actu, oportet ut saltem referat virtute ; idcirco ad minus quotidie

(1) Cf. *op. cit.*, p. 101.

(2) Auctores *Vindiciarum* censent S. Alphonsum non determinare quandonam vel quoties intentio sit renovanda, sed tantum explicare quid *in praxi* expediat « ut præceptum Apostoli *tutiore, meliore et salubriore modo* adimpleatur. » Quæ tamen interpretatio admittenda non videtur. S. Doctor enim scribens tractatum theologicum accuratis verbis loquitur ; non loquitur ad modum consilii, sed mandati : *oportet... ut sic adimpleatur præceptum Apostoli... non requiritur quippe actualis relatio... sed sufficit virtualis.* Quæ certo juxta contextum hoc non significant : *decet, expedit*, ut sic *melius* impleatur præceptum ; sed : *requiritur* ut *simpliciter* impleatur. Ceterum ea est doctrina Collet, quam in hoc loco fideliter refert.

(3) Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum morale*, T. I, n. 112, p. 105 s. bene respondet ad hoc argumentum.

debet intentionem renovare, quæ secus virtutem suam amittet et non amplius in singula opera influet. Sed hoc non requirit præceptum charitatis, quod cum non sit ita universale ac præceptum Apostoli, non pro semper, sed tantum determinato tempore ad referendas omnes actiones in Deum obligat.

Atvero, etiamsi ultro concedatur Apostolum enuntiare præceptum, non sequitur conclusio. Nam revera omnia opera in Deum referuntur virtualiter, et proin impletur præceptum Apostoli, quatenus identidem actus charitatis elicitur, nimirum quando vi præcepti charitatis eliciendus est.

Quod autem præceptum Apostoli latius extendatur quam mandatum Domini, manifesto verum non est. Quid magis universale quam præceptum diligendi Dominum Deum « ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua » ? « Dicendum, ita merito Angelicus, quod sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, *ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum* et ideo præceptum charitatis homo implere non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum » (1). Si igitur ambo præcepta æque sunt universalia, cur unum obligat sæpius quam aliud ? et cur tandem distinguuntur ?

Dein bene consideres miram illam relationem in Deum qua, vi boni propositi mane facti, opera per diem patranda virtualiter referuntur *in finem honestum*, et in finem honestum relata ulterius per actum charitatis virtualiter referuntur *in Deum finem ultimum*. Nonne vides primam virtualem relationem prorsus superfluam esse, dummodo intentione charitativa opera virtualiter ordinentur in finem ultimum ? Eo vel magis quod Apostolus præcipiat ut opera fiant, non tantummodo in finem honestum, sed « in gloriam Dei. »

Nec dicas propositum bene operandi necessarium esse ad honestatem moralem actus. Hæc enim honestas habetur eo

(1) Ia IIæ, q. 100, a. 10, ad 2.

quod elementa moralitatis adsunt, nempe objectum bonum, circumstantiæ bonæ, et finis operis bonus ; nec per se ad honestatem actus requiritur ut operans sive finem operis sive alium finem bonum positive intendat ; eo ipso quod opus bonum cum tali fine intrinseco efficiat, opus moraliter bonum est. Relatio in finem honestum in ipso opere includitur : ad eam efficiendam non requiritur bonum propositum distinctum a voluntate bene operandi quæ in ipso bono actu adest.

Quovis igitur modo res consideretur, hujusmodi bonum propositum superfluum videtur, ejusque necessitas gratuito asseritur : obligationes autem imponi non possunt, nisi certo probentur. Unde concludere licet, textum Apostoli non continere præceptum distinctum a præcepto Domini, nec obligationem boni propositi imponere aliam ac intentionis charitativæ ; quod ceteroquin verba *in gloriam Dei facite* per se ipsa satis indicare videntur.

Non est necessarium accurate determinare quandonam hujusmodi intentio elicienda sit. Constat enim illos qui christiane vivunt, omnia præcepta Dei et Ecclesiæ implentes, Missam audientes, festa celebrantes, sacramenta frequentantes, orantes, quemadmodum oportet ut in charitate maneant, sat sæpe opera sua sive explicite sive implicite in Deum ordinare ut dici possint ex charitate agere. Ad quod sufficit signanter orationem dominicam cum intelligentia recitare ; qui sincere dicit : *Pater noster... sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, ille profecto actus charitatis elicit, ut scite observant Theologi (1). Si quis vero non orat, affectum suum numquam ad Deum dirigit, numquam de Deo vel de Domino nostro J. C. cogitat, etiamsi materialiter præceptis Ecclesiæ satisfaciat, experientia quotidiana docet eheu ! eum non diu in gratia perseverare.

Unde practice loquendo certum videtur, illum qui in cha-

(1) Cf. S. Alphonsus, *Theologia moralis*, L. III, tr. 1, n. 8.

ritate vivit sufficienter ex charitate agere ut omnia opera sua in gloriam Dei faciat. Hoc sensu verum est quod scribit S. Franciscus Salesius verba Apostoli explanans : « Ce sont les paroles propres du divin Apostre, lesquelles, comme dit le grand saint Thomas en les expliquant, sont suffisamment prattiquées quand nous avons l'habitude de la tres-sainte charité, par laquelle, bien que nous n'ayons pas une expresse et attentivè intention de faire chaque œuvre pour Dieu, *cette intention neanmoins est contenue couvertement en l'union et communion que nous avons avec Dieu*, par laquelle tout ce que nous pouvons faire de bon est dedié avec nous a sa divine Bonté. Il n'est pas besoin qu'un enfant demeurant en la mayson et puissance de son pere declaire que ce qu'il acquiert est acquis à son pere, car sa personne estant à son pere, tout ce qui en depend luy appartient aussi : *il suffit aussi que nous soyons enfans de Dieu par dilection*, pour rendre tout ce que nous faisons entierement destiné à sa gloire » (1).

Hucusque de minimo gradu intentionis, qui ab omni justo requiritur, locuti sumus. Sed omnes probe sciunt ab infimo gradu, ubi simpliciter præceptum charitatis impletur, ascensum fieri posse ad gradus multo perfectiores, quatenus intentio charitatis atque unionis cum Deo perfectius exerceatur, scilicet purificetur ab omni nævo amoris proprii, necnon fervide ac frequentissime renovetur.

ARTICULUS II

De perfectione bonæ intentionis.

Secundum principia posita, perfectio et ratio meritoria bonarum actionum formaliter consistit in charitate, qua in-

(1) *Traitté de l'amour de Dieu*, L. XII, ch. VIII. *Œuvres*, t. V, p. 332. Supra, p. 224 s., ostendimus S. Franciscum non concipere meritum nisi præsupponatur intentio charitativa.

formantur, inspirantur et diriguntur. Unde, sub respectu bonitatis, eo perfectior erit actus, et, sub respectu condignitatis ad præmium, eo magis meritorius, quo ex majore charitate procedat. Quod autem duplici modo contingere potest : in quantum scilicet intentio charitativa, quacum quis operatur, magis ac magis ab omni nævo purificatur atque in solum Deum dirigitur ; et dein, in quantum eadem intentio magis ac magis actualiter ac profunde in opera influit. Hæc est via ad perfectionem plana omnibusque aperta, quam tantopere commendant auctores ascetici.

Primo igitur inculcanda est *puritas* seu *simplicitas intentionis*. Quam intentionis qualitatem optime describit P. Grou :

« L'intention est pure lorsqu'elle n'est point mélangée, lorsque Dieu seul en est l'objet, et qu'elle n'est infectée d'aucune vue d'amour propre. Cette pureté a ses degrés, et elle n'est parfaite que dans les plus saintes âmes : *c'est même dans cette pureté d'intention que consiste proprement la sainteté.* Tant qu'on aime Dieu avec quelque retour sur soi-même, qu'on ne l'aime pas uniquement pour lui ; tant qu'on regarde le propre intérêt dans son service, qu'on se cherche soi-même, si peu que ce soit ; tant qu'on envisage la perfection par rapport à soi-même, au bien spirituel qui nous en reviendra : en un mot, tant que le *moi* entre pour quelque chose dans notre intention, elle est, je ne dis pas criminelle ni même mauvaise, mais mêlée d'imperfection et d'impureté ; elle n'a pas cette éminente simplicité qui est si agréable à Dieu.

La simplicité d'intention exclut absolument toute multiplicité ; elle ne se porte pas sur plusieurs objets, mais sur un seul qui est Dieu ; et dans Dieu même elle n'envisage que sa gloire, son bon plaisir l'accomplissement de sa volonté. L'intention simple est toute pour Dieu ; l'âme ne s'y regarde point, ne s'y compte pour rien ; ce n'est pas qu'elle exclue ses véritables intérêts, à Dieu ne plaise ; mais elle n'y fait pas attention, elle les oublie ; elle va jusqu'à les sacrifier, si Dieu la met dans le cas de faire ce sacrifice ; et elle consent de tout son cœur à le servir pour lui-même, sans espoir de retour. Quand on est là, l'intention est parfaitement simple et pure ; elle communique aux actions même les plus petites une valeur inestimable ; Dieu les agrée, les adopte, se les approprie comme faites uniquement dans la vue de lui plaire ; et l'on peut juger si, quand le moment en sera venu, il les récompensera libéralement. Je le dis hardiment : la moindre chose faite avec cette pureté est d'un plus grand prix aux yeux de Dieu que les plus grandes actions, les plus pénibles et les plus mortifiantes pour la nature, s'il y entre le plus petit mélange de propre intérêt. C'est que Dieu ne regarde point à la matière de nos actions, mais au principe d'où elles partent ; et que ce n'est pas ce que nous faisons qui le glorifie, mais la disposition de notre cœur en agissant » (1).

(1) P. Grou S. J. *Manuel des âmes intérieures. Recueil d'opuscules inédits.* Paris, 1895, p. 193 s.

Eamdem puritatem intentionis summopere commendat S. Franciscus Salesius :

« C'est faire excellement les actions petites, inquit, que de les faire avec beaucoup de pureté d'intention et une forte volonté de plaire a Dieu ; et lhors elles nous sanctifient grandement. Il y a des personnes qui mangent beaucoup, et sont tous-jours maigres, extenuees et alangouries, parce qu'elles n'ont pas la force digestive bonne ; il y en a d'autres qui mangent peu, et sont tous-jours en bon point et vigoureuses, parce qu'elles ont l'estomach bon. Ainsy y a il des ames qui font beaucoup de bonnes œuvres et croissent fort peu en charité, parce qu'elles les font ou froidement ou laschement, ou par instinct et inclination de nature plus que par inspiration de Dieu ou ferveur celeste ; et au contraire, il y en a qui font peu de besoigne, mais avec une volonté et intention si sainte, qu'elles font un progres extreme en dilection » (1).

« Il vaut mieux, disait-il, — ita refert de S. Francisco episcopus Bellecensis, — faire peu et bien, qu'entreprendre beaucoup et le faire imparfaitement. Ce n'est pas, ajoutait-il, par la multiplicité des choses que nous faisons que nous avançons en la perfection, mais par la ferveur et pureté d'intention avec laquelle nous les faisons. D'où nous concluons, addit auctor, 1° Que notre progrès en la perfection ne dépend pas tant de la multiplicité de nos actions que de la ferveur du saint amour avec laquelle nous les faisons ; 2° Qu'une bonne action faite avec grande ferveur vaut mieux, et est plus agréable à Dieu, que plusieurs de même espèce faites avec tiédeur et lâcheté ; 3° Que la pureté d'intention élève bien haut le mérite d'une bonne action, parce que, la fin donnant le prix à l'action, plus la fin est pure et excellente, plus l'action est exquise » (2).

Similiter scribit auctor egregii opusculi *Le combat spirituel* :

« On ne saurait croire combien est grande la vertu de ce motif (de plaire à Dieu seul), puisque la moindre action, quelque basse qu'elle soit, étant faite simplement pour Dieu, vaut mieux de beaucoup que plusieurs autres, quoique fort bonnes et d'un grand mérite, qui se font dans une autre vue. C'est par ce principe qu'une aumône peu considérable donnée à un pauvre pour la seule gloire de la majesté divine, lui est, sans comparaison, plus agréable que si pour quelque autre fin on abandonnait de grands biens, quand même on serait porté de s'en défaire par l'espérance des biens du ciel, quoique, après tout, ce motif soit louable et mérite qu'on le propose » (3).

Quæ doctrina, quam apud alios clarissimos auctores asceticos invenies, fundatur in genuinis principiis theologicis quæ supra exposita et vindicata sunt. Puræ intentionis charitativæ pretium ideo inæstimabile est, quia mensura bonitatis et

(1) *Traitté de l'amour de Dieu*, L. XII, ch. VII, (t. V, p. 331) ; cf. L. XI, ch. V (p. 251).

(2) *L'esprit de S. François de Sales*. Paris, 1908, P. I, ch. LV, p. 221. Cf. P. III, ch. XXVI, p. 518. P. IV, ch. LII, p. 716.

(3) Scupoli, *Le combat spirituel*, c. X (Trad. P. Brignon).

meriti in charitate reponitur ; ideoque opera quæ hujusmodi simplici et pura intentione informantur, revera perfectionem bonitatis atque plenitudinem meriti attingunt. Atvero talis perfectio non solet occurrere nisi in sanctis ; omnes autem qui Deum sincere amare volunt, allaborent imprimis ut intentionem suam perficiant et simplici oculo Ipsum solum aspiciant. In quantum id efficiunt, in tantum ad perfectionem progrediuntur.

Præterea, juxtà eadem principia magnopere commendatur ut omnia et singula opera virtuosa sub *intimo* et, quantum possibile, *actuali influxu* charitatis ponantur.

Huc faciunt fortia illa proposita, quibus quis totam suam vitam Deo devoveat omnesque actus suos in beneplacitum divinum dirigat : qualia efformant v. g. sacerdotes et religiosi, initio vitæ suæ sacerdotalis et religiosæ, quando, renuntiantes mundo ac creaturarum servitio, divina charitate impulsi, sese exhibent « hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium » (1).

« Telz tous ceux encore, ait Salesius, qui, a dessein, se procurent des profondes et puissantes resolutions de suivre la volonté de Dieu, faisans pour cela des retraites de quelques jours, affin d'exciter leurs ames par divers exercices spirituelz a l'entiere reformation de leur vie : methode sainte, familiere aux anciens Chrestiens, mais despuis presque tout a fait delaissee, jusques a ce que le grand serviteur de Dieu, Ignace de Loyola, la remit en usage du temps de nos pères... Celuy qui destinement s'est rendu esclave amiable de la divine Bonté, luy a par consequent dedié toutes ses actions. Sur cette verité chacun devroit une fois en sa vie faire une bonne retraitte, pour en icelle bien purger son ame de tout peché, pour en suite faire une intime et solide resolution de vivre tout a Dieu... ; puis, au moins une fois l'annee, faire la reveue de sa conscience et le renouvellement de la premiere resolution... » (2).

Quis non videt ea proposita, quibus vita moralis transformetur, nata esse in actus bonos profundum intimumque exercere influxum, dummodo fortia et vigorosa permaneant ? Quapropter, sicut continuo curandum est ut intentio a quavis labe amoris proprii purificetur, ita valde optandum ut non tantum singulis

(1) *Rom.* XII, 1.

(2) *Traitté de l'amour de Dieu*, L. XII, ch. VIII (t. V, p. 333 s.).

diebus, sed quasi sine intermissione, ardenter fervideque iteretur. Profecto, teste S. Thoma (1), non ad perfectionem præsentis vitæ, sed ad perfectionem patriæ pertinet, quod homo in *singulis* suis actionibus charitate *actuali* in divinam bonitatem feratur : moraliter possibile non est etiam animæ perfectæ, mentem humanam continuo actu Deo inhærere et ne ullo quidem momento ab eo distrahi. Sed omnino possibile est summoque commendabile, vivere et operari in permanente dispositione intimæ unionis cum Deo, quæ dispositio facillime, accedente exigua praxi, qualis est exercitium præsentiæ divinæ, in actuales amoris actus prorumpet. Itaque, initio diei, generalis intentio omnia agendi omniaque patiendi in Deum dirigatur ; dein, quam sæpissime per diem cor in Ipsum feratur.

« En ce renouvellement journalier de nostre oblation, ait S. Salesius, nous respandons sur nos actions la vigueur et vertu de la dilection, par une nouvelle application de nostre cœur a la gloire divine, au moyen dequoy il est tous-jours plus sanctifié. Outre cela, appliquons cent et cent fois le jour nostre vie au divin amour par la prattique des oraysons jaculatoires, eslevations de cœur et retraittes spirituelles ; car ces saintz exercices lançans et jettans continuellement nos espritz en Dieu, y portent ensuite toutes nos actions. Et comme se pourroit il faire, je vous prie, qu'une ame laquelle a tous momens s'eslance en la divine Bonté, et souspire incessamment des paroles de dilection pour tenir tous-jours son cœur dans le sein de ce Pere celeste, ne fust pas estimee faire toutes ses bonnes actions en Dieu et pour Dieu ? » (2)

Quam praxim laudant et inculcant omnes auctores ascetici, eam jure merito existimantes viam tutam et brevem ad perfectionem christianam. Media quibus in ea proficitur varia indicantur, et devotioni uniuscujusque accommodari possunt. Valde autem refert quod vita nostra quasi continuum fiat amoris suspirium, et actiones nostræ quasi continuus actus puræ charitatis : hæc est vera perfectio, perfectionis cœlestis præambula !

(1) Cf. p. 211 s.

(2) *Loc. cit.*, ch. IX, p. 336.

QUÆSTIO IV

DE OBJECTO FORMALI CHARITATIS FRATERNÆ.

INTRODUCTIO

Charitate theologica Deum, nosmetipsos et proximum diligimus *propter Deum :* « Charitatem voco, ait S. Augustinus, motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum » (1).

Quæ formula *propter Deum*, quamvis non occurrat, prouti sonat, in S. Scriptura, ejus tamen doctrinam exhibet, usuque traditionali omnium sæculorum consecrata est sicuti et fide ipsius Ecclesiæ.

Quæritur autem quid ipsa hac formula significetur. « Dicendum quod ly *propter*, ait S. Thomas (2), importat habitudinem alicujus causæ. Est autem quadruplex genus causæ ; scilicet finalis, formalis, efficiens et materialis, ad quam reducitur etiam materialis dispositio, quæ non est causa simpliciter, sed secundum quid. Et secundum hæc quatuor genera causarum dicitur aliquid propter alterum diligendum.

(1) *De doctrina christiana*, L. III, n. 16. — P. L., t. XXXIV, c. 72.
(2) *Summa theologica*, IIª IIæ, q. XXVII, a. 3, corp.

Secundum quidem genus causæ *finalis*, sicut diligimus medicinam propter sanitatem ; secundum autem genus causæ *formalis*, sicut diligimus hominem propter virtutem, quia scilicet virtute formaliter est bonus et per consequens diligibilis ; secundum autem causam *efficientem*, sicut diligimus aliquos in quantum sunt filii talis patris ; secundum autem dispositionem, quæ reducitur ad genus causæ *materialis*, dicimur aliquid diligere propter id quod nos disposuit ad ejus dilectionem, puta propter aliqua beneficia suscepta ; quamvis postquam jam amare incepimus, non propter illa beneficia amemus amicum, sed propter ejus virtutem. »

Secundum quadruplicem hanc causam, *proximum* amamus *propter Deum* : secundum causam *finalem*, quia amor proximi habet Deum ut ultimum finem : in quo tantum sensu dicitur de ceteris virtutibus « quod operantur propter Deum » (1) ; — secundum causam *efficientem*, tum quatenus virtus charitatis infunditur a Deo, tum quatenus bonitas illa, propter quam Deum, nos et proximum diligimus, « non Deo ab altero inest, sed ad ipso omnibus aliis » (2) ; — secundum causam *materialem*, quatenus beatitudinem supremam seu possessionem Dei proximo volumus ; — tandem præcipue secundum causam *formalem*, quatenus ratio formalis et motiva nostræ charitatis est Deus seu bonitas divina.

Licet formula *propter Deum* illa omnia significet, tamen dicendo « nos charitate amare proximum propter Deum », sensus catholicus revera solam causam motivam seu rationem *formalem* amoris proximi indicare intendit : sola enim formali ratione fit ut amor proximi ad virtutem theologicam charitatis pertineat.

Quomodo autem Deus seu bonum divinum sit ratio formalis charitatis erga proximum, jam quærere nobis propositum est.

(1) *De charitate*, a. 5, ad 2.
(2) IIª IIæ, q. XXVII, a. 3, corp.

Supponimus ut certum, objectum formale charitatis erga *Deum* esse bonitatem Dei increatam in se spectatam ; item supponimus ut omnibus hodiernis Theologis, una cum S. Augustino (1) et S. Thoma (2), probatum, charitatem proximi ad unam eandemque virtutem ac charitatem Dei pertinere (3). Quæritur igitur *quomodo amor proximi* elici possit *virtute theologica, et quidem una eademque qua amor Dei*, quonam nempe modo possit proximus diligi sub formali ratione *bonitatis ipsius Dei.*

Facile quidem intelligitur Deus diligibilis esse ac diligendus ob infinitam suam bonitatem, cum hæc sit ipsi intrinseca et essentialis ; sed non ita perspicitur quomodo eadem divina bonitas possit esse ratio motiva amandi charitate proximum, cum huic sit extrinseca, imo sæpissime ipsi insit malitia bonitati divinæ opposita atque incompossibilis.

Imprimis definiendus est sensus locutionis hac in re solemnis : *objectum formale, motivum formale,* seu *ratio formalis* charitatis theologicæ. Ad rem S. Thomas (4) : « In objecto, inquit, consideratur aliquid ut formale et aliquid ut materiale. Formale autem in objecto est *id secundum quod* objectum refertur ad potentiam vel habitum ; materiale autem id in quo hoc fundatur, ut si loquamur de objecto potentiæ visivæ, objectum ejus formale est color, vel aliquid hujusmodi ; inquantum enim aliquid coloratum est, in tantum visibile est ; sed materiale in objecto est corpus cui accidit color. Ex quo patet quod *potentia vel habitus refertur ad formalem rationem objecti per se,* ad id autem quod est materiale in objecto per accidens ; et ea quæ sunt per accidens non variant rem, sed solum ea quæ sunt per se : ideo materialis diversitas objecti non diversificat potentiam

(1) *De Trinitate,* L. VIII, c. 12 — P. L., t. XLII, c. 1335.
(2) *De charitate,* a. 4 ; IIa IIæ, q. XXIII a. 5, q. XXV.
(3) Cf. Lehmkuhl. *Theologica moralis,* t. I, n. 593.
(4) *De charitate,* a. 4, corp.

vel habitum, sed solum formalis ; una est enim potentia visiva, qua videmus et lapides et homines et cœlum ; quia ista diversitas objectorum est materialis et non secundum formalem rationem visibilis. Et hoc etiam oportet in charitate considerare. »

Itaque objectum formale, motivum formale, ratio formalis charitatis est ille respectus seu illa formalitas quæ in objecto materiali charitatis considerari potest et quæ per se terminat, determinat, specificat habitum et actum charitatis theologicæ. Quatenus ipsum *terminat*, vocatur merito *objectum* formale ; quatenus ipsum *determinat*, nominatur *motivum* formale ; quatenus ipsum *specificat*, dicitur potius *ratio* formalis.

CAPUT I

OBJECTUM FORMALE CHARITATIS FRATERNÆ ADÆQUATE IN BONO DIVINO CONSISTIT.

Summarium. — I. *Status quæstionis exponitur. Alii, duce Suarezio, rationem formalem charitatis erga proximum reponunt non tantum in bono increato, sed etiam in bonitate proximi intrinseca sive supernaturali sive naturali. Alii, inter quos plures Thomistæ, in ratione formali includunt tum bonum increatum tum gratiam sanctificantem consideratam ut splendorem Deitatis in homine. Alii tandem adæquate ipsum bonum divinum ut rationem motivam habent.*

II. *Bonum divinum in se seu increatum rationem formalem charitatis theologicæ constituit : charitas tam erga nos et proximum quam erga Deum formaliter* ipsum Deum *attingit. Unde objectum formale non consistit in* naturali *bonitate proximi sive ratione sive fide apprehensa, nec in bonitate ejus* supernaturali *si consideratur ut* perfectio ipsi inhærens. *Quando autem gratia sanctificans in proximo consideratur formaliter ut participatio*

naturæ divinæ, non improbabiliter dici potest ratio formalis charitatis theologicæ. — De mente Doctoris Angelici.

III. *Hæc sententia probatur et vindicatur.*

ARTICULUS I

Status quæstionis.

Cum apud Theologos analysim actus charitatis proxim inquirimus, diversæ nobis occurrunt sententiæ. Quæ præsertim distinguuntur, quatenus objectum formale charitatis tam erga Deum quam erga proximum *adæquate et exclusive* reponunt in bono *divino*, vel quatenus illud, ad proximum quod attinet, etiam reperiri volunt in bonitate proximo intrinseca seu *creata*.

Prima sententia.

Sententia, quæ communior hodiedum dicenda est, præcipuum patronum habet Suarezium ; diversimodo autem proponitur. Omnes distinguunt, sive explicite sive implicite, tum charitatem proximi *theologicam*, tum amorem proximi *moralem* ; at non omnino conveniunt in describendis limitibus utriusque virtutis.

Suarez (1) suam doctrinam sequentibus propositionibus exponit : « Dico primo : *ipsa bonitas divina increata*, quæ in Deo est, est sufficiens ratio ut propter eam proxime et immediate diligatur proximus... Dico secundo : proximus, qui intrinsece justus est *justitia creata et supernaturali sibi inhærente*, est etiam objectum amabile supernaturali dilectione, cujus objecti proxima ratio non est bonitas Dei increata, sed creata, quæ inhæret proximo... Dico tertio : proximus

(1) *Tractatus de charitate.* Disp. I, sectio 3, n. 1, 3, 4, 8.

etiam ratione *bonitatis naturalis* ei intrinsecæ, *modo reguletur per supernaturalem regulam* (1), est etiam objectum amabile amore supernaturali... Dico ergo quarto : objectum formale adæquatum charitatis est *bonitas Dei increata*, omnem excedens naturam, *vel per se vel per participationem ejusdem ordinis*, seu quæ honestatem illius ordinis induat. »

Itaque, juxta Doctorem Eximium, tunc etiam diligitur proximus charitate theologica seu propter Deum, cum diligitur ob ipsius perfectiones, sive supernaturales, sive naturales, quatenus apprehenduntur modo supernaturali. Econtra « charitate [seu potius amore] morali proximum diligimus, quando amor pro motivo habet honestatem naturalem, quam *lumine rationis* in ejusmodi amore cognoscimus » (2).

Quam sententiam, saltem quoad substantiam, invenimus apud aliquos auctores sæculi XVI et XVII, et apud plures moralistas hodiernos. Quoad singularia tamen habetur nonnumquam dissidium vel saltem obscuritas.

Suarez quemvis amorem *supernaturalem* reducit ad eandem specifice charitatem theologicam ; tanquam actum virtutis moralis habet amicitiam humanam *sine fide et gratia* (3).

(1) Id est : modo hæc bonitas naturalis apprehendatur modo supernaturali, a quo modo, juxta Suarez, sumit actus suam naturam. Cf. *l. c.* sect. 2, n. 6, ad finem ; sect. 3. n. 11. — Suarez proinde sibi consequens est in describendo charitatem *Dei* et charitatem *proximi*. Tenet enim *Deum* charitate amari, quatenus amatur ob bonitatem ipsius summam in se, scilicet non tantum ob bonitatem supernaturalem, sed etiam ob *naturalem bonitatem prout cognitam per fidem supernaturalem*. Cf. *ib.*, sect. 2, ad finem ; sectio 3, n. 6, n. 10.

(2) Cf. NOLDIN, *De præceptis Dei et Ecclesiæ*, n. 70 ; BALLERINI-PALMIERI, *Opus theologicum morale*, t. II, n. 152 ; GÉNICOT-SALSMANS, *Institutiones Theologiæ moralis*, ed. 11ª, Bruxellis, 1927, t. I, n. 214.

(3) Cf. *De charitate*, Disp. I, sect. 3, n. 11 : « Ex quibus tandem habetur, humanæ amicitiæ, quæ virtus est acquisita, respondere quidem virtutem infusam, sed eam non esse a charitate distinctam : neque est simile de virtutibus aliis moralibus, quia aliæ, quamvis supernaturaliter regulentur, retinent honestatem formalem distinctam ab honestate charitatis ; objectum autem amicitiæ humanæ, elevatum ad regulam supernaturalem, habet ordinem ad eandem communicationem supernaturalem et participationem ejusdem bonitatis, et ideo convenit in honestate et ratione virtutis cum charitate. »

Multi vero hodierni tenent amorem moralem posse esse ex gratia et proin supernaturalem sicut ceteras virtutes morales, quin sit charitas (1).

Aliqui nequidem loquuntur de *fide* qua proximi ad Deum relatio sive naturalis sive supernaturalis apprehendenda sit. In hac opinione actus charitatis est simpliciter : bonum velle proximo ob quamvis ad Deum relationem quæ in ipso fide vel ratione percipitur (2).

Secunda sententia.

Inter eos qui tenent in bonitate *creata* proximi formale objectum charitatis theologicæ posse constitui, illi ponendi sunt qui excludunt quidem bonitatem *naturalem* proximi qua creaturæ et imaginis Dei, at retinent bonitatem creatam *supernaturalem*, consistentem nempe in gratia sanctificante ejusque effectibus formalibus.

Quamvis hæc sententia cum prima confundi soleat, patet tamen ambas longe inter se distare. Relatio enim naturalis in omni creatura, etiam in irrationali et in damnata invenitur ; supernaturalis vero, re vel potentia, nonnisi in rationabili beatitudinis capace reperitur ; — prior cognosci potest ratione, altera sola fide ; — illa est ad Deum ut ad finem naturæ, hæc nonnisi ad Deum ut ad finem supernaturalem. Inde sequitur in hac sententia multo arctiorem esse charitatem theologicam, ampliorem vero amicitiam moralem sive infusam sive acquisitam.

Oportet autem ut hac in re duplex auctorum series sedulo discernatur. Perfectio enim supernaturalis proximi, seu gratia sanctificans ipsi inhærens, dupliciter considerari potest : vel

(1) Ita v. g. BALLERINI-PALMIERI, *l. c.* ; GÉNICOT-SALSMANS, *l. c.* ; NOLDIN, *l. c.*, n. 70, 71, a.

(2) Ita, v. g., TH. MÖNNICHS, *Bemerkungen zum Formalobjet der 2. und 3. göttlichen Tugend.* (Zeitschrift für katholischen Theologie, 1898, p. 77-88).

ut perfectio ipsius proximi, quatenus constituit *fundamentum* relationis supernaturalis proximi ad Deum ; vel formaliter ut participatio analogica ipsius Deitatis. Jamvero alii perfectionem illam sub primo respectu considerant, alii vero sub secundo. Hi tenent bonitatem increatam ipsius Dei esse *idem specifice objectum formale*, prout consideratur sive *formaliter in ipso Deo*, sive *analogice in justis*. Dicunt non referre quod bonitas increata in se et bonitas increata per participationem « non sint numero aut specie unum quid in esse reali ; hoc enim non requiri ad constituendam unam rationem habitus : sed sufficere, quod sint unum secundum quandam analogam convenientiam in eodem gradu et ordine rerum » (1).

Quem concipiendi modum referunt multi inter Thomistas, nominatim Billuart qui tamen dubitanter loquitur (2), et inter modernos v. g. P. Lehmkuhl (3) et P. Prümmer (4).

Tertia sententia.

Sententia multorum quidem veterum sed paucorum recentiorum tenet ad charitatem theologicam eum amorem proximi pertinere, qui ut objectum formale seu rationem motivam *adæquate et exclusive* habet *ipsam bonitatem divinam increatam*. Charitas proximi est una eademque virtus theologica quam charitas Dei, eo quod formaliter, adæquate et exclusive, determinetur ac specificetur eadem bonitate increata.

Ita docet D. Thomas, ut manifestum erit in sequentibus ;

(1) WIGGERS, *Commentaria de virtutibus theologicis*, q. XXV, a. 1. n. 16.

(2) Cf. *Tract. de charitate*, Dissert. I, a. 3, § II : « Si considerentur (perfectiones proximi) ut participationes divinæ perfectionis, videtur quod etiam sic amentur amore charitatis : quia licet in infinitum distent ab infinita Dei perfectione, tamen non tam ipsæ quam ipsa Dei perfectio in eis amatur, sicut in imagine amatur prototypus qui est tota ratio amandi imaginem. » — Eandem sententiam cum dubio exponit WIGGERS, *l. c.* n. 12-16.

(3) Cf. *op. cit.*, t. I, n. 593.

(4) Cf. *Manuale Theologiæ moralis*, ed. 3ª, Friburgi Br. 1923, t. I, n. 534.

et in eam sententiam apud Ripalda citantur Durandus, Almaynus, Richardus, Marsiliensis, Bonaventura et alii (1). Inter Theologos sæculorum XVI et XVII, eam tuentur Vazquez (2), Lessius (3), Becanus (4), Arriaga (5), Ripalda (6), aliique ejusdem nominis. Inter modernos citari potest v. g. Rmus P. Billot (7) qui eam in præclaro suo commentario in Sanctum Thomam exponit.

ARTICULUS II

Doctrina S. Thomæ explanatur.

Charitate theologica amamus proximum *propter Deum*, id est, illi adhæremus atque bonum volumus propter ejus attinentiam ad Deum, propter ejus cum Deo conjunctionem.

Quæritur qualis attinentia proximi ad Deum, quænam ejus cum Deo conjunctio attendenda sit, ut habeatur amor charitativus ? Non enim *quælibet* creaturæ rationalis ad Deum attinentia sufficit ad actum charitatis determinandum : secus, contra doctrinam traditionalem, charitate diligere possemus damnatos et dæmones, qui strictissimo sensu pertinent ad Deum, utpote creaturæ et imagines ipsius atque sub vindice manu æternæ Justitiæ positi. Nec tamen requiritur *perfecta* cum Deo unio vel per visionem beatificam in patria vel per gratiam sanctificantem in via : secus, contra eandem traditionem, charitate diligere non possemus Dei inimicos,

(1) RIPALDA, *De ente supernaturali.* T. IV. *De charitate divina.* Disp. XXII, n. 22. Quibus annumerari possunt CAPREOLUS, *In III Sent.*, Dist. XXVIII-XXX, et JOANNES MAIOR Parisiensis, *In III Sent.*, Dist. XXVIII, q. I.

(2) *In Summæ Theol. IIIam*, Disp. 98, c. 2.

(3) *De justitia et jure*, L. II, c. 36, n. 23.

(4) *De virtutibus theologicis*, c. XVIII, q. 1, n. 5 ; c. XIX, n. 1 ; *De religione*, q. IV, n. 9.

(5) *In Secundam Secundæ*, Disp. XXXI, s. 4.

(6) *Op. cit.* Disp., XXII, n. 22 ss.

(7) *De virtutibus infusis*, th. XXXI et XXXIV.

peccatores nempe et infideles. Proin dicere non sufficit charitate diligi hominem, si diligitur quatenus aliquo modo pertinet ad Deum. Sed hæc attinentia magis accurate est determinanda.

Porro dicimus amorem proximi, ut sit amor theologicus, debere formaliter attingere ipsum bonum increatum. Oportet ut affectus charitativus in proximum ultimatim sit affectus in bonitatem Dei infinitam ; oportet ut benevolentia ac beneficentia charitativa erga ipsum determinetur ac specificetur affectu complacentiæ et benevolentiæ erga increatam bonitatem. Non quod necesse sit ut in singulis actibus charitatis proximi explicitus habeatur affectus in divinam bonitatem, sed saltem ut revera hic affectus illum actum *formaliter* determinet ; ita ut, si psychologica actus analysis instituatur, si quæratur quænam sit ultima ratio adæquate actum determinans, inveniatur affectus in bonitatem Dei in se et super omnia diligibilem.

Hoc modo, et hoc solo, vera sunt quæ cum S. Augustino tota traditio scholastica tenet : « Una charitas, et duo præcepta... Qua charitate proximum, ipsa charitate diligimus et Deum » (1). « Ex una igitur eademque charitate Deum proximumque diligimus : sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum » (2). *Virtus* charitatis, qua Deum diligimus nosque et proximum, una eademque est virtus, quia una eademque ratione formali terminatur ac specificatur. Unde et *actus* charitatis quo diligimus Deum, unus idemque *specifice ac formaliter* est quam actus charitatis quo diligimus proximum ; *materialiter* tantummodo differunt, quia objectum materiale cui immediate et directe adhæremus et bonum volumus, est realiter distinctum, Deus scilicet et creatura.

(1) *Sermo* CCLXV, n. 9 (al. c. 8). — P. L. t. XXXVIII, c. 1582.
(2) *De Trinitate,* L. VIII, n. 12 (al. c. 8). — P. L. t. XXXIV, c. 1335.

Sed ulterius progrediendum est : nondum enim explicatur quanam ratione in proximo bonitatem increatam attingamus ; quomodo, immediate proximum prosequentes amore, benevolentia ac beneficentia, formaliter determinari possimus affectu erga infinitam Dei bonitatem ; quomodo, juxta tritum loquendi modum, *Deum* possimus amare *in proximo*.

Quod quidem videtur impossibile. Bonitas enim increata, prout in Deo est, proximo est extrinseca, nec facit eum bonum ; imo frequenter proximo inhæret malitia peccati. Quomodo igitur bonitas ipsius Dei potest esse ratio diligendi proximum ?

Ad hanc difficultatem, quæ sponte menti occurrit, respondendum est cum Suarezio (1) : « Deum tunc esse rationem diligendi, ad eum modum quo finis est ratio diligendi media. Non quod proximus ametur isto modo ex charitate, ut medium ad consequendum Deum ; sed in ipso amatur, ut ipse consequatur Deum ; solum ergo tenet proportio in hoc quod utrobique ratio diligendi est extrinseca, et ut sit amabilis, non propter bonitatem intrinsecam, sed propter habitudinem ; tamen hæc habitudo in exemplo posito pertinet ad causam finalem, extrinsecus applicatam per quamdam habitudinem : sunt enim isto modo proximi amabiles propter Dei bonitatem, quatenus sunt capaces istius bonitatis. Dices : ergo hoc modo non diligitur proximus ut amicus ; nam si ita diligerem servum amici propter amicum, non amarem illum ut amicum. Sed negatur consequentia ; nam licet non diligatur proximus ut principalis amicus, diligitur tamen ut secundarius, et capax eorumdem bonorum. »

Dicimus igitur formalem rationem charitatis erga proximum esse *divinam in se bonitatem*, quam diligimus *quatenus est objectum glorificationis in æterna beatitudine, cujus proximus particeps*

(1) *De charitate*. Disp. I, sect. 3, n. 2. — Cf. WIGGERS, II, q. XXV, a. 1, n. 8.

efficitur vel effici potest (1). Idipsum continetur principio quod S. Thomas hac in re tam sæpe repetit : « amicitia charitatis fundatur super communicatione beatitudinis quæ consistit in Deo essentialiter, sicut in primo principio, a quo derivatur in omnes qui sunt beatitudinis capaces ».

Quonam autem modo hæc intelligenda sunt ?

Imprimis præ oculis habeatur accurata notio *amoris seu dilectionis*. Dicendum est, cum Angelico, dilectionem stricte sumptam includere benevolentiam : « Importat enim quandam unionem secundum affectum amantis ad amatum ; in quantum scilicet amans æstimat amatum quodammodo ut unitum sibi vel ad se pertinens, et sic movetur in ipsum. Sed benevolentia est simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præsupposita prædicta unione affectus ad ipsum. Sic ergo *in dilectione*, secundum quod est actus charitatis, *includitur quidem benevolentia ; sed dilectio, sive amor, addit unionem affectus* » (2). Itaque amor Dei est adhæsio ac unio affectus Deo, includens benevolentiam : amando enim volumus bonum amato, quia, ut ait D. Thomas, « de ratione charitatis seu amoris est, quod conjungat secundum affectum ; quæ scilicet conjunctio intelligitur quantum ad hoc quod amicum reputat quasi alterum se, et vult ei bonum sicut et sibi. Sed conjungere secundum rem non est de ratione charitatis, et ideo potest esse et habiti (boni) et non habiti (boni) ; sed non habitum facit desiderare, in habito vero facit delectari » (3).

Porro charitate erga *Deum* nostra voluntas unitur Deo, sub formalitate *bonitatis divinæ in se*.

(1) Cf. Billot, *De virtutibus infusis*, th. XXXIV, p. 412 s. ; Billuart, *De charitate*, diss. I, a. 3, § II, ad obj. 2 : « Deus in se spectatus est ratio formalis diligendi proximum : unde qui amat Deum, amat proximum ; vult enim Deo omne bonum, consequenter quod ab omnibus ametur, colatur, laudetur et glorificetur, quod est simul amare proximum et velle illi summum bonum. »

(2) IIª IIæ, q. XXVII, a. 2, corp.

(3) *De charitate*, a. 2, ad 6.

Voluntas nostra tendere non potest nisi in bonum, et quidem nonnisi in bonum nostrum. *Conditio sine qua non* charitatis est, quod Deus sit non tantummodo infinite bonus in se, sed etiam quod sit bonum nobis conveniens, quodque in ipso finis noster seu beatitudo suprema sit constituta : quod dicitur contra Semiquietismum. Atvero ratio seu *causa motiva* adhæsionis et benevolentiæ in amore charitatis non est bonitas Dei respectiva seu beatitudo nostra in visione Dei reperiunda. Ob hanc bonitatem respectivam psychologice nobis possibile est Deum amare, quinimo hanc positive ex amore Dei excludere psychologice impossibile est. Cum autem ab ea præscindimus, Deoque adhæremus formaliter quia *in se* infinite bonus est ac amabilis, elicimus actum charitatis (1). Itaque charitate adhæremus quidem Deo sub ratione finis nostri ultimi seu Deo beatificativo (conditio sine qua non), sed formaliter sub ratione boni supremi super omnia in se diligibilis ac diligendi (causa motiva).

Sed charitas psychologice includit, præter adhæsionem, *benevolentiam* erga amatum. Quid importat nostra benevolentia erga Deum ? Cum possit esse et habiti et non habiti, faciendo delectari in habito, et non habitum desiderare, ut dicit Angelicus, hæc benevolentia importat tum quod delectemur et complaceamus in bonitate divina intrinseca omnibusque perfectionibus pulchritudinis infinitæ, tum quod optemus ipsi bona extrinseca seu glorificationem quam ipsi debent omnia creata.

Quomodo autem dici potest hoc divinæ glorificationis desiderium charitate erga Deum comprehendi ?

Deus in seipso summa perfectio est nec ullo bono indiget vel augeri potest. Cum autem libera voluntate aliquid creat et

(1) Præscindimus hic a quæstione utrum objectum formale charitatis sit bonitas Dei absoluta, an etiam attributi unius ; utrum naturalis, an supernaturalis, an utraque simul.

ad extra operatur, non potest in hoc opere suo non velle manifestationem suarum perfectionum seu glorificationem suam externam. Hæc autem glorificatio, quæ ipsi ab omni creatura aliquo modo redditur, ab ente rationali per intellectum et voluntatem manifestari debet, et quidem perfecte, in præsenti ordine, per visionem Dei intuitivam in qua essentialiter consistit suprema beatitudo supernaturalis. Et hæc externa glorificatio pertinet ad Deum, est bonum ejus, ipsique debetur *ut effectus externus voluntatis divinæ*. Quamvis igitur nullatenus sit bonum intrinsece Deum perficiens, verissimo tamen sensu est bonum Dei; fere ad modum famæ et honoris, quæ, licet extra nos existentia, vera tamen bona nostra sunt. Unde benevolentia nostra charitativa erga Deum includit non tantum complacentiam de bonis infinitis ejus internis, sed etiam desiderium efficax circa glorificationem extrinsecam Dei amati : velle debemus ut glorificatio quæ nondum impleta est ac libere ab hominibus, attingendo ipsum Deum visione beata, complenda est, omnino compleatur.

Atqui hæc nostra benevolentia *erga Deum*, qua optare debemus glorificationem ipsius externam, respicit nos et proximos nostros. Includit voluntatem efficacem ut nos ipsi et proximi hanc glorificationem completam Deo tribuamus. Et cum hæc Dei glorificatio constituat ipsam beatitudinem hominis supremam, ideo benevolentia erga Deum secundario summam benevolentiam erga proximum includit. Itaque proximus est, ut docent Theologi, objectum *materiale secundarium* benevolentiæ nostræ charitativæ : — *materiale* nempe, cui efficaciter velle debemus beatitudinem supremam et omnia bona, spiritualia et temporalia, quæ et quatenus ad eam ordinantur ; — *secundarium* vero, quatenus benevolentia hæc erga proximum subordinatur et includitur, vel ut medium vel ut pars, benevolentiæ erga Deum, qui ipse est objectum materiale-cui primarium.

Et sic, analysi charitatis instituta, omnia pulcherrime componuntur. Perspicitur enim quomodo *ratio formalis adæquata et unica* totius virtutis charitatis ponatur in eadem *bonitate divina increata* : ob hanc bonitatem affectu unimur Deo, complacemus in Deo, bonum volumus Deo ; ob eandem adhæremus proximo, ipsique volumus Deum possidendum cum omnibus bonis ad hoc conducentibus. Unde amor noster charitativus, sive ut objectum materiale habeat ipsum Deum, sive nosmetipsos, sive proximum, tandem et ultimo terminatur ad ipsam increatam bonitatem ut ad rationem motivam, atque ab ipsa specificatur ut ab objecto formali ; ita ut, quamvis objecta materialia sint realiter diversa, objectum tamen formale unum sit semper ac idem, quemadmodum eadem lux solis, qua videmus et arbores et animalia et terram et ipsum solem, determinat et specificat potentiam nostram visivam (1).

Non est cur hic practice inquiratur quinam actus tam interni quam externi huic theologicæ virtuti sint adscribendi (2). Id autem notare volumus, actum charitativum erga proximum distingui ab actu charitativo erga Deum, non quidem ratione formali, sed objecto materiali. Dato enim affectu in bonitatem increatam quam super omnia et propter seipsam diligimus, oramus : « Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra », simulque allaboramus ut hæc glorificatio externa magis ac magis procuretur ; — et hi actus manifesto ad charitatem *Dei* pertinent, quia ipsorum objectum materiale-cui immediate benevolentiam charitativam præstamus est ipse Deus. Sed, eodem posito affectu, amicos et inimicos, cognatos et extraneos diligimus, pro omnibus generatim vel pro aliquo speciatim oramus, eorum bonum sive temporale sive æternum volumus et procuramus, « ut in ipsis sit Deus », vel

(1) Cf. *De charitate*, a. 4 ; IIª IIæ, q. XXV, a. 1, c.

(2) Cf. infra, cap. II. art. II.

« ut in Deo sint », vel « in quantum ordinantur in Deum », ut ait S. Thomas ; — et tales actus revera sunt actus charitatis *proximi*, quia eorum objectum materiale-cui immediate dilectionem, benevolentiam ac beneficentiam tribuimus est ipse proximus. Unde qui directe vult gloriam Dei per salutem proximi, certissime ponit actum charitativum erga Deum ; sed qui directe vult beatitudinem æternam proximi vel alia bona ad illam conducentia, sine dubio actum charitatis erga proximum exercet.

De mente Doctoris Angelici.

Sententia quam explanavimus doctrinam S. Thomæ fideliter referre videtur. Benevolum lectorem remittimus præsertim ad opusculum *De charitate*, et in *Summa theologica*, IIª IIæ, ad quæstiones XXIII-XXVII : quam utramque tractationem satis est absque præjudicata opinione perlegere, ut perspiciatur ejus auctoritatem in aliam sententiam invocari non posset.

« Ratione alterius diligimus aliquem, scribit, quando diligimus ipsum quia attinet alii quem diligimus. Ex hoc enim ipso quod diligimus aliquem secundum se, diligimus omnes et familiares et consanguineos et amicos ipsius, in quantum ei attinent ; sed tamen in omnibus illis est *una ratio formalis* dilectionis, scilicet *bonum illius quem ratione sui diligimus*, et ipsum quodammodo in omnibus aliis diligimus. Sic igitur dicendum quod charitas diligit Deum ratione sui ipsius, et *ratione ejus diligit omnes alios in quantum ordinantur ad Deum*. Unde quodammodo *Deum diligit in omnibus proximis ;* sic enim proximus charitate diligitur *quia in eo est Deus, vel ut in eo sit Deus*. Unde manifestum est quod est idem habitus charitatis quo Deum et proximum diligimus » (1). — « Id quod principaliter charitate diligendum est, est summum bonum, quod nos beatos efficit, scilicet Deus. Secundario vero diligendus ex charitate est proximus, qui nobis quodam socialis vitæ jure conjungitur in beatitudinis perceptione vel participatione. Unde hoc est quod in proximo ex charitate debemus diligere, *ut simul ad beatitudinem perveniamus* » (2). — « Ratio diligendi proximum Deus est ; hoc enim debemus in proximo diligere, *ut in Deo sit*. Unde manifestum est quod idem specie actus est quo diligitur Deus, et quo diligitur proximus » (3). —

(1) *De charitate*, a. 4, corp.
(2) *De perfectione vitæ spiritualis*, c. II ; cf. c. XIII, ad fin.
(3) IIª IIæ, q. XXV, a. 1, corp.

« Ratio diligendi proximum Deus est ; non enim per charitatem diligimus in proximo *nisi Deum* » (1).

Et innumera loca parallela recitari possent.

Ita intelligitur quonam sensu S. Thomas doceat quod « *charitas* per charitatem amatur...., quia charitas est illud *bonum quod optamus* omnibus quos ex charitate diligimus. Et eadem ratio est de *beatitudine* et *aliis virtutibus* » (2). Eodem sensu « possunt ex charitate diligi creaturæ irrationales, sicut bona quæ aliis volumus, in quantum scilicet ex charitate volumus eas conservari ad honorem Dei et utilitatem hominum : et sic etiam ex charitate Deus eas diligit » (3). Unde charitas aliæque virtutes, sicut et beatitudo aliaque bona, constituunt objectum materiale-quod charitatis, non vero objectum formale nec objectum materiale-cui.

Simul illustratur fundamentale principium quod S. Thomas, de charitate agens, multoties repetit et applicat : « Amicitia charitatis fundatur super communicatione beatitudinis quæ consistit in Deo essentialiter, sicut in primo principio, a quo derivatur in omnes qui sunt beatitudinis capaces ». Quo principio non tam objectum formale charitatis directe enuntiatur, quam potius regula seu criterium quo Angelicus utitur, dum inquirit quisnam sit noster proximus charitate theologica diligendus. Quod criterium ipsam supponit sententiam quam supra exposuimus. S. Bonaventura idem principium enuntiat, dicens : « Secundum quod homo optat proximo summum bonum, dicitur diligere (charitate) proximum. Istud summum bonum aliquando homo per charitatem optat Deo, aliquando sibi, aliquando proximo » (4) ; non quasi ipsa beatitudo suprema sit ratio formalis charitatis proximi, sed quatenus in optatione hujus beatitudinis exprimitur directe talis dilectio erga proximum, quæ formaliter infinita Dei bonitate determinatur cujus glorificatio ipsa est suprema proximi beatitudo.

Verba quædam S. Thomæ, quæ allegantur in favorem sententiæ oppositæ, intentum non probant : non enim explicantur juxta immediatum contextum (*Summa theologica* et opusc. *De charitate*), vel sunt obscurius dicta (*In III*

(1) IIª IIæ, q. CIII, a. 3, ad 2.

(2) IIª IIæ, q. XXV, a. 2 ; cf. *De charitate*, a. 7, ad 1 : « Dicendum quod virtutem et beatitudinem diligimus ex charitate, in quantum *hoc* volumus *his* quibus competit habere beatitudinem. » Ita intelligitur quod dicit obscurius *In III Sent.*, Dist. XXVIII, q. 1. a. 1, ad 5.

(3) IIª IIæ, q. XXV, a. 3.

(4) *In III Sentent.*, Dist. XXVII, a. 1, q. 2. — Th. Mönnichs hanc sententiam Bonaventuræ rejicit ut « manifeste erroneam », quia bonitas infinita sic apparet tantum ut objectum materiale-quod proximo optatur, non ut objectum formale (*Zeitschr. für kathol. Theologie*, 1898, p. 80 s.). Verum nonne aliis verbis S. Doctor eandem ideam enuntiat ac S. Thomas, qui dicit nos charitate in proximo diligere « ut in Deo sit » ? Sic enim Deum amamus in proximo, seu proximum in quantum ordinatur in Deum.

Sent.). Citantur ab auctoribus suarezianæ sententiæ faventibus ex opusculo *De charitate* et ex *Summa* sequentia loca :

1° « Ratione alterius diligimus aliquem, quando diligimus ipsum, quia attinet alii quem diligimus. Ex hoc enim ipso quod diligimus aliquem secundum se, diligimus omnes et familiares et consanguineos et amicos ipsius, in quantum ei attinent... unde quodammodo Deum diligit in omnibus proximis » (1). — Atqui, addunt, omnes homines aliquo modo attinent ad Deum, ut creaturæ Dei, imagines ipsius sive naturales sive supernaturales, redempti sanguine Christi, etc. ; et ita Deus quodammodo diligitur in omnibus proximis velut in imagine seu similitudine ipsius.

At, in contextu, S. Thomas explicat de quanam attinentia ad Deum, de quanam societate cum Deo agat : « bonum divinum pertinet ad unumquemque, *secundum quod esse potest particeps beatitudinis* » (2). Et ita semper in opusc. *De charitate* et in *Summa theologica* rem intelligit, ut ex locis supra citatis abunde patet.

2° « Quidquid ex charitate diligitur, ea ratione diligitur qua ad Deum pertinet... Constat quod omnes homines ad Deum pertinent, in quantum sunt ab ipso creati et capaces beatitudinis, quæ in fruitione ipsius consistit » (3). — « Non autem nobis sunt contrarii (inimici), in quantum homines sunt et beatitudinis capaces ; et secundum hoc debemus eos diligere (charitate) » (4).

Quod iterum ex contextu intelligendum est ; non enuntiatur duplex criterium ad proximum cognoscendum, sed *unum* tantummodo : homines beatitudinis capaces. Secus enim eodem modo respondendum esset dæmones imo res inanimatas esse proximos nostros, cum sint creaturæ Dei, et dæmones naturaliter sint homine perfectiores.

3° « Bonitas Dei communicatur creaturæ, non autem excellentia bonitatis ejus. Et ideo charitas qua diligitur Deus, non est virtus distincta a charitate qua diligitur proximus » (5). — Atqui, aiunt, bonitas Dei communicatur creaturæ in quantum creatura participat perfectiones divinas sive naturaliter sive saltem supernaturaliter.

Sed propositio illa manifesto intelligenda est juxta doctrinam Angelici de charitate. Cf. q. XXV, a. 1, ad 2.

4° Quædam tandem *(In III Sententiarum)* prima specie videntur ponere ut objectum formale charitatis ipsas virtutes et gratiam sanctificantem (6).

(1) *De charitate*, a. 4, c.
(2) *Ib.*, ad 2.
(3) *Ib.*, a. 8, c.
(4) IIa IIæ, q. XXV, a. 8, ad 2.
(5) IIa IIæ, q. LXXXI a. 4, ad 3.
(6) *In III Sent.* Dist. XXVIII, q. I, a. 1, ad 5 ; a. 4, c. : a. 5, ad 1 ; a. 7, c.

Sed in illis locis loquitur Angelicus, non de objecto formali, sed de *objecto materiali-quod* seu de bonis quæ optantur. Ita, de entibus irrationalibus dicit : « Charitas elicit actum dilectionis non tantum ad ea ad quæ principaliter est charitas, sed etiam ad alia quæ in illa ordinantur : et sic diliguntur ex charitate inanimata, *in quantum ordinantur ad ea ad quæ principaliter et directe est charitas.* » (*l. c.*, a. 2, c.). Atqui inanimata in eodem contextu ponuntur ut objectum materiale-quod (cf. *ib.*, ad 2 et ad 3). Similiter de vita gratiæ dicit : « Dilectio charitatis habet pro fundamento, communicationem beatæ vitæ principaliter, ut ex dictis patet, et vitæ gratiæ *secundum quod ordinatur ad ipsam* » (*l. c.*, a. 7, c.).

Ceteroquin ut omnis dubius sensus tollatur, conferantur hæc loca cum locis supra citatis ex *Summa theologica* et ex opusculo *De charitate.*

ARTICULUS III

Doctrina S. Thomæ probatur et vindicatur.

Rationem formalem charitatis adæquate et exclusive constitui in bono divino, probatur considerando 1° *objectum materiale-cui* charitatis, prout noscitur traditione catholica et consensu fidelium ; 2° *objectum formale* ipsius, quatenus est virtus *theologica* specifice distincta a virtutibus moralibus. 3° Confirmari potest hæc altera ratio determinando specificum discrimen inter charitatem et religionem existens.

1° Quinam veniant sub nomine proximi.

Sub nomine *proximi*, charitate diligibilis ac diligendi, veniunt illa omnia et sola entia creata, quæ nobiscum capacia sunt beatitudinis supremæ ; quo nomine excluduntur, præter irrationabilia, soli dæmones et damnati (1). Ita communiter

(1) Unde inter proximos veniunt etiam *reprobandi*, seu illi homines qui nunquam de facto beatitudinis supremæ erunt participes. Ratio est, quia reprobandi quoad nos non existunt. « Præscitos nondum damnatos, ait S. Thomas, debemus diligere ad vitam æternam habendam ; quia hoc nobis non constat ; et præscientia divina ab eis non excludit possibilitatem perveniendi ad vitam æternam » *De charitate*, a. 8, ad 9 ; coll. IIª IIæ, q. XXV, a. 11, ad 2. Exceptio tantum esset, si de aliquo in particulari fieret certa et absoluta revelatio. Cf. SUAREZ, *De charitate*, Disp. I, sect. 1, n, 5.

omnes catholici. Unde sententiæ, quæ hanc veritatem non salvant sed æquivalenter destruunt, admitti non possunt.

Atqui eam veritatem non salvant sententiæ illorum qui, relationem creatam *naturalem*, sive *ratione* sive *fide* cognitam ut objectum formale charitatis ponunt.

Explicatur et probatur. — Ut principium argumenti, traditione quidem theologica et fide christianorum firmum, ponitur objectum *materiale-cui* charitatis proximi, i. e. personæ quibus secundario charitate adhæremus et bona volumus. Ab objecto materiali-cui distinguendum est objectum *materiale-quod*, seu bona quæ ipsis velle possumus ac debemus : « et per hunc modum [ut objectum-quod] naturam dæmonum etiam ex charitate diligere possumus, in quantum scilicet volumus illos spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam Dei » (1).

Quando autem quæritur quid sit *objectum materiale-cui* seu quid nomine « proximi » intelligatur, omnes respondent cum Suarezio : « *per se omnis creatura rationalis quæ est capax beatitudinis.* Ita Augustinus, l. 1. De Doctrina christiana, c. 23, 26 et 30 ; et alii Patres, qui licet specialiter loquantur de hominibus, extendi id etiam potest ad angelos, ut D. Thomas, 2^{a} $2^{æ}$, q. 25. a. 10, docet, et alii Theologi, quia est eadem omnino ratio. Adde nomine proximi intelligi etiam Christum, ut hominem » (2). Quod ponitur ut certum prorsus ac indubitatum ab omnibus auctoribus, quando loquuntur de objecto materiali charitatis.

Quidam sane, Suarezium sequentes, adstruunt « imperfecto modo posse charitatem versari circa dæmones et damnatos, per voluntates et desideria imperfecta » (3). At hoc assertum est præcise *deductio* logica ex eorum systemate. Cum autem

(1) II^{a} $II^{æ}$, q. XXV, a. 11. c. ; *De charitate*, a. 8, ad 9.
(2) SUAREZ. *De charitate*, Disp. I, sect. I, n. 3.
(3) SUAREZ, *l. c.* n. 4.

hæc deductio sit aliquid inauditum per sæcula anteacta et etiamnum in mente fidelium; cum insuper repugnare videatur ipsi charitati erga Deum, quæ includit plenam nostræ voluntatis conformitatem justo circa dæmones et damnatos beneplacito divino, ideo ipsum systema videtur rejiciendum. Quod jam ostendendum est.

Damnati et dæmones considerari possunt tum ut *creaturæ* valde perfectæ Dei, tum ut creaturæ justa manu divina *punitæ* : sub quo utroque respectu pulchritudinem essentiæ divinæ splendido modo manifestant. Quem splendorem divinum in ipsis exemplatum deprehendimus, non tantum ratione naturali, sed et fide supernaturali. Jamvero, plerique recentiores admittunt omnem entis rationabilis ad Deum relationem, sive naturalem sive supernaturalem, esse objectum formale charitatis theologicæ ; quia in objecto materiali hanc relationem habente ipsa bonitas increata, virtualiter saltem et terminative, diligitur. Proinde logice concludere debent damnatos et præsertim dæmones charitati theologicæ subjici ut objectum materiale-cui : quod omnino respuendum videtur.

Quam tamen conclusionem quidam illorum auctorum rejiciunt, « quia esset conamen irrationale adhuc velle bonum enti alicui, quod tandem aliquando perdidit finem suum ultimum » (1).

Atvero, cum amicitia non unice consistat, ut vidimus, in benevolentia, sed in adhæsione affectus (2), etiamsi benevolentia esset impossibilis, maneret tamen possibilis adhæsio et unio charitativa. Dein, quod quidem plerique illorum auctorum cum Suarezio admittunt, etiam possibilis est benevolentia aliqua, ita ut maneat saltem charitas affectiva. Suarez enim, ut dictum est, admittit damnatos, utpote incapaces bonorum supernaturalium, diligi non posse amore *perfecto* charitatis,

(1) Ita Mönnichs, *l. c.* p. 82.
(2) Cf. supra, p. 282.

etsi imperfecto modo charitas circa illos versari possit per voluntates et desideria imperfecta. « Notant communiter recentes scriptores, ait Ripalda (1), posse damnatos amari ex charitate amore inefficaci et conditionato, quamvis efficaci et absoluto non possint. Quia possumus ex charitate dolere, quod amiserint gratiam et beatitudinem æternam, velleque quod eam habuissent, et, si possibile foret, haberent. » — Quidquid autem dicant, hic esset actus perfectus in ratione charitatis, quamvis non efficax : efficacia enim ad perfectionem actus non requiritur.

Quodsi econtra tenetur objectum formale charitatis proximi esse bonitatem increatam in se consideratam, ad quam plene glorificandam visione beatifica bonum volumus proximo, explicatur adæquate objectum materiale-cui charitatis seu notio *proximi* quam traditio universa nos docet. « Illud autem bonum vitæ æternæ quod respicit charitas spiritibus illis a Deo æternaliter damnatis ex charitate velle non possumus ; *hoc enim repugnaret charitati Dei*, per quam ejus justitiam approbamus » (2). Possumus tamen eos diligere ut objectum materiale-quod, ut permaneant ad gloriam Dei : sed ita considerati, non veniunt sub ratione *objecti materialis-cui*, de quo tantum hic agitur. « Hoc repugnaret charitati Dei, ait merito Angelicus, per ejus quam justitiam approbamus », et quidem approbamus *plene* sicut approbare debemus omnem omnino volitionem divinam : et hoc vel inde patet, quod charitas perfecta in cœlo, quemadmodum charitas Dei erga seipsum, includere non potest, erga damnatos, nisi gaudium et complacentiam de justitia æterni Vindicis (3).

(1) *De ente supernaturali,* IV, Disp. XXXVII, s. 1, n. 8.

(2) IIª IIæ, q. XXV, a. 11, c.

(3) P. Lehmkuhl (*Theologia moralis*, t. I, n. 591) merito docet : « illi (damnati et dæmones) a consortio divino prorsus exclusi caritatis incapaces sunt, *neque ad eos amorem divinum extendere licitum esse potest.* » — Item Rmus P. Billot (*De virtutibus infusis,* ed. 3ª, p. 405 coll. p. 411) : charitas se

Patet hoc primum argumentum non valere contra illos qui excludunt ex objecto formali omnem perfectionem *naturalem*, admissis tantummodo donis supernaturalibus, quæ desunt, re et potentia, in damnatis et dæmonibus ac creaturis irrationabilibus. At omnino valet contra ceteros.

2° Quænam sit ratio specifica virtutis theologicæ.

Secundum argumentum, quod valet contra omnes adversarios, desumitur ex consideratione ipsius formalis objecti charitatis ut virtutis theologicæ.

Virtus vocatur *theologica*, quæ ordinatur immediate ad Deum et ab ipsa Deitate specificatur ; charitas vocatur theologica, quia specificatur ipsa bonitate divina increata.

Atqui, amor proximi qui ut rationem formalem habet bonitatem aliquam creatam, non specificatur bonitate increata.

Ergo ille amor non est charitas theologica, sed alius specifice diversus.

Explicatur et probatur. — *Major* argumenti, prout enuntiatur, demonstratione non indiget ; unde vis ponitur in *minore*, quæ probatur :

1° *Indirecte*, ex analogia multiplici.

a) Virtute religionis potest creatura aliqua honorari vel propter suam intrinsecam excellentiam creatam, v. g. B. M. V ; vel propter excellentiam increatam ad quam habet relationem. At actus illi, ut communiter admittitur, sunt specie diversi, prior pertinens ad duliam, alter ad latriam (1).

Pari modo amor proximi propter suam intrinsecam bonitatem, et amor ejusdem propter bonitatem increatam

---

extendit « *minime* ad dæmones cæterosque damnatos qui a bono quod respicit charitas definitive sunt exclusi. » Cf. BALLERINI-PALMIERI, op. cit. t. II, n. 152.

(1) Cf. LESSIUS, *De justitia et jure*, L. II, c. 36, n. 22 s. ; BECANUS, *Summa theologiæ scholasticæ. De religione.* Q. IV, n. 9 ; LUGO, *De incarnatione*, Disp. XXXV, S. 1, n. 8-12 ; RIPALDA, *op. cit.*, Disp. XXXVII, s. 4.

debent esse actus specie diversi. Et hoc Suarez ipse, quoad suam sententiam, dicit « difficilius argumentum » (1).

b) Amore pure naturali, Deus potest amari propter se, et proximus propter suam virtutem seu perfectionem. Atqui, juxta omnes, illi amores sunt specifice distincti. Pariter amor supernaturalis quo Deus amatur propter se est specifice distinctus ab amore etiam supernaturali quo amatur proximus propter suam bonitatem intrinsecam.

Suarez equidem negat « esse simile de ordine naturæ et gratiæ, quia homo, secundum naturale esse et virtutes acquisitas, non constituitur in eodem ordine et gradu rerum cum Deo, neque est particeps ejusdem bonitatis, in qua communicatione fundatur una amicitia supernaturalis inter Deum et creaturas elevatas ad illam beatitudinem » (2).

Atvero, si ita est, sequitur omnem amorem supernaturalem, qua talem, pertinere ad charitatem theologicam, quam consequentiam revera admittit. Sed ulterius sequi videtur omnes virtutes morales infusas esse theologicas, quatenus sunt supernaturales : etenim, juxta Suarez, amor qui agit sub motivo et honestate supernaturali, eo ipso fit theologicus ; atqui, virtutes omnes infusæ etiam supernaturaliter regulantur ; unde, a pari, dicendæ sunt theologicæ. Quod contradicit universæ traditioni.

Reponit quidem Suarez, « non esse simile de virtutibus aliis moralibus (præter amorem), quia aliæ, quamvis supernaturaliter regulentur, retinent honestatem formalem distinctam ab honestate charitatis. »

Sed nonne ipsa amicitia infusa, ob perfectionem creatam proximi, retinet suum objectum formale distinctum ab objecto formali charitatis ? Nam, juxta Suarez, prius objectum formale ad alterum est reducibile in obliquo, non quatenus

(1) *De charitate.* Disp. I, sect, 3, n. 10.
(2) Cf. *ib.*

est tale objectum formale, sed præcise quatenus modo supernaturali attingitur : secus enim, de amore pure naturali idem dicendum esset, quod nemo admittit. Quodsi igitur amicitia infusa, qua infusa, evehatur ab ordine virtutis moralis ad *charitatem* theologicam, eodem prorsus modo virtus quævis infusa, utpote agens sub regula supernaturali, evehi debet, non dico ad ordinem charitatis, sed saltem ad ordinem *theologicum* : quod omnino rejiciendum est.

c) Scientia beata quæ immediate attingit veritatem increatam, et scientia infusa quæ immediate veritatem creatam attingit, specifice distinguuntur. Item fides theologica quæ immediate ipsam auctoritatem Dei revelantis ut objectum formale habet, et fides alia, etiamsi supernaturalis, quæ nititur motivo auctoritatis humanæ aut elicitur ob evidentiam de auctoritate Dei revelantis. Nonne, a pari, amor proximi ob perfectionem ipsius creatam, et amor proximi ob complacentiam bonitatis divinæ specie distinguendi sunt ?

2° *Directe* probatur, ipsa re inspecta.

Una eademque virtus niti debet *uno eodemque motivo formali* : ita, inter theologicas, fides nititur auctoritate Dei revelantis, spes bonitate Dei respectiva et auxiliante. Quod idem de charitate est dicendum.

Atvero bonitas creata et bonitas increata ita sunt ab invicem distantia, ut ne in eodem quidem genere conveniant. Quomodo ex objectis formalibus ita distantibus eadem species desumi posset, equidem non perspicitur.

Ad rem S. Thomas : « Habitus non diversificantur, ait, nisi ex hoc quod variant speciem actus. Omnis enim actus unius speciei ad eundem habitum pertinet. Cum autem species actus ex objecto sumatur, secundum formalem rationem ipsius ; necesse est quod idem specie sit actus qui fertur in rationem objecti, et qui fertur in objectum sub tali ratione ; sicut eadem est specie visio qua videtur lumen, et qua videtur

color secundum luminis rationem. Ratio autem diligendi proximum Deus est ; hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum est quod idem specie actus est quo diligitur Deus, et quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi » (1).

Cujus vis argumenti melius perspicietur ex responsis ad rationes oppositas.

Obj. 1° Etiamsi conceditur habitus specificari ex suo objectu formali, itemque actus diversificari juxta suum objectum formale, nihil sequitur : objectum enim formale quo ab invicem diversificantur actus est proximum, objectum vero formale quo specificantur habitus est remotum et magis generale. Cum habitus se habeat ad plures actus ac sit generale principium actuum, inde « fit ut habitus respiciat suum objectum sub ampliori ratione, actus vero sub ratione magis contracta ; quocirca eadem ratio formalis quæ, comparata ad habitum, una est, comparata ad actus respicere potest diversitatem, prout diversimode informat diversas materias ; quod maxime in proposito habet locum. Primo, quia amor Dei est semper immediate propter bonitatem increatam intrinsecam ipsi Deo ; amor vero proximi interdum est immediate propter participationem creatam illius bonitatis increatæ : interdum vero est propter ipsam bonitatem increatam, sed tamen extrinsece applicatam ; hæc autem magna diversitas est respectu actus » (2). Itaque unus specie habitus elicere potest diversos specie actus : sic « amor quo amatur proximus propter bonitatem increatam non est ejusdem rationis cum actu amoris Dei, sed aliquo modo ab eo differt essentialiter... hi duo amores non differunt tamquam species totales omnino diversæ, sed quasi partiales et in-

(1) IIa IIæ, q. XXV, a. 1, c.
(2) SUAREZ, *De charitate*, Disp. II, sect. 2, n. 2.

completæ » (1) ; item « actus dilectionis quo diligitur proximus immediate propter bonitatem creatam in eo inhærentem, est specie distinctus ab actu amoris Dei » (2). Attamen omnes illi amores eliciuntur eadem virtute charitatis : habetur enim in omnibus idem objectum formale quo specie charitas a ceteris virtutibus discernitur, scilicet bonitas increata, « vel simpliciter, vel secundum quandam reductionem, in quantum participatio ejusdem ordinis ad suam originem revocatur » (3).

R. Transeat antecedens, scilicet actus specie distinctos posse elici una eademque virtute : quod nonnulli eruere intendunt ex doctrina ipsa Angelici (I^{a} II^{æ}, q. LIV, a. 4) (4).

Neg. consequens. Etenim ut actus specifice distincti possint elici eadem virtute, requiritur ut rationes formales ad quas singuli actus terminantur in uno formali objecto virtutis conveniant. Atqui bonitas creata proximi non continetur in bonitate increata divina, quæ constituit objectum formale charitatis. Ergo amor proximi ob suam bonitatem creatam ad charitatem non pertinet.

Dixi : *transeat* antecedens : distinctio enim actuum qui eadem virtute eliciuntur non videtur distinctio specifica, sed tantum distinctio materialis, juxta diversa objecta materialia ad quæ terminantur ; et ita videtur intelligendus D. Thomas in loco citato (5). Ideo distinctio illa specifica partialis, quam Suarez invenit inter amorem Dei ob bonitatem suam increatam et amorem proximi ob eandem bonitatem Dei increatam, distinctio est materialis, non specifica.

(1) Suarez, *ib.*, n. 5 et 6 ; Lehmkuhl., *Theologia moralis*, I, n. 593, nota.

(2) Suarez, *ib.*, n. 4.

(3) Suarez, *op. cit.*, Disp. I. sect. 3, n. 9.

(4) Ita Rmus P. Billot. *De virtutibus infusis*, ed. 3^{a}, p. 90 s.

(5) Citantur passim, ad idem principium probandum quoad charitatem, II^{a} II^{æ}, q. XXIII, a. 5, ad 1 ; q, XXV, a. 12, ad 1. — Sed etiam in his locis agitur de mera distinctione objectorum materialium, ut patet si conferatur responsum cum objectione.

Inst. probari posse *consequens* supra negatum.

Amor proximi, ob bonitatem ipsius creatam supernaturalem, non sistit in proximi bonitate simpliciter, sed secundum reductionem seu in obliquo *terminatur ad bonitatem Dei increatam.* Ergo salvum manet argumentum.

Etenim, cum gratia sanctificans proximo inhærens sit formalis participatio naturæ divinæ, ille qui amat proximum ob gratiam sanctificantem, eum amat formaliter propter bonitatem divinam participatam, ergo *æquivalenter* propter hanc ipsam bonitatem divinam in se.

R. Amor proximi, ob bonitatem ipsius supernaturalem, secundum reductionem seu in obliquo terminatur ad bonitatem divinam increatam, *dist. :* si bonitas proximi supernaturalis consideratur ut est perfectio inhærens proximo, *neg. ;* — si consideratur ut dicit formaliter participationem analogicam bonitatis increatæ, *subdist. :* — si consideratur præcisive ut imago bonitatis increatæ, *transeat ;* — si in hac complacentia de imagine implicite includitur actus complacentiæ de ipsa bonitate increata, *conc. :* et hæc ultima hypothesis *in praxi* solet verificari.

Ad explicandas distinctiones, dicendum est gratiam sanctificantem considerari posse tum ut est prædicamentaliter in proximo, qua perfectio ipsi proximo inhærens ; tum ut formaliter causantem participationem vitæ divinæ seu filiationem Dei adoptivam. Priori sensu, negandum est, contra Suarez ejusque discipulos, cum Thomistis omnibus, perfectionem supernaturalem proximi fundare posse charitatem theologicam : cum ita consideretur bonitas simpliciter creata quæ non in eadem specie nec eodem genere ponitur ac increata. Altero autem sensu, amor iste, cujus ratio motiva constituitur in bonitate participata, multis auctoribus pertinere videtur ad virtutem theologicam : « Quia licet in infinite distent (perfectiones proximi) ab infinita Dei perfectione, tamen non

tam ipsæ quam ipsa Dei perfectio in illis amatur, sicut in imagine amatur prototypus qui est tota ratio amandi imaginem » (1). Etenim « similitudo formalis unius extremi cum alio complectitur essentialiter saltem in obliquo extremum cui est simile » (2). Et hæc est sententia multorum Thomistarum : quam non audemus rejicere.

Nihilominus videtur subsistere quædam difficultas : sane habetur similitudo formalis inter participationem et Deitatem, sed est similitudo non univoca sed analoga rerum quæ in infinite distant ab invicem ; si simile univocum possit complecti essentialiter in obliquo extremum simile, non videtur quomodo hoc verum sit de simili analogo.

Attamen, cum participatio Deitatis in justis pertineat ad inscrutabilia mysteria, cum præterea non plene perspectum habeamus modum quo virtus theologica in hac vita ipsam Deitatem formaliter attingat, ideo hæc difficultas forte non est nisi profunditas mysterii.

Addendum autem, ad praxim quod attinet, in illa hypothesi actum charitatis theologicæ *de facto* ordinarie adesse. Etenim, si formalis conjunctio justi cum Deo sit explicita ratio motiva amoris, primaria complacentia, saltem implicite, referri videtur in ipsam bonitatem divinam et *propter illam* in dona quæ eam specialiter participant (3). Vix psychologice fiet, quin adsit implicita, vel imo explicita, complacentia in bonitatem increatam. Et ita *quoad praxim* laudatis auctoribus plene assentiendum est.

Quidquid sit de hac sententia plurium Thomistarum, perperam exinde quis concluderet bonitate proximi *naturali* posse specificari actum charitatis, ideo quia omnis bonitas

(1) Ita Billuart. *Tractatus de charitate*, Diss. I. a. 3, § II. — Cf. Wiggers, *Commentaria de virtutibus theologicis*, q. XXV, a. 1, n. 15.

(2) Ripalda. *De ente supernaturali*, IV, Disp. XXXII, s. 3, n. 31.

(3) Ripalda, *l. cit.*, s. 2, n. 15.

creata est participatio Deitatis. Nam, consentientibus omnibus Theologis, participatio ordinis supernaturalis superat participationem naturalem, sicut ordo divinus ipsam creaturam.

Obj. 2° Sacra Scriptura et Patres omnem dilectionem infusam proximi ad unam eandemque virtutem charitatis reducunt. Atqui existit dilectio infusa proximi quæ ut rationem formalem habet bonitatem proximi creatam (1).

R. Dato non concesso S. Scripturam et S. Patres omnem dilectionem proximi *vocare* charitatem, nihil tamen inde probatur (2) ; « quod eadem charitatis voce, ait merito Ripalda, usurpentur amor Dei et amor proximi, argumentum non est eos ad unum et eumdem habitum pertinere. »

Obj. 3° Spe theologica speramus non solum in Deo, sed etiam in aliis qui gratiam et virtutem Dei participant ; fide theologica credimus non solum Deo, sed etiam illis qui spiritu Dei loquuntur, et nominatim Ecclesiæ docenti nomine ipsius Dei (3). A pari in charitate.

R. Dist. : speramus in aliis et credimus aliis, etiam spe et fide theologica, si illos habemus agentes et loquentes ut instrumenta divina, *conc.* ; — si nitimur ipsorum potentia et veracitate etiamsi supernaturali, prouti in ipsis est, *neg.*

Ad explicationem distinctionis : fides in Ecclesiam infallibiliter docentem dupliciter cogitari potest. Cum credo S. Trinitatem *quia Ecclesia eam docet*, credere possum *immediate ob auctoritatem Dei revelantis*, quæ mihi, quoad hoc dogma, *innotescit per Ecclesiam* ut praeconem vel instrumentum : et hæc est fides stricte theologica, ut patet. Vel possum cre-

(1) Hoc est argumentum fundamentale adversariorum. Cf. SUAREZ, *op. cit.*, Disp. I. sect. 3. n. 7 ; WIGGERS. *op cit.*, n. 13.

(2) Quoad S. Scripturam cf. supra, p. 61. ss. ; quoad S. Augustinum, cf. p. 110 ss.

(3) Cf. SUAREZ, *ib.*, n. 9. — TH. MÖNNICHS (*Zeitschr. für kath. Theologie*, 1898, p. 84), evolvit argumentum ex fide ductum.

dere *immediate ob auctoritatem Ecclesiæ docentis*, quæ mihi innotescit per argumenta historica vel alia : et hæc est fides *humana* quamvis supernaturalis, toto cœlo distans a fide theologica ; sane attingit ultimatim ipsam auctoritatem divinam, in qua ipsamet Ecclesiæ auctoritas nititur, sed eam attingit *mediate*, quatenus scilicet est motivum formale remotum. Quod nullatenus sufficit ad virtutem theologicam, ab ipsa Deitate immediate specificandam. Et eodem fere modo dicendum est de spe.

Qua distinctione posita, omnimoda paritas cum charitate habetur : si, proximum diligendo, attingimus formaliter, saltem implicite, ipsam bonitatem divinam increatam, est actus theologicus ; si autem attingimus immediate ipsam bonitatem proximi, attingimus bonitatem divinam ut objectum remotum, et actus non est theologicus, quamvis esse possit supernaturalis.

Obj. 4° Ut res concreto modo enuntietur, dilectio proximi, ut creaturæ, ut imaginis Dei, comparanda est charitati Dei, quemadmodum lumen lunæ comparatur lumini solis a quo derivatur ; quemadmodum amor photographiæ comparatur amori personæ repræsentatæ ; quemadmodum cultus latriæ relativus, qui redditur alicui creaturæ, comparatur cultui latriæ absoluto, qui redditur Deo (1).

R. Comparationes non sunt rationes. Et quidem quoad primam, lumen lunæ est univocum cum lumine solis ; e contra bonitas in proximo, etiam ut splendor Deitatis, est analoga cum bonitate increata nec in eodem genere ullatenus convenit : si autem in complacendo de divino splendore externo, voluntas implicite complacet de ipsa Deitate, videtur esse amor proximi ob bonitatem increatam seu actus charitatis.

Quoad secundam comparationem, amor photographiæ du-

(1) Cf. Mönnichs, *l. c.* p. 84, coll. p. 80.

pliciter cogitari potest : vel propter pulchritudinem ac similitudinem artificiosam quæ ipsi huic rei inest, et sic aliquo modo comparatur amori proximi propter perfectiones et pulchritudinem ipsi inhærentes ; — vel propter ipsum amicum repræsentatum, et sic æquiparatur amori proximi propter ipsam bonitatem increatam ad quam proximus refertur. Atvero constat amorem photographiæ sub priori respectu esse prorsus distinctum ab amore ejusdem sub altero respectu. Posterior terminatur formaliter ad amicum, prior vero ad opus artificis. Idem prorsus dicendum est de amore proximi.

Tertia tandem comparatio sententiam nostram confirmat, nedum ipsi contradicat. Omnibus enim concedentibus, in cultu latriæ relativo ratio formalis nullatenus existit in creatura, sed ipsi extrinseca est : excellentia nempe ipsius Dei in se, ad quam creatura sancta relationem dicit. Eodem prorsus modo, in charitate proximi ratio formalis in proximo non est, sed in bonitate increata, ad quam proximus relationem habet quatenus est capax beatitudinis æternæ. — Alia comparatio esset inter duliam et latriam : sed quia illa respicit excellentiam creatam, hæc vero increatam, ideo sunt actus specie diversi.

3° Quare specifice differant charitas et religio.

Tertia ratio confirmatoria ex discrimine specifico inter virtutem charitatis et virtutem religionis desumitur.

Apud Theologos morales classicum est discrimen specificum, vi cujus charitas habetur ut excellentissima inter *theologicas*, religio autem ut prima ponitur inter virtutes *morales* : oratio, adoratio, votum, juramentum et alia hujusmodi eandem specificam rationem non habent ac amor charitativus Dei vel proximi (1).

(1) Cf. S. Thomas, IIª IIæ, q. LXXXI, a. 5 ; Lessius, *De justitia et jure*, L. II, c. 36, dubit. 2 ; Lehmkukl, *Theologica moralis*, I, n. 328 ss.

In virtutibus enim theologicis Deus attingitur immediate ut objectum materiale primarium, et præsertim ut objectum formale, ita ut species actus desumatur ex ipsa Deitate sub aliquo respectu considerata. At in virtute religionis Deus non attingitur ut objectum materiale-quod, nec immediate ut objectum formale, sed species actus aliunde quam ex Deo oritur. Deus non attingitur ut objectum materiale : hoc enim consistit in cultu Deo tributo, quemadmodum in justitia objectum materiale-quod non est proximus, sed objecta vel actus quæ ei debentur. Item non attingitur Deus *immediate* ut objectum formale seu ratio motiva : hoc enim consistit immediate in honestate morali cultus qui Deo redditur, seu in jure quod Deo agnoscimus in cultum nostrum, quemadmodum in justitia objectum formale consistit in stricto jure quod habet proximus. Quodsi *ulterius* quæritur in quonam nitatur ipsum jus Dei in cultum nostrum, respondetur : in Deo ipso, quatenus est ens infinite excellens ; unde Deus in se seu divina excellentia vocatur objectum materiale-*cui* seu *finis-cui* actus religionis.

Ad rationem autem virtutis theologicae nullatenus sufficit ut Deus sit objectum materiale-cui, sed requiritur ut attingatur qua objectum *formale immediatum*. Et ideo illa fides non est theologica, sed humana, quæ elicitur ob honestatem assensus in divinam auctoritatem revelantis, id est, ob evidentiam in attestante Deo perspectam. Et ob illud discrimen quoad objectum formale, religio in ordine naturali extitisset et quidem ut regina omnium virtutum ; virtutes vero theologicæ, quibus Deus homines attrahit ad intimam ac mysteriosam unionem cum ipso, prorsus non fuissent.

Atqui amor proximi *ob perfectiones ejus quaslibet* æquiparandus est, quoad analysim actus, actui religionis : objectum materiale-quod sunt bona quæ proximo volumus complacendo vel efficiendo ; objectuum formale est perfectio proximi quæ

digna est dilectione nostra. Quodsi ulterius quæratur, ob quodnam motivum seu quanam sub ratione hæc perfectio nostro amore sit digna, responderi potest : quia est perfectionis divinæ participatio naturalis vel supernaturalis. Et ita Deus est *objectum materiale-cui ultimum* seu *finis* hujus amoris, nullatenus vero immediatum objectum formale. Unde non magis *immediate* terminatur ad divinitatem iste amor proximi, quam quivis actus religionis : *terminatur* sane ad bonitatem increatam, sicut religio ad increatam excellentiam, sed nonnisi *mediate*.

Unde si diceretur hunc amorem proximi pertinere ad charitatem, tenendum esset vel ipsam religionem esse virtutem theologicam sicut et charitatem, vel ipsam charitatem esse virtutem moralem sicut et religionem : quod prorsus rejiciendum est. Et sic iterum confirmatur thesis posita (1).

CAPUT II

CONSECTARIA MORALIA.

SUMMARIUM. — I. *A charitate fraterna theologica apprime distinguendæ sunt* virtutes morales amicitiæ *et* misericordiæ.

II. *Determinatur quinam sint charitatis fraternæ actus* eliciti *seu stricte proprii, tum interni, tum externi, et quænam motiva eos inspirare soleant.*

III. *Existit* præceptum *charitatis fraternæ.*

Speciale *præceptum charitatis, per actus* specifice charitativos *implendum, obligat 1° erga* Deum, *ad actus internos, tam per se quam per accidens; ad actus autem externos, saltem per accidens;*

(1) Ripalda, postquam eandem thesim probavit, longo dein sermone disserit de aliquo objecto *formali-quod*, nempe de bono quod propter se appetitur a voluntate, et quod distinguit ab objecto *formali-cui* seu persona cui propter se bonum appetitur. Probat hoc alterum esse bonitatem increatam ; contra « recentiores », vult probare illud prius esse gloriam Dei extrinsecam in beatifica visione Cf. *op. cit.*, disp. XXXV, sect. 1 et 2. — Sed hæ sunt veræ cavillationes, et, ut « recentiores » jure merito notant, objectum, quod vocat *formale-quod*, non differt ab objecto quod vocari solet *materiale-quod.*

2° *erga* proximum, *non quidem ad actus externos, sed ad internos, saltem implicitos, universales et per accidens.* — Generale *autem præceptum imperat ut omnes obligationes ceterarum virtutum impleantur.*

ARTICULUS I

De virtutibus moralibus amicitiæ et misericordiæ.

A charitate theologica proximi, quæ est amicitia proximi propter Deum, distinguatur oportet *moralis* virtus *amicitiæ*, sive naturalis seu æquisita, sive infusa : hoc est primarium consectarium ex dictis (1). Charitas specificatur bonitate divina increata, amicitia moralis vero bonitate seu perfectione ipsius proximi.

A fortiori, a charitate specifice discernenda est virtus moralis *misericordiæ*. Hæc tamen intime nectitur charitati, ad quam ducit vel quam consequitur, sed motivum formale habet distinctum, utpote « respiciens quamdam specialem rationem, scilicet miseriam ejus cujus miseretur » (2).

Inde patet Tractatum de charitate, prout in Theologia morali tradi solet, de diversis specifice virtutibus agere ; quod magnopere ad Tractatus intelligentiam interest. Ideo probari possunt auctores, qui hanc materiam ita scindunt ut amorem et misericordiam erga proximum, majorem scilicet Tractatus partem, non ponant sub virtutibus theologicis, sed inter « virtutes et officia circa homines vel circa proximum ». (3) Attamen a plurimis doctoribus, S. Thomam

(1) Hoc docet vel supponit D. Thomas non uno in loco, v. g., IIª IIæ, q. CIII, a. 3, ad 2 ; *De charitate*, a. 4, c. ; a. 7, c.

(2) IIª IIæ, q. XXX, a. 3, ad 3 ; SUAREZ, *op. cit.*, Disp. IV, s. 2.

(3) Ita, v. g., SIMAR. *Lehrbuch der Moraltheologie*, 3e aufl., Freiburg, i. B., 1893 ; PRUNER. *Katholische Moraltheologie*, 3e aufl., Freiburg, i. B., 1902 ; LEHMKUHL. *Theologia moralis*, 10ª ed., Frib. Brisg. ; KOCH. *Lehrbuch der Moraltheologie*. Freiburg i. B., 1905 ; COSTANTINI, *Institutiones Theologiæ moralis*, ed. 3ª, Romæ, 1900.

sequentibus, misericordia charitati annectitur, et quidem logice, quia considerari potest ut charitatis immediatus effectus.

ARTICULUS II

De actibus a charitate fraterna elicitis.

Quæritur quinam actus in concreto habendi sint ut actus *eliciti* a charitate proximi, scilicet ut actus qui immediate, nulla mediante alia virtute, procedunt ex ipsa illa virtute theologica in qua consistit culmen perfectionis christianæ.

Hic non agimus de actibus moralibus ac meritoriis qui charitate imperantur : enimvero omnes actus boni erga proximum, sive pietatis, sive justitiæ, sive aliarum virtutum, possunt esse actus *imperati* charitatis.

Charitas erga proximum elicere potest actus tam internos quam externos. In quantum internos actus producit, vocatur *affectiva ; effectiva* vero, in quantum elicit externos.

Ille actus elicitur a charitate, qui elicitur ab *amore proximi ob complacentiam de bonitate divina increata.* Itaque duplex requiritur conditio : 1° ut sit actus pertinens formaliter ad *amorem* proximi : unde excluduntur actus qui specifice pertinent ad misericordiam, liberalitatem, pietatem, obedientiam, justitiam et alia hujusmodi ; scilicet actus qui ponuntur quidem ob bonum proximi, sed consideratum sub specie diversa a communi ratione boni (1). 2° Ut actus amoris proximi determinetur ac specificetur ipsa *bonitate divina increata :* unde excluduntur omnes actus amoris qui eliciuntur ex complacentia de perfectionibus proximi, et non, saltem implicite, ex complacentia bonitatis divinæ.

(1) Cf. S. Thomas IIª IIæ, q. XXXI, a. 1, c.

1° De actibus internis.

Quo principio ex supra probatis jam supposito, quæritur quibusnam actibus *internis* charitas exerceatur. Enumerantur passim a Theologis : gaudium et complacentia de bonis proximi, desiderium quo ei felicitatem optamus, tristitia de ejus malis, propositum voluntatis quo, data occasione, ejus bonis providere parati sumus (1).

Qui actus certe pertinent ad amorem proximi : prior igitur conditio adest. Utrum vero sint actus proprii *charitatis* necne, pendet ab altera conditione requisita : si actus illos ponimus ex complacentia boni increati ad quod glorificandum proximus ordinatur, sunt actus charitatis ; si vero ex complacentia perfectionum seu qualitatum proximi, sunt actus amicitiæ moralis.

Quoad praxim autem notandum est, complacentiam de proximi perfectionibus et virtutibus *supernaturalibus* qua talibus, optationem beatitudinis *cœlestis*, tristitiam de *peccato* proximi, ordinarie esse actus charitatis ; nam vix psycholige fiet, quod hujusmodi tristitia, optatio, delectatio non eliciantur, et quidem explicite, ex complacentia bonitatis divinæ increatæ. Ceteri etiam actus amoris possunt elicitive ad charitatem pertinere, revera autem rarius ad eam pertinent.

2° De actibus externis.

Quod actus *externos* spectat, i. e. beneficentiam sive spiritualem sive corporalem, — ut sunt eleemosyna, correptio fraterna, omissio actionis ne proximus scandalizetur, donum vitæ pro alio etc., — quæritur an charitas eos elicere possit, et quosnam. Eadem utendum est distinctione (2).

(1) Cf. NOLDIN, *De præceptis Dei et Ecclesiæ*, n. 71, 2 ; LEHMKUHL, *Theologia moralis*, I, n. 594. — S. Thomas ut actus internos seu effectus proprios charitatis enumerat : 1° dilectionem ac benevolentiam (IIª IIæ, q. XXVII), 2° gaudium (ib., q. XXVIII), 3° pacem (ib., q. XXIX).

(2) Cf. S. THOMAS, IIª IIæ, q. XXXI, a. 1 et 4.

Prior conditio facile verificatur, etiam in eleemosyna et in operibus quæ dicuntur « misericordiæ ». Sed insuper requiritur ut actus effectivæ benevolentiæ ponatur ex complacentia increatæ bonitatis. Unde beneficentia ut proprius actus tum ad charitatem, tum ad alias virtutes pertinere potest : « Fere nullum est bonum, ita Suarez (1), quod charitas potest conferre proximo, quod non possit etiam fieri alia virtute, scilicet misericordia, gratitudine, liberalitate, vel simili ; hoc tamen non obstante, potest charitas per seipsam id præstare, nulla alia virtute utendo. »

Practice autem, eleemosyna ordinarie pertinebit ad misericordiam, aliquando ad amorem moralem, aliquando ad charitatem. Idem dicendum videtur de aliis operibus beneficentiæ, quæ vocari solent, ex sua specie ordinaria, opera « misericordiæ » ; patet autem opera misericordiæ *spiritualia* facilius oriri ex charitate quam corporalia, quia magis directe ordinantur ad Deum ; item opera *heroica* facilius quam quotidiana, quia tantummodo ex ardentissima charitate erga Deum produci solent.

3° De quibusdam actuum motivis.

Quæri tandem potest an omnes actus benevolentiæ affectivæ vel effectivæ erga proximum quorum *motivum aliquo modo* referatur ad *Deum*, dicendi sint actus charitatis seu « propter Deum » ? Motiva nempe variis sub formulis enuntiantur : 1° *quia Deus hoc imperat ;* 2° *quia hoc Deo placet ;* 3° *quia honestum est proximo bonum velle ;* 4° *quia proximus Deum in*

(1) SUAREZ, *op. cit.* Disp. II, s. 1, n. 7 ; cf. Disp. IV, 1-2, n. 4. — Circa hoc errant nonnulli. Ita Th. Mönnichs scribit : « Was sodann die äusseren Werke der Barmherzigkeit angeht, die vor allem des Namens « Nächstenliebe » sich erfreuen, so ist klar, dass sie nicht von der Liebe erweckte Handlungen sind, da die Tugend im Willen allein ihren Sitz hat. Von der göttlichen Liebe *befohlene* Akte können sie sehr leicht sein und sind es sehr oft, und erhalten somit Benennung und Verdienst vom befehlenden act. » (*Zeitschr. für kathol. Theologie*, 1898, p. 86).

æternum laudabit ; 5° ut possit æternaliter Deo frui ; 6° ut proximus Deum in æternum glorificet.

Responsum est in dictis : si his motivis exprimitur motivum formale charitatis, i. e. Dei bonitas increata de qua complaceatur, est actus elicitus charitatis ; secus, est actus alius virtutis. Ita ex primo motivo ordinarie ponitur actus obedientiæ ; ex secundo pariter ; ex tertio, actus amoris moralis; ex quarto, quinto et sexto ordinarie actus charitatis elicitur.

Et re quidem vera, si proximus oculo christiano ac supernaturali aspicitur, si in ipso consideratur id quo intimo modo unitur Deo, v. g. vocatio ad vitam æternam, redemptio per sanguinem Christi et alia hujusmodi, in praxi signum est ac indicium amoris vere theologici. Etenim, ut fideles actum charitatis eliciant, non oportet ut mente sua hujusmodi actus analysim expresse concipiant ac efficiant. Sicut ad veritatem percipiendam non opus est ut homo possideat scientiam psychologicam vel criteriologicam, ita, ad Deum amandum in se et proximum in Deo et propter Deum, nullatenus requiritur ut justus actus sui rationem formalem sibi exprimat. Quo sanctior est homo quoque intimiore affectu Deo unitus, eo facilior ipsi erit ac frequentior actus charitatis. Certo certius, S. Franciscus Salesius actum perfectissimæ charitatis eliciebat, uno hoc suspirio : « O Deus, ego amo te ! » ; et S. Franciscus Xaverius, sese impendendo ac superimpendendo pro salute spirituali imo corporali paganorum, eo ipso perfectissimam charitatem proximi exercebat.

ARTICULUS III

De præcepto charitatis fraternæ.

1° De existentia præcepti.

Ex doctrina supra probata abunde manifestatur necessitas seu præceptum charitatis fraternæ. Intima enim charitatis

erga Deum ratio consistit in actu interno et affectivo, quo ipsi adhæremus, in eo complacemus, eique bonum volumus.

Benevolentia autem erga Deum, ut dictum est, secundario importat benevolentiam erga proximum ad minus *internam*, quia diligimus proximum ut sit Deo : unde ipsum præceptum charitatis Dei secum fert ac includit præceptum internæ charitatis proximi.

Hujus charitatis actus *externus* est beneficentia. Etenim « beneficentia nihil aliud importat quam facere bonum alicui. Potest autem hoc bonum considerari dupliciter : uno modo secundum communem rationem boni ; et hoc pertinet ad communem rationem beneficentiæ ; et hoc est actus amicitiæ, et per consequens charitatis : nam in actu dilectionis includitur benevolentia, per quam vult aliquis bonum amico. *Voluntas autem est effectiva eorum quæ vult, si facultas adsit ;* et ideo ex consequenti benefacere amico ex actu dilectionis consequitur. Et propter hoc beneficentia secundum communem rationem est amicitiæ vel charitatis actus. Si autem bonum quod quis facit alteri, accipiatur sub aliqua speciali ratione boni, sic beneficentia accipiet specialem rationem, et pertinebit ad aliquam specialem virtutem, v. g. si sub ratione debiti, tunc pertinebit ad justitiam ; si sub ratione relevantis miseriam vel defectum, tunc pertinet ad misericordiam, et sic porro » (1).

2° De natura præcepti.

Itaque existit præceptum charitatis fraternæ. Quale autem sit hujusmodi præceptum, sat subtilis est quæstio.

I. Quoad ipsum Deum : 1° præceptum *speciale* charitatis *internæ* existere, et proin adimplendum esse actibus internis specifice ad charitatem pertinentibus, nullus hodiernus jam

(1) S. Thomas, IIa IIæ, q. XXXI, a. 1, corp. et ad 3.

ambigit. Quod elucet tum ex quibusdam propositionibus ab Alexandro VII, Innocentio XI, et Alexandro VIII damnatis (1), tum ex ipsa ratione charitatis, ut modo dictum est.

2° At probatu difficilius est, an hoc *speciale* præceptum charitatis Dei ad actus *externos* extendendum sit utrum scilicet, ad satisfaciendum obligationi charitatis erga Deum, debeamus interdum opera externa producere quæ specifice sint charitativa, an vero sufficiat opera externa ponere quæ pertinent ad alias virtutes et tantum imperantur a charitate.

Quæri autem primum potest an opus externum in honorem divinum factum specifice ad charitatem pertinere queat. Quod affirmandum est, quia bonum quod Deo reddimus, possumus considerare sub communi ratione boni, abstrahendo ab eo quod sit Deo debitum per religionem (2).

Data igitur possibilitate, an requiritur ut interdum tale opus externum specifice charitativum ponatur ? « An ex hoc præcepto, ita Doctor Eximius (3), quod per se est de actu

(1) 1° « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. » — Prima Alexandri VII, damnata 24 sept. 1665. Cf. DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, n. 1101.

2° « An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. » — Quinta Innocentii XI, damnata 2 Mart. 1679. Cf. *ib.* n. 1155.

3° « Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. » Sexta Innocentii XI. Cf. *ib.* n. 1156.

4° « Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possumus. » — Septima Innocentii XI. Cf. *ib.* n. 1157.

5° « Hunc (finem ultimum) homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis. » — Ex prima Alexandri VIII, damnata 24 Aug. 1690. Cf. *ib.* n. 1289.

Ex quibus propositionibus damnatis concludendum est, hominem obligari ad actum charitatis theologicæ (cf. 1° et 3°) eliciendum, non tantummodo semel in vita (cf. 2°), sed saltem singulis quinquenniis (cf. 3°), et hæc quidem obligatio intelligitur non tantum accidentalis, sed etiam per se, independenter ab omnibus circumstantiis contingentibus (cf. 3° et 4°). Quoad ulteriorem determinationem temporis, consulantur auctores operum moralium Cf. supra p. 226 s.

(2) Cf. SUAREZ, *De charitate*, Disp. II, s. 1, n. 7.

(3) *Op. cit.*, Disp. V, s. 2, n. 7.

interiori, oriatur obligatio ad aliquem actum exteriorem erga Deum ? Respondetur, dupliciter posse intelligi hoc præceptum obligare ad actum externum : primo, remote per modum operantis ; et hoc modo omnia præcepta dici possunt pertinere ad charitatem, quia omnia sunt necessaria ad servandam charitatem, et radicantur in ea, qua de causa dicitur : « qui non diligit me, sermones meos non servat ». Alio modo [de quo hic agitur] intelligi potest proxime et proprie, et hoc modo, raro quidem sed *interdum*, potest obligare hoc præceptum ad actum externum, *quia sicut amicitia erga homines requirit aliquando opera externa, ita et amicitia erga Deum, quando illa sunt ad ejus honorem necessaria.* Verum est vix posse assignari aliquem actum externum, qui non possit sub aliqua alia ratione immediate oriri ab alia virtute ; nihilominus obligatio propria exercendi talem actum oriri potest ex charitate. »

Hæc autem obligatio, quæ ob rationem a Suarezio allatam admittenda est, non datur per se, ut obligatio actus interni, sed *per accidens* (1), ut constat ex eadem ratione. Exempli causa, si coram me aliquis externo peccato manifestat odium contra Deum, videtur præceptum specifice charitatis, et non tantum religionis, mihi imponere actum externum charitativum, ut dicam v. g. : « laudetur Jesus Christus » ; vel, si cognosco alios ex Dei odio allaborare operi diabolico pervertendi animas, aliquando ex charitate Dei teneor ad procurandam ipsius gloriam externam.

Proinde, ad Deum quod attinet, præceptum speciale charitatis interdum obligat 1° ad actus internos charitatis, tum per se, tum per accidens, 2° ad actus externos, per accidens tantummodo.

(1) Hic et in sequentibus, obligationem *per accidens* intelligimus eam obligationes quæ oritur vi quidem ipsius charitatis, sed *accedentibus quibusdam circumstantiis extrinsecis.*

In quantum autem præceptum charitatis non est præceptum speciale diligendi Deum, sed *generale* perveniendi ad finem ultimum, *imperat* actus omnium virtutum, quando et quatenus singulæ virtutes obligationes suas inducunt.

II. Videamus quale sit præceptum charitatis relate ad PROXIMUM.

1° Certo respicit specifice actus *internos*. Quod demonstratur apodictice, ut videtur, ipso argumento, quo supra probavimus ipsam existentiam præcepti (1).

Hic etiam afferri solent propositiones 10 et 11 damnatæ ab Innocentio XI (2). Atvero ex his propositionibus seorsim sumptis, quas auctores passim quidem intelligunt de charitate stricte dicta, desumi non potest absoluta necessitas actus *theologici :* satis explicari possunt, admisso actu interno amoris pure moralis. Innocentius XI voluit hisce propositionibus illorum damnare doctrinam, qui tenebant nullum affectum internum amoris et benevolentiæ erga proximos ex præcepto requiri, sed sufficere actus mere externos misericordiæ, gratitudinis, etc. Unde doctrina, quam in suo commentario exponit Viva, intelligenda est ex congestis ejus argumentis, et non ex solis propositionibus damnatis.

Allegantur insuper quidam textus sacri : « Secundum autem (mandatum) *simile* est huic (mandato de charitate Dei) : diliges proximum tuum sicut teipsum » (3). — « Et hoc mandatum habemus a Deo : ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum » (4). — « Mandatum novum do vobis : ut

(1) Cf. supra p. 309 s. — Et hoc ponitur contra illos qui tenent ad præceptum amoris proximi implendum, numquam requiri amorem theologicum, sed sufficere naturalem. Cf. SUAREZ, *op. cit.*, Disp. V, s. 4, n. 2 ; VIVA, *Damnatarum thesium theologica trutina*, ad prop. 10 et 11 Innocentii XI.

(2) 10 : « Non tenemur proximum diligere actu interno et formali ». — 11 : « Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos ». — Cf. DENZINGER-BANNWART, n. 1160-1161.

(3) *Matth.* XXII, 39.

(4) *I Joan.*, IV, 21.

diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem » (1). Qui textus, simul sumpti, revera probant necessariam esse aliquam dilectionem proximi, quæ ejusdem sit ordinis et speciei ac charitas quam nos Deo tribuimus vel qua Deus nos ipsos prosequitur, quæque proinde ordinis est divini ac speciei theologicæ.

Attamen hæc necessitas charitatis internæ erga proximum non ita stringens videtur ac erga Deum. « Ratio differentiæ est, quia amor internus per se non patet [i. e. non cognoscitur a] proximo, sicut patet Deo. Item amor Dei per se est quidam cultus Deo debitus, non vero sic est amor proximi » (2). Insuper benevolentia et affectus charitativus erga proximum non requiritur nisi subordinate ad charitatem erga Deum : unde in tantum requiritur, in quantum id exigitur a charitate Dei.

Ex quo principio eruere jam possumus quid præceptum hoc importet.

Imprimis, charitas erga Deum exigere non videtur ut interna charitas erga proximum exerceatur explicite, sed permittit ut fiat *implicite*, v. g. in ipso actu charitativo quo optatur gloria Dei extrinseca, vel in orando pro proximi salute, vel in alio actu beneficentiæ erga proximum qui eliciatur ex motivo charitatis divinæ (3). Dein, sufficere videtur ut admittatur obligatio, non per se, sed *per accidens* (4), v. g., occasione tentationis odii, vel periculi vindictæ, vel operis externi ponendi ex alia virtute. Tandem, huic præcepto satisfieri videtur, modo affectus charitatis sit *universalis*, omnibus optans salutem, ac neminem a glorificatione divina

(1) *Joan.*, XIII, 34 ; cf. XV, 12.

(2) Suarez *l. c.* n. 4.

(3) Contra Viva, *l. c.* n. XIII. — Cf. Cardenas. *Crisis theologica*, Pars IV, Diss. VIII, n. 45.

(4) Cf. Cardenas, *op. cit.*, Diss. VIII, c. 2 et 4 ; Bouquillon, *Tractatus de virtutibus theologicis*, n. 456.

excludens ; nec per se oportet ut amor proximi, quatenus elicitur charitate, ullum attingat in particulari (1). Ita de actu ab ipsa charitate elicito.

2° Quid tenendum de actibus *externis* seu de beneficentia erga proximum ? An præceptum *proprium* charitatis extendendum est ad eos actus, sicut ad internos ?

Cum auctoribus communiter, id negandum videtur : opinamur sufficere per se quod actus externæ beneficentiæ ponantur, non ex motivo formali charitatis, sed virtutis alicujus moralis, quamvis sub imperio charitatis. Obligatio enim adstruenda non est, nisi probetur, præsertim cum agitur de re plus minusve ardua. Atqui argumentum, quo supra probata est necessitas beneficentiæ, exigit quidem, vi ipsius charitatis erga Deum et proximum, ut beatitudo proximi promoveatur ; sed non requirit ut hoc fiat per actus ipsius charitatis. Ex eo enim quod dilectio Dei et proximi importat obligationem beneficentiæ erga proximum, concludi nequit hanc beneficentiam necessario esse actum specificum charitatis theologicæ. Si proximo provideatur formaliter ex complacentia de bonitate divina increata, id pertinere videtur ad perfectionem, non ad præceptum charitatis. Unde præclare dicit P. Lehmkuhl : « Quando proximos interno actu charitatis complectimur, implicite saltem ex hac charitate fovemus voluntatem et propositum proximos, si necesse fuerit, adjuvandi et sublevandi : at in hujus *propositi exsecutione* opus non est, ut charitatis motivum denuo menti objiciatur eamque promoveat. Actus enim illi externi in se bonitatem seu honestatem habent, ut misericordiæ, pietatis, etc., quæ voluntatem sufficienter trahere

(1) CARDENAS (*l. c.*, n. 44) quidem docet : « Propositio ergo quæ negat teneri nos diligere proximum *in singulari* actu interno formali damnata manet in visu hujus decreti » (Innocentii XI). Sed nullatenus hoc negamus ; negamus quidem nos teneri ad proximum in singulari diligendum actu elicito *charitatis* theologicæ, non vero nos teneri actu interno dilectionis.

potest. Nihilominus etiam tum charitatis motivum assumere longe efficacius magisque meritorium est » (1).

Quod hic dicitur de præcepto charitatis erga proximum, id dicendum est, easdem ob rationes, de præcepto charitatis erga nosmetipsos : scilicet charitas interna erga seipsum obligare potest per accidens ; sed « ad comparanda nobis bona necessaria sive supernaturalia sive naturalia necesse non est ut *ex motivo charitatis* agamus » (2).

Quoad praxim, de charitate suimet et proximi notandum est, quod notavimus de charitate Dei : fideles nempe, qui vitam christianam agunt et Dei mandata adimplere satagunt, abundanter hisce præceptis satisfacere.

Conclusio. — *Speciale* charitatis præceptum, per actus specifice charitativos implendum, obligat *erga Deum* ad actus amoris tam internos quam externos ; ad externos quidem, per accidens, i. e positis certis adjunctis ; ad internos vero, tam per se, quam per accidens.

Idem præceptum obligat *erga proximum*, non quidem ad actus amoris externos, verum ad actus internos, saltem per accidens, implicitos et universales.

Cetera vitæ christianæ officia et obligationes cadunt sub *generali* præcepto charitatis, quæ ea imperat ut ordinem moralem servemus et ad finem nostrum ultimum perveniamus. In quantum immediate ex ipsa charitate impleri possunt, cadunt sub consilio et ad perfectionem pertinent.

(1) P. Lehmkuhl. *Theologia moralis*, I, n. 599 : P. Noldin, *De præceptis*, n. 73, 3°.

(2) P. Noldin, *op. cit.*, n. 78, nota.

QUÆSTIO V

DE ORDINE CHARITATIS

INTRODUCTIO.

Quæstio de ordine charitatis ipsa fundamenta scientiæ moralis attingit ; insuper nata est confirmare ac illustrare ea quæ de objecto formali supra exposita sunt. Ob duplex hoc motivum de ordine charitatis hic agimus. Scopus noster est principia ipsa exponere, plerisque particularibus applicationibus ad libros manuales Theologiæ moralis remissis. Ut in hucusque explicatis, S. Thomam ducem sequi satagemus (1).

Distinguendum est hac in re inter *personas* quæ diliguntur ; inter *bona* quæ ipsis optari ac conferri possunt : inter *necessitates* in quibus ipsis succurrendum est ; inter *modos* quibus unus præ alio diligitur.

Personæ diligendæ sunt imprimis Deus, dein nosmetipsi, tandem proximus, et inter proximos considerari possunt sanctiores, conjuncti et extranei.

(1) S. Thomas de ordine charitatis agit : *In III Lib. Sent.*, Dist. XXIX et XXX ; *Summa theologica*, IIa IIæ, q. XXVI ; q. XXXI, a. 2 et 3 ; q. XXXII, a. 9 ; q. XLIV, a. 8 ; *De charitate*, a. 9.

Bona optanda vel conferenda sunt bona spiritualia, tam supernaturalia, ut beatitudo æterna, gratia, virtutes, status religiosus, virginitas, sacerdotium et sic porro, quam naturalia, ut intellectus, voluntas, libertas ; — bona corporalia, ut vita, integritas membrorum, sanitas, et alia hujusmodi ; — bona mixta, nempe fama et honor ; — bona externa, puta bona fortunæ.

Necessitates attendendæ sunt necessitas extrema, necessitas gravis, et necessitas communis seu ordinaria : quæ respicere possunt tum bonum spirituale, tum bonum corporale. Quandonam illæ necessitates adsint, determinandum est morali æstimatione : quod passim a moralistis exponitur.

Tandem, *modus* diligendi est magis vel minus intensivus, vel appretiativus, vel objectivus : *objective* ille plus diligitur, cui majus bonum objectivum optatur vel confertur ; — *appretiative* seu æstimative ille, cujus amicitia plus æstimatur, ita ut, si eligendum esset inter ipsum et alterum, alterius amicitia deponeretur ; — *intensive* ille, in quem complacentia ac benevolentia intensiore motu, majore conatu, ferventiore affectu fertur.

Quem triplicem modum plus minusve diligendi referunt generatim auctores moderni. Quoad modum *intensivum* animadvertere juvat :

1° Angelicus nonnisi duplicem modum dilectionis explicite indicat : primum scilicet *objectivum*, alterum *intensivum*. Inde nomine *intensionis* large utitur, ad significandam quamcumque conditionem amoris, ratione cujus voluntas objecto magis adhæret ; per intensionem intelligit perfectionem ipsius actus, sive hæc perfectio sit secundum appretiationem, sive secundum gradus intensionis. Itaque explicandus est secundum materiam subjectam (1).

(1) Cf. SUAREZ, *De charitate*, Disp. I, s. 4. n. 4 ; BILLUART, *Tractatus de charitate*, Diss. IV, a. 1.

2° In moderna Theologia modus diligendi magis vel minus intensivus per se ad ordinem charitatis nihil refert : quatenus enim hic ordo cadit sub præcepto, essentialiter in majori vel minori objectorum appretiatione seu æstimatione consistit (1).

Dicimus : *per se* ; quia fieri potest quod major intensio et major appretiatio separabiles non sint in eodem amore, puta si duo objecta amabilia sunt propter rationes omnino easdem : tunc enim si unum intensius amatur, signum est hoc magis æstimari. — Dicimus dein : *quatenus hic ordo cadit sub præcepto* ; etenim perfectius est, ideoque de consilio, quod magis appretiative diligitur, id etiam magis diligi intensive. Ita Deus maxime dignus est qui actu intensissimo et ardentissimo ametur, quin tamen talis actus sit de præcepto : minimus enim charitatis actus justificat et vitam æternam meretur. Attamen inordinatum foret ac proin peccaminosum, sic *eligere* inter Deum et creaturam ut creatura intensius ametur : hoc enim esset judicare creaturam *dignam* amore magis intensivo quam Creatorem. — Quæ cum ita sint, de intensione, moderno vocis sensu, per se curandum non erit in ordine charitatis inquirendo.

Charitas, ut supra probatum est, formaliter terminatur ad bonitatem divinam increatam, ad quam nosmetipsos et proximos referimus. Ut obligationi specificæ charitatis satisfaciamus, requiritur 1° : *per se*, ut interna complacentia et benevolentia Deo adhæreamus, et *per accidens*, ut actum externum charitatis erga Deum ponamus ; — 2° : *per accidens*, ut affectu benevolentiæ charitativo nobis et proximo uniamur, cui affectui charitativo respondere debent actus externæ

(1) Cf. Suarez, *l. c.* n. 3, 10-12 ; Billuart, *l.* c. ; Wiggers, *Commentaria in IIam IIæ*, q. XXVI, a. 2 ; Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum morale*, II. n. 140 ; P. Billot, *De virtutibus infusis*, th. 3, § 3, p. 136 ; P. Prümmer, *Manuale Theologiæ moralis*, I, n. 557.

beneficentiæ, eliciti a virtutibus moralibus et imperati a charitate ; non autem requiri videtur ut externa hæc beneficentia sit actus a charitate theologica elicitus.

Virtus igitur charitatis potest elicere vel imperare diversos actus, puta actus internos seu *complacentiam* et *benevolentiam*, et actus externos seu *beneficentiam* ; actus autem interni versantur vel circa qualitates et bona *possessa* vel circa *obtinenda*.

In sequentibus inquiremus quisnam sit ordo diligendorum *in variis illis charitatis actibus*. Quæ sola methodus apta est ad hanc tenebrosam de ordine charitatis quæstionem solvendam.

Præsupponimus :

1° Existere hierarchiam seu ordinem inter virtutes *morales*, et proin inter officia et jura quæ ex iis oriuntur. Quodsi ex hac hierarchia virtutum ac obligationum probetur unum officium alteri prævalere ex eadem vel ex alia virtute orto, eo ipso hoc alterum in casu collisionis evanescit.

2° Charitatem, virtutum omnium reginam, non destruere nec pervertere illum ordinem, sed confirmare : « natura non tollitur per gloriam, sed perficitur. Ordo autem charitatis ex ipsa natura procedit » (1). Quodsi proinde charitas *imperet* actum alicujus virtutis, eum imperare debet sequendo naturam virtutis ac obligationis ; imperium enim debet esse ad modum illius cui datur.

3° Charitatem, seu perfectum motum voluntatis ad finem supernaturalem, inclinare *per seipsam* admodum motus naturalis. Quod nititur in universa Angelici doctrina, juxta quam ordo supernaturalis ita constitutus exhibetur ut ordini naturali plene respondeat. « Non enim minus est inordinatus affectus charitatis, qui est inclinatio gratiæ, quam appetitus naturalis,

(1) IIa IIæ, q. XXVI, a. 13, contra.

qui est inclinatio naturæ ; utraque enim inclinatio ex divina sapientia procedit. Videmus autem in naturalibus quod inclinatio naturalis proportionatur actui vel motui qui convenit naturæ uniuscujusque ; sicut terra habet majorem inclinationem gravitatis quam aqua, quia competit ei esse sub aqua. Oportet ergo quod etiam inclinatio gratiæ, quæ est affectus charitatis, proportionetur his quæ sunt exterius agenda ; ita scilicet ut ad eos intensiorem charitatis affectum habeamus, quibus convenit nos magis beneficos esse » (1). Et hoc sensu S. Thomas ibidem qua « irrationabilem » excludit « quorumdam opinionem, ut ordo charitatis attendatur secundum effectum, et non secundum affectum. » Unde, sicut in naturalibus appetitus potest et debet esse major et minor in ratione affectus, ita in supernaturalibus affectus charitativus. Agitur autem de affectu, ut actu *elicito* et proprio charitatis.

Quamvis laudatum hoc Angelici systema non apodictice probari possit, attamen ita apprime consentaneum videtur rationi nostræ ac sapientissimæ Providentiæ divinæ, ut communiter a Theologis admittatur.

CAPUT I

DE ORDINE INTER DILIGENDOS.

SUMMARIUM. — I. Internus *charitatis affectus proportionari debet secundum objecti propinquitatem tum ad* Deum, *tum ad ipsum* diligentem. *Quoad* complacentiam *de bono habito, ordo est : Deus ; angeli et sancti in cælo, tandem meliores præ minus bonis. Quoad* benevolentiam *de bono habendo : Deus, nosmetipsi, proximi secundum eorum ad nos propinquitatem.*

II. *In actibus* externis *observandus est sequens ordo : Deus ;*

(1) IIª IIæ, q. XXVI, a. 6, c. ; cf. *De charitate*, a. 9, c.

nos ipsi ; consanguinei pro diverso gradu ; alii conjuncti pro ratione conjunctionis ; extranei et inimici. Nec per se hic attendendum est ad meliores seu Deo ratione sanctitatis conjunctiores.

ARTICULUS I

De ordine in charitatis affectu.

Quæritur nunc ad quamnam regulam *internus* charitatis *affectus* proportionari debeat. In articulo sequenti agendum erit de ejusdem actu externo seu de beneficentia.

Duplex regula attendenda est : *Deus* et *nosmetipsi ;* id est, objectum formale quod dilectione attingitur, et ipse diligens. Quod geminatum criterium ex ipsa ratione charitatis deducitur.

Primo attendi debet ordo ad ipsum *Deum :* objectum enim formale est id quod propter se diligendum est, et propter quod cetera omnia sunt diligenda ; unde regula, juxta quam omnia diligenda sunt, primarie ponitur in objecto formali. Et hoc quidem ita verum est, ut si, per impossibile, cum adhæsione erga objectum formale non componeretur dilectio erga me ipsum, hanc mei dilectionem seponere deberem. Quod autem Deo adhærere omnino debeamus, patet ex ipsa ontologica constitutione rerum, quæ exigit ut ad Deum omnia quæ præter ipsum existunt ordinentur ac tendant. Inde oritur moralis necessitas talis affectus charitativi erga Deum qui sit absolute *super omnia* (1).

Inde oritur secundario necessitas affectus charitativi erga omnes, qui et quatenus attinent ad Deum qua objectum formale charitatis ; quod quadam uberiore explicatione indiget.

I. Imprimis quonam ordine charitas proportionari debet relate ad *angelos* atque *defunctos ?*

(1) *Super omnia,* i. e. quoad appretiationem ; — non requiritur, ut dictum est, quoad intensionem sensu definito intellectam. Cf. *In III Sent.*, Dist. XXIX, q. I, a. 3 ; IIª IIæ, q. XXVI, a. 2 et 3.

Ad bonitatem divinam, qua objectum formale charitatis, nullatenus jam pertinent qui de facto damnati sunt : unde dæmones et damnati charitati ut objecta materialia quibus affectum habeamus non subsunt, nec proin subsunt charitatis ordini.

Econtra plene ad Deum pertinent qui de facto sunt salvati, angeli boni scilicet et beati. Cum *de facto* omne bonum quod pro meritis suis obvenire eis possit possideant, affectus noster charitativus erga illos absolvitur totus *in gaudio seu complacentia* de bono seu *de beatitudine habita*, quin addi possit benevolentia de bono habendo (1) ; et cum in cœlo « stella a stella differat in claritate » (2), affectus noster complacentiæ charitativæ diversæ claritati electorum proportionari debet. Qui unicus est ordo charitatis theologicæ in patria (3).

Quoad animas justas in purgatorio detentas, manifesto complectitur charitas, et quidem primario, summam benevolentiam atque actus beneficentiæ quibus a pœnis liberari possint.

II. Quid autem de affectu charitatis *in via ?*

In terra certo certius adsunt reprobandi et prædestinati. Etsi aliquando priores a charitate nostra erunt excludendi, in via tamen omnino excludi non possunt : *quoad nos* enim, non existunt reprobandi, sed econtra omnes viventes capaces existunt beatitudinis æternæ seu glorificationis divinæ, et quidem eadem capacitate eodemque gradu.

Quoad omnes autem viventes, affectus charitativus secundum duplicem actum considerari potest : tum ut *complacentia* de bonis sive naturalibus sive supernaturalibus

(1) Cf. IIa IIæ, q. XXVI, a. 13.

(2) *I Cor.* XV, 41.

(3) Cf. IIa IIæ, *l. c.* ; *De charitate*, a. 9. ad 12. — Attamen in patria meipsum vel parentes *magis intensive* amare potero quam etiam sanctiores. Cf. IIa IIæ, *l. c.*, in corp., coll. ad 2.

ipsis inhærentibus ; tum præsertim ut *benevolentia* de bono æterno nondum habito et de omnibus mediis ad id bonum conducentibus.

In quantum gaudium et *complacentiam* dicit, ordo diversus est pro diversis objectis, et quidem major complacentia debet esse de illo qui magis conjunctus est Deo, seu perfectior existit. Quo sensu, in via, præferendi sunt « meliores » seu sanctiores inter proximos. « Hoc ad charitatem pertinet, ait Angelicus, ut velit justitiam Dei servari, secundum quam meliores perfectius beatitudinem participant » (1). Quod intelligendum est modo sequenti : debemus ex charitate velle ut, qui hic et nunc meliores sunt, perfectius beatitudinem participent, in hypothesi quod *hic et nunc status termini pro omnibus inciperet*, vel quod qui hic et nunc meliores sunt *semper manerent meliores*. Alio sensu id intelligi non potest ; nam, sic idem Angelicus, « bonitas virtutis, secundum quam aliqui appropinquant Deo, potest accedere et recedere, augeri et minui ; et ideo possum ex charitate velle quod iste qui est mihi conjunctus sit melior alio, et sic ad majorem beatitudinis gradum pervenire possit » (2). Eodem modo eum interpretatur Suarez : « D. Thomas... ait objective meliores esse magis diligendos, quia habent in se majus bonum. Quod ego intelligo de amore absoluto secundum præsentem justitiam ; nam si loquamur de desiderio in ordine ad futurum tempus et futuram justitiam, aliud est sentiendum... Ad rationem ergo [in contrarium allatam a Gabriel] respondetur, sanctiores secundum præsentem statum esse objecta digniora, et ideo quodam amore *complacentiæ* posse magis amari ; nihilominus propinquioribus carentibus illo bono, posse nos illud practice magis *desiderare et procurare*, et quoad hoc non pendet major amor ex per-

(1) IIª IIæ, q. XXVI, a. 7, c.
(2) IIª IIæ, *l. c.*

fectione objecti secundum præsentem statum, sed ex conjunctione et aliis circumstantiis » (1).

Ita de *complacentia* dicendum est. In quantum autem affectus charitatis *benevolentiam* de bono æterno habendo includit, omnes proximi *æqualiter* sunt diligendi : « Omnes homines, ait D. Thomas, sunt æque diligendi, in quantum omnibus æquale bonum velle debemus, scilicet vitam æternam » (2). At hæc æqualitas benevolentiæ affectivæ de bono habendo est æqualitas secundum quid, i. e. *si sola spectetur prior regula seu ipse Deus ;* nec potest dici æqualitas simpliciter : nam hic introducitur regula altera, i. e. *ipse diligens ;* quam qui negligeret, ordinem charitatis incomplete et proin falso conciperet.

Quomodo hæc altera regula applicanda est ?

Applicatur tantum *benevolentiæ* de bono *habendo :* quæ benevolentia, *ordinem non habens ex priore regula*, ordinem obtinet ex altera.

Quod clare ostendit S. Thomas, disserens de inimicis et extraneis : « Non tenemur ex charitatis præcepto ut dilectionis affectu... moveamur in speciali ad eum qui nulla alia constrictione nobis conjungitur, nisi forte pro loco et tempore, utpote si videremus eum in aliqua necessitate, in qua sine nobis ei succurri non posset. Tenemur tamen affectu... charitatis, quo omnes proximos diligimus..., non excludere etiam illos qui nulla nobis speciali constrictione conjunguntur, utputa illos qui sunt in India vel in Æthiopia... Mani-

(1) Suarez, *De charitate*, Disp. IX, s. 4 n. 21, cf. 22 Eodem fere modo rem intelligit Billuart, *Tractatus de charitate*, Diss. IV, art. 4, ad a. 7.

(2) *De charitate*, a. 9, ad 8 ; IIª IIæ, q. XXVI, a. 6, ad 1 et 3 — Contra videtur a. 7, c. : « Diversitas dilectionis... est attendenda in proximis diligendis secundum comparationem ad Deum, ut scilicet ei qui est Deo propinquior, majus bonum ex charitate velimus. » At, ut dictum est, loquitur ibidem hypothetice de statu terminali, in quo de complacentia seu benevolentia de bono habito, potius quam de habendo, quæstio movetur.

festum est autem quod ex perfectione activæ virtutis procedit quod actio agentis ad remota procedat. Perfectior enim est ignis virtus, per quam non solum propinqua sed remota calefiunt. Ita et perfectior est charitas, per quam non solum ad propinquos sed etiam ad extraneos, et ulterius ad inimicos, non solum generaliter, sed etiam specialiter, diligendo... movemur » (1).

Propinquos autem speciali affectu charitativo prosequi debemus, et, ceteris paribus, eo specialiore quo magis propinqui sunt. Etenim, juxta principium supra « convenienter » cum S. Thoma positum, « inclinatio gratiæ, quæ est affectus charitatis, *proportionatur his quæ sunt exterius agenda ;* ita scilicet ut ad eos intensiorem charitatis affectum habeamus, quibus convenit nos magis beneficos esse » (2). Atqui, ut mox probabitur, convenit ut magis vel minus benefici simus pro majori vel minori ratione propinquitatis. Unde dicendum est affectum charitativum, quatenus dicit benevolentiam de bono habendo, proportionari juxta propinquitatem proximi ad ipsum diligentem. Et cum nullus sit tam propinquus quam ipse sibi, ideo benevolentia de bono *æterno* habendo debet esse præcipua quoad ipsum diligentem (3).

Conclusio. — *Affectus internus* charitatis proportionari debet, tum juxta propinquitatem objecti ad *Deum*, tum juxta ejusdem propinquitatem ad ipsum *diligentem*. Inde ad actum internum obligamur, non æquali gradu, sed secundum aliquem ordinem, scilicet :

Relate ad *complacentiam* de bono *habito*, primo loco venit Deus, dein veniunt angeli et sancti, tandem meliores præ minus bonis.

Quod vero attinet ad *benevolentiam* de bono *habendo*, primo

(1) *De charitate,* a. 8, c.

(2) IIª IIæ, q. XXVI, a. 6, c. ; *In III Lib. Sentent.* Dist. XXIX, q. I, a. 1.

(3) *Ib.*, a. 4.

loco ponitur Deus, dein nosmetipsi, tandem proximi secundum propinquitatem ad nos ipsos, servata tamen justitia divina. Cum *in via* benevolentia de bono habendo præprimis ad charitatem pertineat, practice inde ordo est attendendus. Magis adhuc attendendus hic ordo est quoad charitatem *effectivam et externam*, de qua nunc agendum est.

ARTICULUS II

De ordine in beneficentia.

Beneficentia est actus externus qui directe elici potest, ut supra dictum est, vel a charitate vel a quibusdam virtutibus moralibus. Prout cadit sub præcepto ipsius charitatis, requiritur ut saltem per accidens aliquis actus beneficentiæ charitativæ eliciatur erga Deum. Hac autem obligatione accidentali seposita, magnum illud præceptum charitatis externæ erga Deum, vi cujus tenemur promovere gloriam divinam, plene adimpletur quatenus, charitate imperante, omnia mandata observamus. A fortiori, præceptum externæ charitatis erga proximum, vi cujus bonum corporale et spirituale nonnullorum in speciali et ceterorum in communi promovere tenemur, adimpletur quatenus, eadem imperante charitate, obligationibus nostris erga proximum satisfacimus.

Quæritur nunc an et quisnam existat ordo in hac benevolentia effectiva. Sicut in *affectiva* charitate ordo desumendus est ex duplici regula, ex Deo et ex ipso diligente, ita eadem duplici regula determinandus est ordo in *benefaciendo*.

Si attenditur prior regula, scil. *Deus*, statui potest et debet sequens ordo generalis : ut primo loco ponamus Deum, secundo loco nos et proximum.

Certe præferendus est Deus : charitas enim, utpote motus

perfectus in Deum, exigit ut bonum nostrum et proximi procuremus, quia et quatenus ita procurare debemus bonum divinum ; applicandum est Scholæ principium : « propter quod unumquodque tale, et illud magis » (1).

Atvero ex relatione ad Deum non videtur ullus ordo inter ipsos homines statui posse quoad eam beneficentiam quæ cadit sub præcepto charitatis. Cum ex eadem regula quoad benevolentiam affectivam ordo inter homines adstrui non possit, a fortiori id fieri nequit quoad benevolentiæ effectum seu beneficentiam. Idem probatur ex eo quod omnes homines per se eandem habent capacitatem attingendi beatitudinem ac glorificandi Deum ; atqui in hac capacitate eorum attinentia ad Deum consistit ; ergo *sub respectu ad Deum*, omnes videntur poni in eadem linea, quoad *beneficentiam* a charitate imperatam. Itaque « omnes homines sunt æque diligendi, inquantum omnibus æquale bonum velle debemus, scilicet vitam æternam » (2). Re ita spectata, proximos diligere debemus *sicut* nosmetipsos, intelligendo per vocem « sicut » *æqualitatem* ratione dilectionis objectivæ.

Unde, quod debeamus nosmetipsos præferre proximo, non videtur posse concludi ex priori regula ; ratio enim quæ allegatur : « hominem debere seipsum ex charitate diligere *ut participet beatitudinem*, proximum autem *ut socium in participatione beatitudinis* » (3), hæc ratio, inquam, præcise monstrat nosmetipsos et proximum, ut relatos ad Deum, in eadem linea poni.

Atvero ordo inter nos et proximum et inter ipsos proximos invenitur, attendendo ad alteram regulam, nempe *ipsum diligentem*. Quod eadem ratione probatur qua in superiore articulo ostensum est oportere ut benevolentia affectiva prius

(1) IIª IIæ, q. XXVI, a. 2 et 3.
(2) *De charitate*, a. 9, ad 8.
(3) *De charitate*, a. 7, c. ; IIª IIæ, q. XXV et XXVI. passim.

ad nos ipsos terminetur, dein ad propinquos, tandem ad extraneos et inimicos (1).

Et re quidem vera, ex charitate qua movemur ad finem nostrum omnino tenemur imprimis nobismetipsis providere ut ad finem perveniamus, et dein providere aliis ; et inter illos tenemur, prius et specialius, providere saluti illorum qui nobiscum nexu aliquo propinquitatis juncti sunt. Nam ex ipsa constitutione naturali societatis, « provisio in præsenti vita est necessaria, qua necesse est ut unusquisque magis sibi conjuncto secundum quamcumque necessitudinem provideat magis quam alieno : ratione cujus in hac vita ex ipsa inclinatione charitatis homo plus diligit magis sibi conjunctum, cui magis debet impendere charitatis effectum » (2).

Collata igitur utraque regula, ordo in charitate effectiva is est, ut teneamur prius benefacere Deo, dein nobis ipsis, tandem proximis, et, inter proximos, prius propinquis quam extraneis et inimicis.

Qui ordo magis determinari potest quoad ipsos *propinquos*.

Audiatur rursus Angelicus : « Ad eos qui sunt nobis conjuncti, habemus aliquas alias amicitias [ac charitatem] secundum modum conjunctionis eorum ad nos. Cum autem bonum, super quod fundatur quælibet alia amicitia honesta, ordinetur sicut ad finem ad bonum super quod fundatur charitas, consequens est ut charitas *imperet* actui cuilibet alterius amicitiæ ; sicut ars quæ est circa finem imperat arti quæ est circa ea quæ sunt ad finem. Et sic hoc ipsum quod est diligere aliquem, quia consanguineus vel conjunctus est, vel quia concivis, vel propter quodcumque hujusmodi

(1) In IIª IIæ, q. XXVI, a. 4, c. et ad 1, ratio ordinis inter nos et proximum desumitur ex eo quod « unitas potior est quam unio » ; unitas autem intelligitur tantum cum ipso diligente ; unde, hoc loco, principium ordinis a S. Thoma ponitur in ipso diligente, non in Deo, quamvis aliter intelligi prima specie posset. Cf. *ib*, q. XXXI, a. 3, c.

(2) IIª IIæ, q. XXVI, a. 13, c.

aliud licitum ordinabile in finem charitatis, potest a charitate imperari » (1). Quod principium dein diversis propinquis applicat : « Amicitia consanguineorum fundatur in conjunctione naturalis originis, amicitia autem concivium in communicatione civili, et amicitia commilitantium in communicatione bellica. Et ideo in his quæ pertinent ad naturam, plus debemus diligere consanguineos ; in his autem quæ pertinent ad civilem conversationem, plus debemus diligere concives, et in bellicis, plus commilitones... Et simile est etiam in aliis. Si autem comparemus etiam conjunctionem ad conjunctionem, constat quod conjunctio naturalis originis est prior et immobilior, quia est secundum id quod pertinet ad substantiam ; aliæ autem conjunctiones sunt supervenientes, et removeri possunt. Et ideo amicitia consanguineorum est stabilior ; sed aliæ amicitiæ possunt esse potiores secundum illud quod est proprium unicuique amicitiæ... In hoc enim [scil. in instructione morum] magis debet homo subvenire filiis spiritualibus, quos spiritualiter genuit, quam filiis corporalibus, quibus tenetur magis providere in corporalibus subsidiis ;... duci exercitus magis obeditur in bello quam patri » (2).

Et dein ex analysi profundiore ejusdem principii, ostendit Angelicus parentes esse præferendos filiis quoad honorem ipsis debitum, filios autem parentibus quoad curam et provisionem ipsis tribuendam (3) ; insuper per se patrem esse præferendum matri (4) ; tandem uxorem per se parentibus, etsi « in quibusdam magis debeat homo assistere parentibus quam uxori » (5).

Omnibus igitur nobis conjunctis per se aliquam, licet diver-

(1) *L. c.* a. 7, c. Ita de charitate imperante ; idem dicit ibidem de eliciente. Cf. *ib.* q. XXXI, a. 3.

(2) IIª IIæ, q. XXVI, a. 8. c., ad 2 et 3. De hisce disputat SUAREZ, *op. cit.*, Disp. IX, s. 3, n. 10-15.

(3) *Ib.*, a. 9, cf. q. XXXI, a. 3, ad. 4. Cf. SUAREZ, *l. c.*, n. 5-7.

(4) *Ib.*, a. 10. SUAREZ, *l. c.*, n. 8.

(5) *Ib.*, a. 11. SUAREZ, *l. c.*, n. 16.

sam, beneficentiam *specialem* tribuere debemus. Non conjunctis autem seu extraneis per se nonnisi *communem* beneficentiam reddere tenemur, per accidens autem specialem. Cum enim natura et potentiis simus finiti, « non possumus omnibus prodesse » (1) ; ideoque « non tenemur ex præcepto charitatis ut dilectionis affectu vel operis effectu moveamur in speciali ad eum qui nulla alia constrictione nobis conjungitur [quam charitate], nisi forte pro loco et tempore, utpote si videremus eum in aliqua necessitate, in qua sine nobis ei succurri non posset. Tenemur tamen affectu et effectu charitatis, quo omnes proximos diligimus, et pro omnibus oramus, non excludere etiam illos qui nulla nobis speciali constrictione conjunguntur, utputa illos qui sunt in India vel in Æthiopia » (2).

Contra doctrinam expositam duplex moveri potest difficultas : prior de « melioribus » seu sanctioribus relate ad propinquiores, altera de inimicis.

1° De melioribus.

Quæritur annon meliores et sanctiores sint in spiritualibus bonis (3) præferendi illis qui nobis carnaliter vel alio modo sunt conjuncti et supponuntur minus sancti. En verba Magistri Sententiarum de hac re : « Videtur quod magis sint diligendi boni qui nobis carne non sunt conjuncti, quam alii carne conjuncti : quia nobis conjuncti corde, glutino charitatis. Sanctior est enim copula cordium quam corporum. — Verumtamen latebrosa quæstio est hæc, nec a nobis plene absolvenda properantibus ad alia » (4). Inde primi Magistri commentatores, nominatim S. Thomas et S. Bonaventura,

(1) *Ib.* a. 6, ad 1, ex S. Augustino, *De doctrina christiana*, L. I, c. 28.

(2) *De charitate*, a. 8, c.

(3) Quod conjuncti etiam sanctioribus extraneis sint præferendi quoad bona corporalia illi conjunctioni propria, extra controversiam versatur.

(4) *Liber III Sententiarum*, Dist. XXIX.

aliquatenus obscure locuti sunt ; postea nonnulli, v. g. Gabriele Biel (1), simpliciter affirmant meliores esse præferendos. Hodierni autem multi omnino æquivoca docent, cum quandoque asserant sanctiores esse prædiligendos, aliis vero in locis, propinquiores. Quid igitur dicendum ?

Dubium esse nequit, nec est inter auctores, de prædilectione sanctiorum, modo prædilectio intelligatur de sola complacentia et solo gaudio quoad perfectiones proximi seu conjunctionem ipsius cum Deo : de quo supra egimus. Unde sola quæstio ponitur quoad *beneficentiam externam* eique correspondentem benevolentiam affectivam.

Atqui, cum Suarezio, ad mentem D. Thomæ, omnino tenendum videtur conjunctiores per se præponendos esse melioribus. Quod probatur :

1° Ex ratione charitatis, quatenus est perfectiva et non destructiva naturæ : natura enim præcipit ut imprimis bonum velimus et procuremus conjunctis et propinquis, quia eorum quamdam curam naturaliter habemus (2).

2° Ex ratione charitatis, quatenus nos impellit ad promovendum bonum divinum in aliis. Etenim, si consideratur capacitas beatitudinem attingendi, dicendum est omnes homines in terra viventes habendos esse a nobis ut æque capaces. Et ideo, ut dicit S. Thomas, « ex parte ejus boni quod amico optamus... omnes homines æque diligimus ex charitate, quia omnibus optamus bonum idem in genere, scilicet beatitudinem æternam » (3). Unde debemus ex charitate hoc bonum procurare, quantum nobis incumbit, in omnibus. Sed cum melioribus hoc bonum probabilius obventurum sit quam propinquis minus bonis, et præterea cum de propinquis naturalis nobis

(1) Gabriel Biel, ad hunc locum, a. 2, concl. 7.

(2) Cf. IIa IIæ, q. XXVI, a. 6, c., ad 1 ; q. XXXI, a. 3, c. ; q. XXXII, a. 9. c.

(3) *L. c.*, q. XXVI, a. 6, ad 1, coll. ad 3.

imposita sit cura qua adjuventur in via salutis, ideo necessitas benefaciendi proximis minus bonis potior videtur necessitate benefaciendi melioribus qui ut tales minore cura nostra indigent. Hinc non immerito Suarez : « licet alius sit sanctior, possum ac debeo magis desiderare et procurare ut meus pater perveniat ad illam sanctitatem, quam ut ille sanctior in ea sanctitate duret, ut indicat D. Thomas, art. 7. Atqui hoc est illum magis in spiritualibus diligere » (1).

3° Ex absurdo : etenim, si sanctiorem prædiligere deberem et quidem pro rata sanctitatis et propinquitatis ad Deum, jam non intelligitur cur in extrema necessitate præferendus sit minus sanctus sive propinquus sive extraneus, quod tamen sensus communis videtur indicare ; — nec intelligitur quid tandem sit illa provisio, quæ nobis incumbit in ordine tam supernaturali quam naturali ; — tandem repugnare videtur nos prius teneri ad benevolentiam et beneficentiam erga illos qui præcise ea minus indigent, utpote speciali cura suorum propinquorum adjuti, vel gratia divina et virtute propria roborati.

Obj. 1°. Ratio diligendi aliquem ex charitate, Deus est ; sed aliquando extranei magis sunt conjuncti Deo quam propinqui vel etiam parentes. Ergo sunt magis ex charitate diligendi (2).

R. « Charitas non solum elicit actum dilectionis secundum rationem objecti, sed etiam secundum rationem diligentis. Ex quo contingit quod magis conjunctus magis amatur. » Id est, ut proximus charitate diligi possit ac debeat, requiritur attinentia ipsius ad objectum formale seu Deum ; imo in patria, ubi provisio unius ad alterum jam non erit necessaria, ordo charitatis desumetur unice ex proportione hujus attinentiæ (3). Atvero, in via, ut dictum est, capacitas

(1) Suarez, *op. cit.*, Disp. IX, s. 4, n. 19.

(2) Objectionem hanc sibi ponit S. Thomas, *De charitate*, a. 9, ad 13 ; IIa IIæ q. XXVI, a. 7, ad 3.

(3) Cf. IIa IIæ, q. XXVI, a. 13.

attingendi Deum revera eadem est pro omnibus. Unde actus dilectionis ordinem habet potius secundum rationem diligentis.

Obj. 2°. Charitas facit conformitatem hominis ad Deum. Sed Deus plus diligit extraneos nostros quam propinquos, si sunt meliores. Ergo et nos magis eos diligere debemus (1).

R. « In hoc Deo conformamur quod diligimus eos magis qui nobiscum magis communicant, sicut et ipse eos, qui secum magis communicant, magis diligit : quamvis non sint iidem qui nobiscum et cum eo magis communicant » (2). Nam « charitas facit hominem conformari Deo *secundum proportionem*, ut scilicet ita se habeat homo ad id quod suum est, sicut Deus ad id quod suum est » (3). Additur quod « bonitas virtutis, secundum quam aliqui appropinquant Deo, potest accedere et recedere, augeri et minui », dum « aliqui proximi sunt propinqui nobis secundum naturalem originem, a qua discedere non possunt, quia secundum eam sunt id quod sunt » (4). Ideo dilectio Dei erga meliores non convenienter ponitur ut ratio ordinis in charitate, nisi in patria (5).

Obj. 3°. Ipse D. Thomas non uno in loco docet sanctiores prædiligendos esse. Sufficiat ejus referre verba : « Diversitas dilectionis, quæ est secundum charitatem, quantum ad speciem, est attendenda in proximis diligendis secundum comparationem ad Deum, ut scilicet ei qui est Deo propinquior, majus bonum ex charitate velimus... et hoc ad

(1) Cf. *In III Sent.* Dist. XXIX, a. 6, ad 2 ; IIª IIæ, q. XXVI, a. 7, ad 2.

(2) *In III sent., l. c.*

(3) IIª IIæ, *l. c.* — Cf. Suarez, *op. cit.*, Disp. IX, s. 4. n. 22 : « Respondetur Deum interdum velle, me magis diligere aliquem, quem ipse minus diligit, ut patet in dilectione mei. » — Item Wiggers, in h. l., q. XXVI, a. 4, n. 35 : « Ut charitas nostra ordinata sit, debet sequi non tam ordinem, quo Deus diligit, quam quo vult nos diligere. » — Et Billuart, *op. cit.*, Diss. IV, a. 4 : « Non tenemur conformare voluntatem nostram voluntati divinæ in volito materiali, sed formali tantum. » — Quod notetur contra multos modernos.

(4) IIª IIæ, *l. c.*, in corp.

(5) Cf. Suarez, *op. cit.*, Disp. IX, s. 4, n. 22.

charitatem pertinet ut velit justitiam Dei servari, secundum quam meliores perfectius beatitudinem participant » (1).

R. Ex tota expositione præcedenti et ex responsis modo datis liquet quænam sit mens Angelici. Quando enim sine distinctione ordinem charitatis enuntiat, dicit absolute : « Illi qui sunt magis proximi sunt magis diligendi » (2). « Ratione provisionis in hac vita, ex ipsa inclinatione charitatis homo plus diligit magis sibi conjunctum, cui magis debet impendere charitatis effectum » (3). Quando autem cum distinctione loquitur, ex relatione ad Deum deducit meliorem præferendum esse quoad complacentiam, ex relatione vero ad diligentem concludit propinquiorem præponendum esse quoad benevolentiam et beneficentiam (4). De loco autem nobis opposito satis dictum est in articulo superiore, ut difficultas jam nulla videatur. Ceterum, eam quam exposuimus doctrinam referunt S. Bonaventura (5), Richardus (6) et alii doctores coætanei.

Obj. 4°. Patres nonnulli, ut Ambrosius (7) et Venerabilis Beda (8), docent sanctiores conjunctioribus esse præponendos.

R. Illorum doctrina intelligenda videtur de casu, in quo « tantus posset esse excessus sanctitatis, tanta corruptio alterius conjuncti, et tam parva spes fructus et emendæ, ut posset merito præferri sanctior » (9). Quæ solutio cum doctrina exposita concordat : etenim cum supponatur cura seu pro-

(1) IIª IIæ, q. XXVI, a. 7, c.
(2) IIª IIæ, q. XLIV, a. 8, ad 3.
(3) IIª IIæ, q. XXVI, a. 13, c.
(4) IIª IIæ, q. XXVI, a. 7 et 13 ; *In III sent.* Dist. XXIX, q. I, a. 6 ; præsertim *De charitate*, a. 9, c. Ut manifesta sit mens S. Thomæ quoad meliores in hac vita, juxtaponantur art. 7 et art. 13.
(5) *In III Sent.*, Dist. XXIX, q. 5.
(6) *Ib.* q. 6.
(7) *De Officiis*, I, c. 30. — P. L. t. XVI, c. 65 s.
(8) *In Lucam* VIII, 21. — P. L. t. XCII, c. 433 s.
(9) Cf. SUAREZ, l. c. n. 20.

visio nostra erga aliquem propinquum inutilis seu inefficax, cum proin bonum divinum magis efficaciter vel magis certo promovere possimus in sancto alieno quam in consanguineo pessimo, prior præeligendus videtur, si electio sit facienda.

Ceterum, quidquid sit de sententia unius alteriusve ex SS. Patribus, tenet S. Augustinus regulam beneficentiæ totam desumendam esse ex propinquitate ad ipsum diligentem, ipsiusque doctrinæ tuto adhærere possumus. « Cum omnibus prodesse non possis, ita ipse, his potius consulendum est, qui pro locorum, ac temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur » (1).

2° De inimicis.

De inimicis idem dicendum ac de extraneis. Quod Angelicus conspicuo probat argumento : « Proprium et per se objectum charitatis est Deus ; et quidquid ex charitate diligitur, ea ratione diligitur qua ad Deum pertinet ; sicut si diligimus aliquem hominem, diligimus per consequens omnes ei attinentes, etiamsi sint nobis inimici. Constat autem quod omnes homines ad Deum pertinent, in quantum sunt ab ipso creati et capaces beatitudinis, quæ in fruitione ipsius consistit. Manifestum est ergo quod ista ratio dilectionis quam respicit charitas, in omnibus hominibus invenitur. Sic ergo, in eo qui contra nos inimicitiam exercet, est duo invenire : unum quod est ratio dilectionis, scilicet quod ad Deum pertinet ; et aliud quod est ratio odii, scilicet quod nobis adversatur. In quocumque autem invenitur ratio dilectionis et ratio odii, si prætermissa dilectione in odium convertamur, manifestum est quod id quod est ratio odii præponderat in corde nostro ei quod

(1) *De doctrina christiana*, L. I, c. 28. — P. L. t. XXXIV, c. 30.

est ratio dilectionis. Sic ergo, si quis inimicum suum odio habeat, inimicitia illius præponderat in corde suo amori divino. Magis ergo odit amicitiam illius quam diligat Deum. Tantum autem odimus aliquid, quantum diligimus bonum quod nobis per inimicum subtrahitur. Relinquitur ergo quod quicumque inimicum odit, aliquod bonum creatum diligit plus quam Deum ; quod est contra præceptum charitatis » (1).

Ex hoc argumento directe probatur odium inimici esse destructivum charitatis, imo amoris naturalis Dei, — et ideo prohibitum fuisset etiam in ordine puræ naturæ. Ex eodem liquet quid positive importet præceptum diligendi inimicum. Præcipit charitas 1° ut numquam inimicum excludamus ex affectu charitativo generali, quo omnibus beatitudinem supremam et media ad illam velle debemus, nec ex beneficentia generali qua allaborare debemus, saltem orando, ut omnes hanc beatitudinem assequantur ; — 2° præter hanc obligationem quæ per se atque semper adest, imponit specialem beneficentiam per accidens, vi cujus tenemur inimico succurrere in tali necessitate, in qua tantum a nobis de facto succurri possit : secus enim bonum divinum ob culpam nostram minueretur.

Ex hac obligatione quæ *per accidens* imponit *beneficentiam*, ulterius oritur necessitas « ut homo habeat animum paratum ad hoc quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret » (2). Et ex illa obligatione *affectus generalis* sequitur inimicis reddenda esse « effectus et signa charitatis, quæ ex interiore dilectione procedunt, et ei proportionantur... Sunt enim quæ-

(1) *De charitate.* a. 8, c.

(2) IIª IIæ, q. XXV, a. 8, c. — *Omnibus* est benefaciendum, ut ostenditur *ib.*, q. XXXI, a. 2, c., coll, ad 1, quatenus beneficentia debet esse generalis, v. g. per orationem, et etiam specialis, in præparatione animi. Unde intelligitur quod dicitur *ib.*, q. XXVI, a, 6, ad 1 : « Dilectio inæqualiter potest haberi ad aliquos dupliciter : uno modo ex eo quod quidam *diliguntur* et *alii non diliguntur ;* et hanc inæqualitatem oportet servare in beneficentia, quia non possumus omnibus prodesse », speciali scilicet modo.

dam signa vel beneficia dilectionis quæ exhibentur proximis in communi ; puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati ; et talia beneficia vel dilectionis signa inimicis exhibere est de necessitate præcepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ » (1). Quomodo autem hæ obligationes concretis in adjunctis magis determinentur, exponunt Theologi de charitate agentes.

Conclusio. — Quoad externam *beneficentiam* hic ordo per se observandus est : Deus ; nos ipsi ; consanguinei pro gradu diverso ; alii conjuncti pro ratione conjunctionis ; extranei et inimici. Nec per se hic attendendi veniunt meliores seu Deo ratione sanctitatis conjunctiores.

Corollarium.

Ex dictis liquet regulam *præcipuam* ad quam proportionatur ordo charitatis erga nos et proximum esse *ipsum diligentem*. In præsenti enim statu viæ, primarius actus charitatis erga proximum non est complacentia de perfectionibus ab ipso possessis, nec quævis benevolentia inefficax, sed benevolentia vera et præsertim cura effectiva de ipsius beatitudine suprema et de mediis ad cœlum conducentibus. Atqui in his actibus ordo per se non oritur ex relatione proximi ad Deum, sed ex ipsius comparatione ad diligentem.

Insuper constat internam de bonis habendis benevolentiam per se habere eundem ordinem ac beneficentia externa. Et re quidem vera, juxta mentem Angelici quam exposuimus, in ordine statuendo beneficentia logice est prior benevolentia interna, ita ut ex ordine charitativo quoad externam provisionem concludendum sit ad necessitatem ejusdem ordinis

(1) IIa IIæ, q. XXV, a. 9, c.

quoad actum internum correlativum. Principium disquisitionis est : « oportet quod inclinatio gratiæ, quæ est affectus charitatis, proportionetur his quæ sunt exterius agenda » (1). Et sic « irrationabiliter dicitur » charitatem æqualem esse quantum ad affectum, sed inæqualem quantum ad effectum.

Quæ de affectu charitativo (art. I) et de beneficentia (art. II) hucusque exposita sunt, enuntiari possunt sequentibus propositionibus :

Regula 1ª. Quatenus charitas dicit *complacentiam* de bonis habitis, attenditur sola propinquitas dilecti ad *Deum :* unde hoc sensu prædiligendi sunt meliores juxta gradum sanctitatis.

Regula 2ª. Quatenus dicit *benevolentiam* de bonis habendis, attenditur per se propinquitas dilecti ad *diligentem :* unde prædiligendus est ipse diligens, dein propinqui pro ratione propinquitatis veniunt, et tandem extranei et inimici.

Regula 3ª. Quatenus dicit *beneficentiam* externam, similiter juxta eundem ordinem attenditur per se propinquitas dilecti ad *diligentem* : beneficentia enim non est nisi benevolentia exterius manifestata.

Eodem fere modo ordinem charitatis proponit Laymann : « Ea dilectione, quam comitatur complacitum seu gaudium in bono alieno possesso itemque quam comitatur honor, cultus, reverentia, ii magis diligendi sunt qui meliores ac Deo similiores sunt, auctore S. Thoma 2. 2. q. 26. art. 7. 8. 9. Ob eandem rationem parentes magis quam filii et uxor, magisque benefactores quam ii quibus benefacimus. Ratio, quia majorem illi cum Deo communi omnium parente ac benefactore similitudinem gerunt. — Ea vero dilectione, qua desideramus alteri bonum nondum possessum et quam comitatur misericordia et beneficentia, ii magis diligendi

(1) IIª IIæ, q. XXVI, a. 6, c. ; cf. *In III Sent.*, Dist. XXIX, q. I, a 2, c. ; *De charitate*, a. 9, c.

sunt qui nobis conjunctiores existunt » (1). — Laymann secuti, eandem fere regulam ponunt Busembaum (2), S. Alphonsus (3), et inter modernos, Ballerini (4), Lehmkuhl (5), P. Vermeersch (6), et pauci alii.

Ceteri vero auctores moderni potius abire videntur in sententiam quam exponit Billuart. Juxta quem, « meliores sunt *magis objective* diligendi quam nobis conjunctiores minus boni, quatenus secundum eorum præsentem statum debemus illis velle majorem beatitudinis participationem quam nobis conjunctioribus minus bonis secundum præsentem eorum statum... Nobis secundum carnem conjunctiores sunt per se loquendo *magis intensive* diligendi quam meliores extranei » (7).

Qui sentiendi modus ansam præbet æquivocationibus. *Intensio* de qua hoc loco loquitur Billuart, non potest eadem esse de qua alibi merito dicit : « ad rationem charitatis secundum se non requiri intensionem » (8). Modus *objectivus* intelligitur hic de mera complacentia potius quam de benevolentia effectiva, quod liquet ex probatione ab ipso auctore allata.

CAPUT II

DE ORDINE INTER BONA ET NECESSITATES.

SUMMARIUM. — I. *Absolute dicendum est : numquam peccatum vel levissimum committere licet, nec sunt facienda mala ut eveniant*

(1) *Theologia moralis*, L. II, Tr. III, cap. 3, n. v.
(2) *Medulla theologiæ moralis*, L. II, tr. 3, c. 2, d. 1, resp. 2.
(3) *Theologia moralis*, eod. loco.
(4) *Opus theologicum morale*, II, n. 163.
(5) *Theologia moralis*, I, n. 604.
(6) *Theologiæ moralis principia, responsa, consilia.* Romæ, 1924, t. II, n. 82.
(7) *Tractatus de charitate*, Diss. IV, art. 4. — Eandem fere sententiam exponit *H. D. Noble, Les préférences de notre charité (La Vie Spirituelle*, 1928, p. 419 ss.).
(8) *L. c*, a, 1.

bona. Quoad bona spiritualia necessaria, *homo* seipsum *ceteris omnibus prædiligere debet. Cujus ultima ratio est, quia voluntas humana ita constituta est ut non possit non appetere bonum* suum ; *quod cum absolute in unione cum Deo consistat, inordinatum est sibi damnum spirituale inferre, etiamsi inde proximo majus bonum spirituale Deoque ipsi major glorificatio per accidens obveniret.*

II. *Quoad bona ad salutem* non necessaria, *per se charitas suadet ut homo seipsum ceteris præferat, per accidens autem ut alios sibi præponat.*

Determinantur obligationes erga proximum in extrema necessitate sive spirituali *sive* corporali *constitutum.*

ARTICULUS I

De bonis spiritualibus necessariis.

Regulam absolutam ponit doctrina catholica : *numquam licet committere vel levissimum peccatum ; non sunt facienda mala ut eveniant bona.*

Unde stricte præcipitur : quoad bona spiritualia *necessaria*, i. e. quæ abjici sine peccato non possunt et quibus simpliciter et absolute Deo adhæretur, meipsum omnibus aliis prædiligere debeo.

Quid hac propositione, quæ universam pervadit Theologiam moralem, catholicis magis certum excogitari potest ? (1) Attamen, si de ultimo hujus principii fundamento inquiratur, solutio non est tam obvia quam primo aspectu videatur. Statim enim occurrit difficultas, quam de hac re agens proponit Suarez (2) ; utrum nempe hoc principium primario præcepto charitatis non contradicat.

Charitate enim ante omnia bonum diligitur divinum, ad quod quam maxime promovendum pro facultate nostra allaborare

(1) Contra illos qui Theologos catholicos calumniantur quasi illud axioma rejicerent præclare scripsit REICHMANN, S. J., *Der Zweck heiligt die Mittel. Ein Beitrag zur Geschichte der christlichen Sittenlehre.* Freiburg I. B., 1903.

(2) *De charitate*, Disp. IX, s. 1, n. 2.

tenemur. Atqui fieri posset quod per levissimum peccatum, v. g. mendacium, procuraretur magnum bonum divinum, exempli causa multorum conversio. Per peccatum quantumvis leve *mihi* certe causatur malum, et quidem, ut suppono, malum quod mihi nullo bono compensatur. Sed an ratio est habenda mali *mei* etiam spiritualis, oriundi sive ex levi peccato quo non perderem vitam æternam, sive ex magno quo hanc amitterem ? Nonne, juxta ipsam rationem charitatis, bono privato præferre debeo bonum totius, i. e. bonum divinum, quod quidem relate ad meipsum minueretur, in pluribus tamen absolute promoveretur. Unde ad Deum quod attinet, diminutio gloriæ ejus extrinsecæ quæ ex meo peccato sequeretur, abunde compensaretur glorificatione quæ ipsi ab aliis tribueretur. Ergo videretur concludendum nullatenus esse inordinatum, sed econtra valde ordinatum juxta charitatem, præferre maximum bonum spirituale in proximis minori malo meo, seu facere mala minora ut eveniant bona majora.

Quomodo hæc difficultas dissolvenda est et quomodo principium supra positum probandum ?

Inter alia argumenta Suarez ponit sequens : « Charitas id magis amat quo magis glorificat Deum *ipse amans, non quicumque alius ;* item id magis amat charitas, quod Deus vult me magis amare ; Deus vult autem me magis amare *meam* sanctitatem quam alienam, quantacumque illa sit, et ego ita amando magis glorifico Deum quam alio modo, quia hoc ipso magis amo ipsum » (1). — Aliis verbis, ex charitate teneor promovere bonum divinum extrinsecum *imprimis in meipso ;* atqui, peccando mortaliter vel venialiter, hoc præceptum non impleo, cum ita illud bonum in meipso destruam vel minuam ; ergo numquam licet, præcipiente charitate, sive mortaliter sive venialiter peccare.

Quo quidem argumento difficultas posita diluitur, simulque

(1) *De charitate*, Disp. IX, s. 1, n. 7, coll. n. 3.

assertum probatur, si vera est *major*, i. e. si revera teneor promovere glorificationem divinam *imprimis in meipso*. Nam si « Deus vult me magis amare meam sanctitatem quam alienam, quantacumque illa sit », teneor vitare omne id quod meæ sanctitati obest, scilicet peccatum tum mortale tum veniale, nec sunt facienda mala ut eveniant bona. Atqui hujus propositionis veritas nititur, ut nobis videtur, in natura hominis seu in *constitutione essentiali nostræ voluntatis*. Quod ulterius explicandum est et demonstrandum est.

Sapientissimus Creator, condens universum, non intendit ut inde *maxima* sibi gloria splendesceret : secus mundum absolute optimum creare — quod contra Leibnitz communiter rejicitur — ac omnes homines ad summum beatitudinis gradum prædestinare debuisset. Voluit autem ut aliqua gloria sua in creaturis refulgeret, cujus gradus penderet a libertate entium rationabilium. Et imprimis quidem statuit ut singuli homines per charitatem Deo adhæreant, et pro meritis in glorificatione divina finali partem habeant. Unusquisque autem tenetur libera voluntate pervenire ad finem suum supremum ; ad hoc requiritur ut absoluto modo, jam in via ad finem, charitate adhæreat fini suo. In hoc signo, nullus exstat, ut ita dicam, communismus : teneor ad Deum finem meum progredi, sine aversione ulla vel retardatione, quasi nullus alius præter me existeret, etiamsi totalitas *absoluta* gloriæ divinæ ex progressu meo minueretur. Unde si probatur aliquam actionem meam *me* avertere vel retardare a fine meo, eo ipso probatur esse malum, non modo relate ad me, sed absolutum. Posito enim Dei consilio, juxta quod imprimis voluit ut gloria sua promoveatur in me et per me, sicut in singulis hominibus, omnis actio mea qua avertor vel retardor a Deo, est contra ordinem constitutum et proin peccatum. Ergo id est malum absolutum et intrinsecum, quod me impedit quominus absoluto modo bonitati increatæ adhæream.

Et ita intelligitur cur, in eis quæ necessaria sunt ad meam salutem, debeam bonum meum spirituale bono cujuscumque proximi præferre. Etiam intelligitur quonam sensu debeam bonum divinum omnibus præferre : non quod debeam bonum divinum promovere quam maxime et quibusvis mediis ; sed quod debeam illud promovere imprimis *in me*, et subordinate in aliis, in quantum scilicet hoc compossibile est cum glorificatione divina in meipso.

Quod manifestum fit, si ad ipsam constitutionem psychologicam hominis attenditur. Posita enim divina voluntate condendi hominem cum facultate intellectuali appetendi bonum, Deus efficere non potuisset ut actus malus, quo causetur majus bonum divinum, fiat ordinatus et secundum rationem.

Homo quidem ad glorificationem divinam creatus est, ita tamen ut in suprema hac glorificatione suprema ipsius beatitudo consistat. Voluntate enim tendere non potest in intimam cum Deo unionem, nisi quatenus in Deo situm est suimetipsius bonum summum : ipsa boni divini ad nos communicatio est *conditio sine qua non* — non dicimus motivum — amoris charitativi. *Spectata ipsa natura voluntatis, amor benevolentiæ ad alterum*, tam ad Deum quam ad proximum, oportet *innitatur benevolentiæ quam unusquisque habet ad seipsum.* « Deus est totum hominis bonum, ait S. Thomas. Dato enim per impossibile quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi » (1). « Bonum totius [i. e. divinum] diligit quidem pars secundum quod est sibi conveniens ; non autem ita quod bonum totius ad se referat, sed potius ita quod seipsum refert in bonum totius » (2). « Amans se habet ad amatum quasi ad seipsum, vel ad id quod est de perfectione sui » (3). Quæ eadem idea enuntiatur ab Aristotele hisce

(1) IIª IIæ, q. XXVI, a. 13, ad 3.
(2) IIª IIæ, q. XXVI, a. 3, ad 2.
(3) *In III Sent.*, Dist. XXVII, q. 2, a. 1.

verbis : « Amicabilia quæ sunt ad alterum, veniunt ex amicabilibus quæ sunt ad seipsum. » (Ethic., L. IX, c. 8). Quo principio Angelicus profundam analysim psychologicam instituit illius actus qui vocatur amor (1).

Cum igitur talis sit natura voluntatis ut tendat ad bonum suimetipsius, et talis essentia amoris ut amor omnis initatur amori suimetipsius, ideo amor totius, seu boni divini in tota creatione promovendi, subordinatur huic conditioni, quod bonum totale promoveatur per bonum partis i. e. suimetipsius.

Unde hic locum non habet principium de prælatione boni communis supra bonum privatum (2). Nam amore charitativo bonum commune, i. e. divinum, ab homine optari non potest nisi simul et eodem gradu sit bonum ipsius hominis. Et ideo actus quo maximum bonum spirituale proximo et proin maximam glorificationem Deo procurarem, sed quo simul meipsum averterem vel tantum retardarem a summo meo bono, hic actus, spectata natura hominis et speciatim voluntatis humanæ, est contra essentialem ordinationem rerum et contra præceptum charitatis.

Illa est profunda significatio axiomatis notissimi : « *charitas bene ordinata incipit a semetipso* ». Regula nempe et mensura amoris nostri tam erga Deum quam erga proximum est bonum ipsius amantis, non quidem quatenus bonum proprium sit ratio et motivum dilectionis, verum quia psychologice impossibile est hominem alicui majus bonum exoptare quam exinde ipsi amanti æquivalenter obveniat.

Et ita probatur principium quod positum est : ob nullam unquam rationem licitum est abjicere, sive mortaliter sive venialiter peccando, ea bona spiritualia quibus absolute adhæremus Deo ut summo bono. Nonobstante ergo natura charitatis quæ vult ut procuremus maximum bonum divinum,

(1) *In III Sent.*, l. c.
(2) Cf. BILLOT, *De virtutibus infusis*, ed. 3ª p. 424 s.

numquam fieri possunt mala ut eveniant bona ; i. e. inordinatum est velle malum proprium spirituale, etiamsi inde eveniret majus bonum divinum.

Ex dictis tandem patet quam arcte sibi cohæreant ambo illa axiomata : « *charitas bene ordinata incipit a semetipso* », et « *non sunt facienda mala ut eveniant bona* ».

Argumentum expositum fundatur in doctrina Angelici. Quando directe intendit probare « secundum naturam spiritualem hominem debere magis se diligere post Deum quam quemlibet alium », tanquam principium argumenti assumit : « unitas potior est quam unio » i. e. amans est *unum sibi*, quatenus ipse participat bonum divinum, et tantum *unitur proximo*, quatenus huic in illa participatione consociatur ; aliis verbis, requiritur ante omnia ut homo *sibimetipsi* participationem boni divini obtineat et omni in hypothesi conservet : quod est fundamentum argumenti quod evolvimus.

« Secundum naturam spiritualem, ita S. Thomas,... debet homo magis se diligere post Deum, quam quemcumque alium. Et hoc patet ex ipsa ratione diligendi ; nam Deus diligitur ut principium boni, super quo fundatur dilectio charitatis ; homo autem seipsum diligit ex charitate secundum rationem qua est particeps prædicti boni ; proximus autem diligitur secundum rationem societatis in isto bono. Consociatio autem est ratio dilectionis secundum quamdam unionem in ordine ad Deum. Unde sicut unitas potior est quam unio, ita quod homo ipse participet bonum divinum, est potior ratio diligendi quam quod alius associetur ipsi in hac participatione. Et ideo homo ex charitate debet magis seipsum diligere quam proximum ; et hujus signum est quod homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet a peccato » (1).

(1) IIª IIæ, q. XXVI, a. 4, c.

Auctores, qui de præsenti quæstione agunt, unum alterumve axioma morale in probationem afferre solent.

Communiter respondent sequenti modo : « Dei beneplacitum omnibus rebus debeo præferre ; atqui Deo magis placet ut vitem peccatum, quam si peccando prosim aliis. »

Quod responsum, ut patet, per se non valet ad diluendam difficultatem ex ipso præcepto charitatis eductam. Sufficit autem, si *minor* argumenti debito modo probatur, ut supra, et quidem per rationem ex ipso charitatis præcepto desumptam.

Alii simpliciter dicunt: « Non sunt facienda mala ut eveniant bona ». — Et rursus alii, v. g. Billuart (1) et Sporer (2) : « Implicat aliquid esse licitum et esse peccatum ». — Et ipse Suarez (3) : « Quisque tenetur absolute, et sine ullo respectu ad bona alia, vitare culpam ».

Procul dubio hæc axiomata vera sunt et ab omnibus admittenda ; sed difficultati nihil respondent, nec a S. Thoma ad præsentem doctrinam probandam adhibentur.

Aliud tandem argumentum addunt Suarez (4) et Wiggers (5) « Culpa non est medium per se ordinatum ad tollendas alias culpas, etsi hoc interdum per accidens sequi possit, neque reddit actum honestum. Aliter res se habet in temporalibus : nam in temporalibus sæpe est medium necessarium ad tuendum bonum commune, pati malum proprium ».

Hoc autem argumentum rem plene efficere non videtur. Transeat enim allegata distinctio inter temporalia et spiritualia ; quæritur de spiritualibus, non quidem an culpa sit medium *per se* ordinatum ad tollendas culpas alienas, quod cum Suarezio omnino negamus ; verum annon in casu *acci-*

(1) *Tractatus de charitate*, Diss. IV, art. 2, coll. 2.
(2) *Theologia moralis* (ed. Bierbaum), I, Tr. III, n. 812.
(3) *De charitate*, Disp. IX, s. 1, n. 7.
(4) *Op. cit.*, n. 7. coll. n. 3.
(5) *Commentaria de virtutibus theologicis*, q. XXXI, a. 4, n. 37.

dentali sit quoddam medium. Quod si negetur, ipsum axioma « non sunt facienda mala *ut* eveniant bona » nihil significat : simpliciter negandum esset suppositum, scil. per mala posse obtineri bona. Si vero admittatur, ut ipse Suarez indicat, ulterius quæritur cur istud medium *in casu*, præcipiente charitate, non possit adhiberi. Cui quæsito videtur respondendum argumento quod supra exposuimus.

Scolion. — Ex eodem principio, vi cujus non liceat committere peccatum etiamsi inde maximum aliorum bonum sequeretur, dicendum est inordinatum et culpabile quod aliquis *absolute velit beatitudine æterna carere* ut alii ea simpliciter vel in majori gradu gaudeant.

Sane tale votum absolutum prorsus otiosum apparet et ad effectum obtinendum plane inutile ; attamen non inde solum oriri videtur gravis illiceitas illius optationis, sed potius ex eo quod desiderium carendi beatitudine æterna sit contra ipsam constitutionem voluntatis humanæ, cujus finis in bono divino consistit ; unde contra rationem est rectumque ordinem rerum (1).

ARTICULUS II

De bonis non necessariis ad salutem æternam.

Quoad ea quæ compossibilia sunt cum adhæsione absoluta bonitati divinæ et proinde fieri possunt absque ullo peccato, per se quidem suadet charitas ut homo seipsum præferat ceteris, et magis conjunctos minus conjunctis ; at per accidens charitas videtur potius impellere ut homo alios sibimetipsi præferat.

Quæ doctrina sequenti modo probari potest.

(1) Cf. Suarez, *op. cit.*, Disp. XXXVII, s. 8, n. 84 ss. ; Wiggers, *op. cit.* q. XXVI, a. 4, n. 31 ss. ; Billuart, *op. cit.*, Diss. IV, a. 2.

Juxta primarium Dei consilium, unusquisque debet procurare glorificationem divinam attingendo absolute finem suum proprium ; quod tamen debitum satis implet quivis homo, qui simpliciter, etiamsi in gradu infimo, finem suum attingit. Sed impellit perfectior charitas ad gloriam divinam ulterius promovendam ; et cum nullus sibi tam propinquus sit quam ipse diligens, ideo suadet charitas ut diligens quærat *imprimis in seipso* splendorem divinum superabundantem, qui fulgere potest vel in bonis supernaturalibus supererogatoriis, vel in pure naturalibus cujusvis generis, tam spiritualibus quam corporalibus. Unde charitas per se inclinat ut omnibus istis bonis unusquisque propriam perfectionem promoveat.

At, per accidens, evenire potest quod bonum divinum magis resplendeat, si, relicta prosecutione licita boni sui perfectionisque propriæ, bono alterius sive spirituali sive mere temporali homo allaboret : ad quod charitas, in casu, manifeste impellit, ita ut beneficentiæ propriæ omissio indirecte homini ipsi coalescat in gloriam. — Animadvertendum est requiri ante omnia ut, prædiligendo proximum, charitas erga Deum integre salvetur. Qua servata, si major gloria divina procuranda videtur ex electione boni proximi quam ex electione proprii, suadet charitas, quatenus impellit ad bonum divinum promovendum, ut bonum proximi proprio bono præponatur. Et ita benevolentia erga proximum, quæ supponitur non esse de præcepto, in casu particulari erit ordinata et licita ac quandoque optima.

Quam doctrinam applicantes, Theologi quædam ut licita, alia ut valde meritoria afferre solent.

Licet ingressum in religionem differre vel omittere ad curam animarum, deficiente alio, exercendam, imo ad alendos parentes pauperes.

Potest sacerdos ad erudiendos proximos ignorantes, ad

infirmos curandos, omittere orationem vel lectionem spiritualem.

Periculo remoto peccandi licet se exponere ad procurandam salutem spiritualem vel corporalem proximi. Ita sacerdos et medicus possunt rebus periculosis studere, ut ad audiendas confessiones vel ad sananda corpora idonei fiant ; idem dicendum de confessarii munere adimplendo vel arte medicali exercenda.

Imo, si agatur de salute proximi spirituali procuranda in extrema necessitate, liceret se exponere periculo peccandi proximo, dummodo, adhibitis oratione aliisque remediis, hoc periculum fiat moraliter remotum.

Potest aliquis velle ut beatitudo sua suprema *differatur*, ad diutius allaborandum gloriæ divinæ et animarum saluti.

Liceret quidem, stricte loquendo, optare majora bona spiritualia proximo quam sibi, quia sufficit ut sibi simpliciter beatitudo optetur ; attamen id certo ad perfectionem charitatis non pertinet, quia non est medium ordinatum ad majus bonum divinum promovendum.

Laudabile est « votum heroicum » emittere, quo homo omnes satisfactiones suas et indulgentias offerat pro animabus in purgatorio detentis, nulla parte sibi reservata.

Et alia hujusmodi exempla apud Theologos morales inveniuntur.

Atvero multis in adjunctis determinari vix potest quisnam sit ordo observandus, aut utrum talis ordo de præcepto sit an tantum de perfectione virtutis. Quædam tamen regulæ statui possunt.

1° De proximo in extrema necessitate spirituali constituto.

Si proximus versatur in *extrema necessitate spirituali*, id est, si certo vel moraliter certo æternam damnationem incurret nisi ego ipsi succurram, debeo in gratiam ipsius renuntiare

omnibus bonis meis quæ inferiora sunt vitæ supernaturali animæ meæ, scilicet tum externis fortunæ bonis, tum mixtis famæ et honoris, tum ipsis corporalibus et intellectualibus, libertati, sanitati, imo vitæ temporali.

Hæc est doctrina communis Theologorum, in S. Scriptura et in Traditione fundata. S. Joannes testatur : « Nos debemus pro fratribus animas ponere » (1) ; quod S. Augustinus sic exponit : « Temporalem plane vitam suam pro æterna proximi non dubitabit christianus amittere : hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur » (2).

Rationem theologicam tradit S. Thomas (3) : « Illud magis est ex charitate diligendum quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate. Consociatio autem in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum, est major ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligendi proprium corpus. Et ideo proximum quantum ad salutem animæ magis debemus diligere quam proprium corpus », et quam cetera bona inferiora.

Angelicus duas obligationes ex ipsa charitate ortas directe opponit, et ostendit obligationem diligendi proximum prævalere in casu obligationi diligendi semetipsum. Quod argumentum est plane convincens : nam si charitas erga proximum ad aliquid unquam obligat, saltem obligat ut procuremus salutem illius qui sine nobis ad eam non perveniret ; et aliunde patet in ordine rerum absoluto amissionem vitæ corporalis et aliorum hujusmodi esse minus malum quam amissio salutis alicujus hominis.

(1) *I Joan.*, III, 16.

(2) *De Mendacio*, c. VI, n. 9. — P. L., t. XXXVIII, c. 719.

(3) IIa IIæ, q. XXVI, a. 5, c. — P. Noble (*L'ordre hiérarchique de la charité* in *La Vie Spirituelle*, 1928, p. 320) debitum ponendi vitam in extrema necessitate spirituali proximi restringit ad eos qui curam animarum habent, sed videtur immerito nec ad mentem Angelici. Cf. *In III Sent.*, d. XXIX, a. 8, quæstiunc. II, ad 2.

Itaque, data extrema necessitate spirituali proximi, id fit licitum et quidem obligatorium quod aliis in adjunctis esset intrinsece malum, deponere scilicet maxima illa bona ad quæ conservanda homo per se gravissimo officio obligatur.

Ut autem talis necessitas spiritualis extrema existat, non sufficit proximum certo aut moraliter certo damnatum iri, sed insuper requiritur ut per seipsum hoc periculum evadere sive physice sive moraliter non valeat.

Ergo in tali necessitate constitutus dici non potest, qui sponte ac libere se exponit periculo moriendi in peccato mortali, nec qui libere se exponit periculo peccandi mortaliter. In hoc enim casu ratio misericordiæ erga ipsum et ratio charitatis non videntur *obligare* ut vita ponatur : non enim tenemur perdere summum bonum corporale quo maxima bona supernaturalia acquirere possimus, ut præcaveatur damnatio vel peccatum mortale alterius qui inde sese posset aliter eripere. — Si itaque stricta obligatio non est ponendi vitam ad salvandum alium qui ob suam malitiam damnaretur, neque tamen stricta est obligatio *defendendi* vitam propriam, si eam defendendo per alterius occisionem alter certo damnatur : quia præceptum charitatis erga seipsum non videtur imponere ut quis medio tam extraordinario et tam arduo utatur, et præsertim quia ex charitate Dei et proximi præferre potest non-damnationem alterius.

Sed in extrema necessitate spirituali revera constituitur parvulus moribundus nondum baptizatus, quem ego solus cum periculo vitæ meæ baptizare possim ; item adultus certo existens in peccato mortali, interficiendus in somno vel in ebrietate ; etiam, ut videtur, adultus qui versatur in moraliter certo periculo moriendi impœnitens nisi ego ipsi succurram, quamvis ob libertatem et gratiam divinam salus ipsi physice possibilis maneat (1).

(1) Cf. Suarez, *De charitate*, Disp. IX, s. 2, n. 3.

Inde nonnullæ deducuntur applicationes magis speciales :

1° Classicum exemplum est infantis nondum baptizati, qui in eo est ut moriatur in flumine vel in incendio : si spes adest ut eum baptizare possim, et non adest spes ut ab alio fiat, cum periculo vitæ ad eum baptizandum teneor.

Eodem modo mater obligationem habet saltem objectivam subeundi operationem cæsaream vel aliam similem, si secus fœtus moriturus est sine baptismo.

2° In necessitate *gravi communi seu publica*, proximis succurrere tenentur etiam cum periculo vitæ suæ qui possunt vel debent id præstare ex quasi contractu. « Ratio est, ait Suarez (1), quia moraliter non est necessitas talis in communitate, quin respectu personarum privatarum sit extrema, ita ut revera in illis habeat effectum. Item, quia in tali necessitate fere est semper in gravi periculo religio christiana et honor ejus. »

Hinc parochus, vel alius sacerdos deficiente parocho, tenetur cum periculo vitæ fidelibus peste infectis administrare saltem sacramentum pœnitentiæ. Item, si quis pravas doctrinas spargit in populo et tu solus impedire potes, ad hoc obligaris cum vitæ periculo.

3° Quæ de *injusto vitæ aggressore* in Theologia morali traduntur, ex iisdem principiis deducenda sunt.

Imprimis cum de Lugo (2) dicendum videtur : « Si invasor injuste quidem *materialiter* invadat, sed tamen absque libertate, ut si ebrius, vel phreneticus te invadit, et aliunde constat eum esse in statu peccati, a quo post phrenesim vel ebrietatem poterit resurgere, econtra vero moraliter credas te esse in statu gratiæ, non videtur posse licite a te occidi ; quia tunc vere non potest proximus sibi consulere et subvenire in illa extrema necessitate et periculo certo æternæ damnationis,

(1) *Op. cit.*, n. 4.
(2) *De justitia*, Disp. X, n. 143.

nisi tu vitam propriam exponas pro ejus remedio. Hic tamen casus rarissimus est, quod constet illum esse in statu peccati, ob quod in æternum damnandus sit. »

Atvero, si aggressor est *formaliter* injustus, charitas non obstat quin occidatur, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. Invasus tamen *non obligatur* ad vitam propriam defendendam alterum occidendo, nisi ipse se sciret esse in statu peccati mortalis et de vera contritione diffideret vel noverit se necessarium esse aliis, puta communitati vel familiæ.

Idem prorsus dicendum de defensione proximi innocentis contra aggressorem injustum : quia proximus se habet relate ad injustum aggressorem quemadmodum nosipsi ; potest per se, sed non debet, illum occidere ; unde nihil impedit quominus licitæ ipsius defensioni cooperemur.

Quoad ea quæ juxta inconcussa principia tenenda sunt, quando injuste invaditur ipsa *vita*, auctores hodiedum consentiunt. At eædem quæstiones exsurgunt quoad injustum aggressorem *pudicitiæ*, *famæ et honoris*, bonorum *fortunæ*. Quæ quidem quæstiones speciales ad quæstionem generaliorem de ordine charitatis reducendæ sunt et ex vindicatis principiis solvendæ.

Quorum principiorum immemores, errarunt auctores nonnulli etiam magni nominis sæculo XVI et XVII, eorumque doctrinam laxiorem reprobarunt Summi Pontifices Alexander VII et Innocentius XI. Inde quædam extra omnem controversiam posita sunt : tenendum est et communiter jam tenetur non licere occidere injustum aggressorem ad defendendum famam et honorem (1), vel bonum temporale exigui valoris (2), vel bonum temporale statim nondum actu posses-

(1) Cf. propositiones 2, 17 et 18 damnatæ ab Alexandro VII, anno 1665 (DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, n. 1102, 1117, 1118), et propositio 30 damnata ab Innocentio XI, anno 1679 (*ib.*, n. 1180).

(2) Cf. propositio 31 Innocentii XI (*ib.*, n. 1181).

sum (1). Cum autem de aliis casibus quæritur, statim oritur controversia.

Omnes quidem consentiunt si solvendus est casus in quo adest periculum proximum consentiendi peccato, quod facile occurrere potest in muliere cujus pudicitia invaditur : tunc enim applicandum est principium generale juxta quod ob nullum unquam motivum peccare licet, seu, quod idem est, se exponere proximo periculo peccandi. Potius amittere oportet vitam propriam vel auferre alienam, quam peccare.

Hoc autem casu seposito, docent alii, inter quos præsertim Billuart (2), numquam licere defensionem pudicitiæ, vel honoris et famæ, vel bonorum temporalium, per occisionem aggressoris etiam injusti ; alii vero, quibus antecedit S. Alphonsus (3), tenent *pudicitiam* necnon *bona fortunæ magni momenti actuque possessa* defendi posse per occisionem injusti aggressoris.

Ratio prioris sententiæ est : quia non datur proportio inter pudicitiam materialem vel bona fortunæ ab una parte, et vitam proximi etiam injusti ab altera parte ; vita enim simul ac salus æterna est superioris omnino ordinis, et semel amissa prorsus est irreparabilis.

Ratio alterius sententiæ est : quia licet vim vi repellere in re magni momenti, qualis est pudicitia quæ pluris æstimari solet quam magnæ divitiæ ; eo vel magis quod aggressor sponte et libere se exponat periculo mortis et damnationis, ita ut revera non sit constitutus in extrema necessitate spirituali, qualis supra definita est.

Temerarium nobis esset hanc controversiam velle dirimere, spectatis auctoritatibus utrinque allatis, et præsertim perpensa ratione qua utraque sententia fulcitur. Ceteroquin quæstio potius speculativa est quam practica, quum, data injusta

(1) Cf. propositiones 32 et 33 Innocentii XI (*ib.*, n. 1182, 1183).

(2) *Tractatus de Jure et Justitia*, Diss. X, art. VI.

(3) *Theologia moralis*, L. IV, Tr. IV, n. 380 ss.

aggressione cum secuta occisione, res judicanda sit juxta conscientiam subjectivam occisoris. Illorum tamen doctrina probanda non est, qui determinant aliquam fortunæ summam, (v. g. 400 francorum aureorum, vel ad minus 1000 libellarum) quam licite defendi dicunt etiam occidendo aggressorem : hujusmodi enim doctrina nullo nititur fundamento, et argumento prioris sententiæ modo exposito indubie refellitur.

2° De proximo in extrema necessitate corporali constituto.

Omnes doctores consentiunt bona famæ et bona externa fortunæ, i. e. bona vitæ corporali inferiora, largienda esse proximo qui versatur in extrema necessitate corporali : illorum enim bonorum homo dominus est, facultatem habens de iis pro arbitrio suo disponendi et ex proportionata causa illa dimittendi ; qualis causa est periculum moraliter certum moriendi quod proximo immineat, nisi a te adjuvetur.

Pariter, ut dictum est, unanimes tradunt licite aliquem vitam corporalem exponere pro vita corporali alterius, si noverit hujus morti annexam esse mortem spiritualem ejus animæ et ipse conscientiam habeat sui status gratiæ : v. g. ad impediendam æternam damnationem injusti aggressoris tui, quem jure occidere posses, propriam mortem corporalem sponte subire, abundantioris charitatis opus est (1).

Tandem consentiunt fere unanimiter, « pro salute et incolumitate personæ publicæ, ex qua multum pendent reipublicæ commoda, quemadmodum et pro ipsa republica, multoque magis pro fide et religione catholica, bona temporalia relinquere, quin et propriam vitam periculo exponere, non tantum laudabile, sed interdum etiam necessarium esse. Nam bonum quanto universalius est, tanto majus ac dignius : quare sicut in naturalibus pars una corporis periculo se exponit pro servando toto corpore, ita et in politicis particulare reipublicæ

(1) Cf. SPORER, *Theologia moralis*, I, n. 823.

membrum pro servanda tota republica, sicuti docet S. Thomas » (1).

His igitur quæstionibus extra controversiam positis, ulterius quæritur an ordine charitatis dare possis vitam tuam corporalem ad vitam corporalem proximi salvandam. Hæc quæstio difficultate non caret.

Notandum est comparari præcisive vitam corporalem cum vita corporali. Nam si tu necessarius sis religioni vel familiæ vel communitati, non autem proximus, vitam propriam servare teneris. Econtra si proximus habeat ejusmodi obligationes quas tu non habes, licet ex charitate ponere vitam tuam ; non autem teneris, nisi agatur de magno bono publico servando per vitam proximi. — Exempla classica sunt : unus panis superest duobus extreme famescentibus ; tabula in naufragio præsto est duobus natantibus qua unus tantum salvari potest.

Quæstionem positam multum agitarunt doctores scholastici, quorum plures, Petrum Lombardum secuti, affirmant liceitatem « ob bonum virtutis » ; moderni autem plurimi asserunt sine dubitatione hunc esse perfectissimum actum charitatis.

Allegant : 1° doctrinam Christi Domini, juxta illud : « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis » (2) ; — 2° auctoritatem S. Thomæ ; — 3° rationem sequentem : honestas virtutis amicitiæ majus bonum est quam vita corporalis ; unde qui ob illam honestatem vitam ponit pro amico, majus bonum præfert minori, adeoque servat ordinem et laudabiliter agit.

Quæ quidem sententia dici potest cum Laymann, qui eam impugnat, « propter doctorum auctoritatem et virorum bonorum persuasionem, valde probabilis » (3).

Ipsa tamen re penitius inspecta, fundamento non caret

(1) LAYMANN, *Theologia moralis*, L. II, Tr. III, c. III, n. 4.
(2) *Joan.*, XV, 13.
(3) *Op. cit.*, n. 4.

doctrina quæ affirmat levem esse inordinationem in deponenda vita propria pro aliena. Ratio fundamentalis est : juxta principium ab omnibus admissum, ex charitate homo prius tenetur, ceteris paribus, ad sui dilectionem quam ad alterius ; unde obligatur ad servandam propriam vitam prius quam alienam. « Si pro illius temporali vita, inquit S. Augustinus, suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere sicut seipsum, sed plus quam seipsum : quod sanæ doctrinæ regulam excedit » (1). In qua ipsa ratione responsum habetur ad rationem oppositam : « Si enim virtus charitatis et ordo dilectionis, dicit Laymann, præcipit ut propriam quisque vitam præferat alienæ, sequitur, nullam honestatis laudem esse, si quis succumbere velit, ut vitam alienam servet. Quare secum ipse pugnat, qui fatetur secundum charitatis ordinem vitam propriam præferendam esse vitæ proximi, et nihilominus in eo honestatis laudem quærit, si vitam propriam alienæ posthabeat. » Qui nempe affirmat laudabiliter poni vitam propriam pro aliena, quia in hoc intendi potest *bonum virtutis*, revera videtur ponere ut argumentum, id ipsum quod in quæstione versatur : nempe an sit honestas virtutis in actu qui aliunde est contra ordinem charitatis ?

Quod spectat auctoritatem Angelici, dicendum est eum pluribus in locis de hac quæstione loqui (2), et in suo *Commentario* super *Librum Sententiarum* admittere honestatem actus « ob bonum virtutis » ; in aliis autem operibus plerumque loqui potius videtur de salute proximi *spirituali* comparata ad vitam propriam corporalem.

Eodem sensu intelligendus est locus notissimus apud S. Joannem, quo referuntur verba quæ Christus pridie mortis

(1) *De Mendacio*, c. VI, n. 9. — P. L. t. XXXVIII, c. 719.

(2) *In III Sent.*, Dist. XXIX, a. 5, c. et ad 3 ; a. 8, q. II, ad 2 ; — *In Libros Ethicorum*, l. IX, lect. 9 ; — *De perfectione vitæ spiritualis*, cap. XIV ; — *Summa Theologica*, IIª IIæ, q. XXVI, a. 4, ad 2 ; a. 5, ad 1, 2 et 3 ; q. XXXII, a. 6 ; q. LXIV, a. 7, c. — *De charitate*, a. 11, ad 9.

suæ ad Apostolos habuit : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Atqui dilectionem suam divinus Salvator manifestavit, ponendo animam suam, non quidem pro vita corporali discipulorum, sed pro redemptione animarum (1). « Non enim quisquam est ita desipiens, scribit S. Augustinus (2), ut dicat aliud quam saluti sempiternæ hominum consuluisse Dominum, vel faciendo quod præcepit, vel præcipiendo quod fecit. »

« Dicendum est ergo — ait Suarez (3) cum aliis doctoribus —, ceteris paribus, non esse dubium quin secundum ordinem charitatis sit melius subvenire sibi quam aliis. Unde si, hac æqualitate existente, sine ulla ratione, quis permitteret suam extremam necessitatem propter alienam, fortasse minus bene faceret, et forsan peccaret, non tamen, ut credo, mortaliter, quia ordo charitatis, quando non est magnus excessus, potest prætermitti sine mortali, et censetur res levis. »

Patet casum quo vita corporalis aliena cum corporali propria comparanda sit, nulla alia consideratione adjuncta, *practice* vix occurrere, et præterea non objective tantum sed juxta conscientiam subjectivam solvendum esse.

Scolion. — Quemadmodum inquisivimus de obligationibus nostris erga proximum in *extrema* necessitate sive spirituali sive temporali constitutum, eodem modo et juxta eadem principia exponenda sunt officia charitatis erga proximum in necessitate *gravi* vel in *ordinaria et communi*. Quæ quum ab omnibus Theologiæ moralis auctoribus distincte tradantur, quando agunt de operibus misericordiæ et nominatim de eleemosyna, non est cur hic referantur : nostra enim mens est principia potius quam applicationes ponere et probare.

(1) Cf. *I Joan.*, III, 16.
(2) *De Mendacio, l. c.*
(3) *De charitate*, Disp. IX, s. 3, n. 7.

Postremo notandum est, inter proximos qui in *pari* necessitate versantur, sive spirituali, sive temporali, sive extrema, sive gravi, sive communi, eos præferendos esse qui majori conjunctione nobis constringuntur, ut quoad beneficentiam supra probatum est. Attendenda nempe sunt variæ necessitates, varia bona, diversæque personæ, necnon ad invicem comparanda et mensuranda juxta principia exposita, ut appareat quinam sint actus mali, quinam boni, quinam simpliciter liciti, quinam de præcepto vel de consilio.

S. Augustinus hæc scribit : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua ; et, diliges proximum tuum sicut teipsum.... Hic ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quam quum ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus et proximus. Hic logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis, nonnisi Deus est. » (*Ep. CXXXVII, ad Volusianum*, n. 17). Et S. Hieronymus : « Quæ alia inter fructus spiritus debuit tenere primatum nisi charitas, sine qua virtutes ceteræ non reputantur esse virtutes, et ex qua nascuntur universa, quæ bona sunt. » (*In Gal.* L. III, c. V, n. 22).

Librum hunc absolventes, nihil aliud egisse quam effata ista pro posse nostro explanare et elucidare nobis videmur.

INDEX RERUM SYNOPTICUS

QUÆSTIO I

PAG.

DE CHARITATE VIRTUTUM PRÆSTANTISSIMA. 1

Summarium. — Charitatem, qua virtutem specialem, esse præstantissimam inter omnes virtutes, probatur 1° ex Sacra Scriptura, ita docentibus Christo Domino et Apostolis ; 2° ex scriptis Patrum et Doctorum, nominatim S. Augustini, S. Hieronymi, S. Thomæ Aquinatis, S. Francisci Salesii ; 3° ex ratione theologica.

Inde concluditur charitatem præstare 1° scientiæ ceterisque habitibus mere intellectualibus, 2° virtuti morali misericordiæ, 3° virtutibus sic dictis « modernis » seu « activis ».

Consectaria. 7

QUÆSTIO II

DE CHARITATE FORMA VIRTUTUM. 12

Introductio 12

CAPUT I. **Fundamentalia quænam principia.** 15

Summarium. — I. Fundamentum moralitatis actuum humanorum consistit in conformitate cum natura rationali adæquate spectata vel, quod in idem incidit, in convenientia cum fine ultimo.

Hæc generalis norma in concreto applicatur considerando tria principia moralitatis quæ sunt : objectum formale, circumstantiæ, finis operantis. Ex his principiis oritur non tantum moralitas generica, sed et specifica actus humani.

Virtutes morales specie distinguuntur ex objecto suo formali seu fine suo proprio, ultra quem pertingere non valent.

II. Inter statum hominis naturalem, qui est hypotheticus, et statum supernaturalem, qui est historicus, intercedit differentia essentialis.

In priori statu, finis ultimus consistit in perfectione cognitionis Dei naturalis, i. e. abstractæ et analogicæ, et amoris Dei correspondentis. Actus boni et virtutes naturales ad illum finem sponte sua proportionem habent. Virtutes theologicæ non existunt ; unde maxima virtutum dicenda est religio.

Econtra in statu supernaturali, finis ultimus, utpote ordinis divini, excedit omnem proportionem naturæ creatæ. Et quum homo hunc finem mereri debeat actibus ipsi fini condignis et æquivalentibus, requiritur ut in se ipse transformetur, quod fit per infusionem gratiæ et charitatis : unde actus ipsius « perfecti » et virtutes « formatæ » fiunt.

Pag.

Art. I. De principiis bonitatis moralis in genere spectatæ . 16
1° De actibus moralibus 16
2° De virtutibus 20

Art. II. De differentia essentiali inter statum naturalem et statum supernaturalem. 21
1° De ordine morali naturali 21
2° De ordine morali supernaturali 23

Caput II. **Virtutes sola charitate ad finem ultimum ordinantur.** 26

Summarium. — I. Magnopere interest recta positio quæstionis. Quum homo finem ultimum obtinere debeat, non per naturam ontologice spectatam, sed per actus seu exercitium virtutum, quærendum est, non quomodo natura ordinetur, sed quomodo actus et virtutes : non agitur de ordinatione objectiva animæ per gratiam sanctificantem, sed de subjectiva operativarum virtutum per charitatem. Ita quæstio ponitur non tantum a S. Thoma, qui charitatem realiter a gratia sanctificante distinguit, sed etiam a Scoto, qui eas nonnisi ratione discernit.

II. Argumentum propositionis deducitur, cum S. Thoma, ex hoc principio : sola charitas ordinatur per se ad ultimum bonum, ceteræ virtutes non per se ; proinde ut ordinentur ad ultimum finem, requiritur ut ordinentur a charitate. Inde explicatur quonam sensu charitas dicatur virtutum forma, et quomodo habenda sit supremum principium bonitatis moralis in ordine præsenti.

III. Ordinatio virtutum ad finem charitatis, qua charitas dicitur forma virtutum, reducitur ad causalitatem efficientem, non vero ad causalitatem intrinsecam seu essentialem. Hæc est doctrina S. Thomæ. — Admitti nequit sententia Salmanticensium, nec theoria a recenti auctore proposita.

Art. I. Quonam modo quæstio ponenda sit 27

Art. II. An virtutes sola charitate ordinentur. 30
Corrolarium. 41

Art. III. Quali modo virtutes charitate ordinentur 44
Conclusio. 59

Caput III. **Quid doceat S. Scriptura.** 60

Summarium. — Animadversiones præviæ. — Quid sit charitas in doctrina Novi Testamenti.

Annotantur speciatim loca sequentia : Matth. XXII, 34-40 ; Luc. X, 25-28 ; Matth. V, 43-48 ; Joan. XIV, 15, 21-24, XV, 9-14 ; I Joan. III, 10-24, IV, 7-21, V, 1-13 ; II Joan. 5 s. ; Rom. XIII, 8-10 ; Gal. V, 13-15, V, 6 ; Coloss. III, 12-14 ; I Tim. I, 3-7 ; I Cor. XIII. Ex illis locis liquet totam vitam

PAG.

christianam omnesque virtutes regi et informari virtute charitatis, et proin confirmatur doctrina supra ratione theologica probata.

Conclusio 75

CAPUT IV. **Quid doceant Patres apostolici.** 78

Summarium. — Doctrina Duodecim Apostolorum, S. Clemens, S. Ignatius Antiochenus, S. Polycarpus, Epistola Barnabæ, Pastor Hermæ, eandem ac libri N. T. de charitate doctrinam, at minus expresse, proponunt.

CAPUT V. **Quid doceat S. Augustinus.** 83

Summarium. — Auctoritas S. Augustini. Loca conferenda.

I. Ostenditur quibusdam textibus quomodo, juxta S. Augustinum, omnes virtutes a charitate ad ultimum finem ordinandæ sint.

II. S. Doctor admittit bona opera et virtutes naturales sine charitate, at nullatenus opera simpliciter bona nec virtutes veras, quia deficiente charitate, deficit ordinatio ad Deum finem supernaturalem.

III. Summa capita doctrinæ augustinianæ.

Semper considerat honestatem moralem in ordine ad finem ultimum præsentem ; ad quem finem non habemus ordinem nisi per charitatem.

Notio genuina virtutis, ad mentem S. Augustini. Quonam modo virtutes per charitatem ordinentur.

S. Augustinus manifesto loquitur de charitate stricte dicta seu theologica, et non de amore boni vel de amore Dei in quodam sensu lato.

1° De virtutibus a charitate ordinandis 86
2° De virtutibus naturalibus et de virtutibus veris 91
3° Doctrinæ augustinianæ summa capita. 100

QUÆSTIO III

DE CHARITATE RADICE MERITI. 118

Introductio 118

CAPUT I. **Non est meritum de condigno sine ordinatione charitatis.** 124

Summarium. — I. Inde a sæculo XVI plures Theologi, ducibus præsertim Vazquez et Suarez, negant ad meritum requiri in homine justo ordinationem charitatis, et tenent alii sufficere actum moraliter honestum cum gratia actuali positum, alii præterea intentionem seu motivum ad quamvis virtutem

PAG.

infusam pertinens. Angelicus autem cum scholasticis universis et multis gravibus Theologis docet nullum esse meritum de condigno sine ordinatione seu influxu charitatis.

II. Examinantur loca S. Scripturæ quæ in favorem illarum sententiarum afferri solent ; unde concluditur opera justorum bona, in Sacris Litteris, haberi meritoria, non de se, sed in quantum regulantur fide et præsertim informantur et animantur charitate.

III. Apud præclarissimos S. Patres constans est doctrina, opus non esse meritorium, non perfecte et vere bonum, nisi procedat ex charitate.

IV. Immerito allegatur in favorem sententiæ negantis Concilium Tridentinum : quod intendit quidem errores novatorum de merito damnare, non autem quæstionem hanc dirimere, ut patet ex ipsis Synodi actis.

V. Rationibus theologicis probatur omnes virtutes in justo ad meritorie agendum dependere a charitate, id est, omnia opera bona, ut sint meritoria, ad finem charitatis referenda esse. Dein discutiuntur argumenta quæ huic sententiæ opponuntur.

ART. I. Status quæstionis 125
Sententia Vazquezii 126
Sententia Suarezii 129
Sententia Doctoris Angelici 131

ART. II. Quid doceat Sacra Scriptura. 137
Conclusio. 149

ART. III. Quid doceant SS. Patres. 149

ART. IV. Quid sentiat Concilium Tridentinum. 152

ART. V. Quid eruatur e rationibus theologicis. 161
1° Argumenta sententiæ affirmantis 162
2° Argumenta Vazquezii 166
3° Argumenta Suarezii. 169
Conclusio 180

CAPUT II. **Utrum meritum influxui charitatis correspondeat an etiam bonitati ceterarum virtutum.** 182

Summarium. — I. Meritum de condigno præmii essentialis, i. e. visionis ac fruitionis Dei, correspondet et commensuratur excellentiæ charitatis a qua actus meritorius procedit vel ordinatur, non autem per se valori intrinseco alius virtutis actum elicientis, ita ut, eodem manente influxu charitatis, meritum de condigno essentiale idem maneat, etiamsi bonitas moralis actuum crescat ; attamen major bonitas moralis solet esse signum majoris charitatis et proin majoris meriti. Insuper admitti potest valori

Pag.

intrinseco ceterarum virtutum respondere meritum de congruo præmii essentialis et meritum de condigno præmii accidentalis. Hæc est doctrina S. Thomæ.

II. Hæc sententia, quæ ex præcedentibus ut consectarium sequitur, declaratur comparando bonitatem moralem et meritum operum externorum, et dein ab objectionibus vindicatur.

III. Theoria Salmanticensium de merito charitati superaddito licet ab ea procedente non probatur.

ART. I. Status quæstionis 182

ART. II. Sententia S. Thomæ confirmatur et vindicatur . . 189
Respondetur objectionibus 195

ART. III. Examinatur doctrina Salmanticentium 201

CAPUT III. **Qualis relatio operum meritoriorum in Deum requiratur.** 205

Summarium. — I. Status quæstionis exponitur : relatio intelligi potest vel actualis vel virtualis vel habitualis seu virtualis lato sensu.

II. Actualis intentio optima est et maxime meritoria ; de consilio est, sed non de præcepto ; imo omnia opera singillatim et distributive sumpta in Deum actu referre non est possibile in hac vita, sed pertinet ad perfectionem patriæ.

III. Inter eos qui tenent relationem virtualem in sensu strictiore necessarium esse ad meritum, alii statuunt eam non esse de præcepto, et tunc multa bona opera justorum habentur sine merito de condigno ; alii dicunt eam esse de præcepto, et tunc fidelibus in communi onus imponitur importabile : quod utrumque inconveniens vitari debet.

IV. Ad meritum sufficit relatio virtualis operum in Deum in sensu latiore intellecta, id est, talis quæ procedit a charitate, non quidem ut principio causante actum simpliciter, sed ut ejusdem principio saltem ordinante. Quod quidem verificatur, si justus actum charitatis exercet saltem quoties præceptis virtutis charitatis obligatur. Unde emendanda est sententia extrema plurium doctorum, quatenus adstruunt unicum actum charitatis sufficere ad ordinanda omnia opera bona sequentia, quamdiu positive non retractetur. — De mente Doctoris Angelici.

V. Difficultates quædam solvuntur.

ART. I. Status quæstionis 205

ART. II. De relatione actuali 209

ART. III. De relatione virtuali sensu strictiore accepta. . . . 213
Prior opinio : Relatio operum in Deum non est de præcepto. 215
Altera opinio: Relatio operum in Deum est de præcepto . . 219

PAG.

ART. IV. De relatione virtuali sensu latiore accepta. 222
Sententia extrema. 222
Sententia vera. 226
De mente Doctoris Angelici. 238

ART. V. Difficultates quædam solvuntur. 243

CAPUT IV. **De bona intentione.** 255

Summarium. — I. Bona intentio, quam in omnibus nostris operibus habendam esse inculcat Apostolus, intelligenda est intentio charitativa, quæ est obligatoria in quantum virtualiter saltem omnes actus nostros ordinare debet. Præter hanc bonam intentionem, quæ adest eo quod impletur charitatis præceptum, aliud bonum propositum non probatur necessarium.

II. Summopere autem commendatur tum ut intentio charitativa quacum operamur, ab omni nævo amoris proprii purificata, simpliciter in solum Deum figatur, tum ut fervide quamque frequentissime renovetur, quo fiat habitualis ac permanens dispositio intimæ cum Deo unionis : talis est via perfectorum.

ART. I. De bona intentione obligatoria. 255

ART. II. De perfectione bonæ intentionis. 266

QUÆSTIO IV

DE OBJECTO FORMALI CHARITATIS FRATERNÆ 271

Introductio 271

CAPUT I. **Ojectum formale charitatis fraternæ adæquate in bono divino consistit.** 274

Summarium. — I. Status quaestionis exponitur. Alii, duce Suarezio, rationem formalem charitatis erga proximum reponunt non tantum in bono increato, sed etiam in bonitate proximi intrinseca sive supernaturali sive naturali. Alii, inter quos plures Thomistæ, in ratione formali includunt tum bonum increatum tum gratiam sanctificantem consideratam ut splendorem Deitatis in homine. Alii tandem adæquate ipsum bonum divinum ut rationem motivam habent.

II. Bonum divinum in se seu increatum rationem formalem charitatis theologicæ constituit : charitas tam erga nos et proximum quam erga Deum formaliter ipsum Deum attingit. Unde objectum formale non consistit in naturali bonitate proximi sive ratione sive fide apprehensa, nec in bonitate ejus supernaturali si consideratur ut perfectio ipsi inhærens. Quando autem gratia sanctificans in proximo consideratur formaliter ut participatio naturæ divinæ, non improbabiliter dici potest ratio formalis charitatis theologicæ. — De mente Doctoris Angelici.

III. Hæc sententia probatur et vindicatur.

PAG.

ART. I. Status quæstionis. 275
Prima sententia 275
Secunda sententia 277
Tertia sententia 278
ART. II. Doctrina S. Thomæ explanatur 279
De mente Doctoris Angelici 286
ART. III. Doctrina S. Thomæ probatur et vindicatur 289
1° Quinam veniunt sub nomine proximi 289
2° Quænam sit ratio specifica virtutis theologicæ 393
3° Quare specifice differant charitas et religio 302

CAPUT II. Consectaria moralia. 304

Summarium. — I. A charitate fraterna theologica apprime distinguendæ sunt virtutes morales amicitiæ et misericordiæ.

II. Determinatur quinam sint charitatis fraternæ actus eliciti seu stricte proprii, tum interni, tum externi, et quænam motiva eos inspirare soleant.

III. Existit præceptum charitatis fraternæ.

Speciale præceptum charitatis, per actus specifice charitativos implendum, obligat 1° erga Deum, ad actus internos, tam per se quam per accidens ; ad actus autem externos, saltem per accidens ; 2° erga proximum, non quidem ad actus externos, sed ad internos, saltem implicitos, universales et per accidens. — Generale autem præceptum imperat ut omnes obligationes ceterarum virtutum impleantur.

ART. I. De virtutibus moralibus amicitiæ et misericordiæ . . 305
ART. II. De actibus a charitate fraterna elicitis. 306
1° De actibus internis 307
2° De actibus externis 307
3° De quibusdam actuum motivis. 308
ART. III. De præcepto charitatis fraternæ 309
1° De existentia præcepti 309
2° De natura præcepti. 310

QUÆSTIO V

DE ORDINE CHARITATIS. 317

Introductio 317

CAPUT I. De ordine inter diligendos. 321

Summarium. — I. Internus charitatis affectus proportionari debet secundum objecti propinquitatem tum ad Deum, tum ad ipsum diligentem. Quoad com-

PAG.

placentiam de bono habito, ordo est : Deus ; angeli et sancti in cœlo, tandem meliores præ minus bonis. Quoad benevolentiam de bono habendo : Deus, nosmetipsi, proximi secundum eorum ad nos propinquitatem.

II. In actibus externis observandus est sequens ordo : Deus ; nos ipsi ; consanguinei pro diverso gradu ; alii conjuncti pro ratione conjunctionis ; extranei et inimici. Nec per se hic attendendum est ad meliores seu Deo ratione sanctitatis conjunctiores.

ART. I. De ordine in charitatis affectu 322

ART. II. De ordine in beneficentia 327
1° De melioribus. 331
2° De inimicis. 336
Corrolarium. 338

CAPUT II. **De ordine inter bona et necessitates.** 340

Summarium. — I. Absolute dicendum est : numquam peccatum vel levissimum committere licet, nec sunt facienda mala ut eveniant bona. Quoad bona spiritualia necessaria, homo seipsum ceteris omnibus prædiligere debet. Cujus ultima ratio est, quia voluntas humana ita constituta est ut non possit non appetere bonum suum ; quod cum absolute in unione cum Deo consistat, inordinatum est sibi damnum spirituale inferre, etiamsi inde proximo majus bonum spirituale Deoque ipsi major glorificatio per accidens obveniret.

II. Quoad bona ad salutem non necessaria, per se charitas suadet ut homo seipsum ceteris præferat, per accidens autem ut alios sibi præponat.

Determinantur obligationes erga proximum in extrema necessitate sive spirituali sive corporali constitutum.

ART. I. De bonis spiritualibus necessariis. 341

ART. II. De bonis non necessariis ad salutem æternam. . . 348
1° De proximo in extrema necessitate spirituali constituto. 350
2° De proximo in extrema necessitate corporali constituto. 356

235.4
R629
Roey, Joseph Ernest van, cardinal, 1874-
6368
AUTHOR
TITLE
De Virtute Caritatis
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
ROOM NUMBER
AUG 2 1940
STORA
6368